163
A
59.
BIB.NAZ.NAPOLI

BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
163
A
59
NAPOLI

LUDOVICI MONTALTII

LITTERÆ PROVINCIALES,

DE

MORALI & POLITICA

JESUITARUM

DISCIPLINA.

A

WILLELMO WENDROCKIO

SALISBURGENSI THEOLOGO,

E Gallicâ in Latinam linguam tranſlatæ; Et Theologicis notis illuſtratæ,

QUIBUS

Tum Jeſuitarum adverſus Montaltium criminationes repelluntur: Tum præcipua Theologiæ Moralis capita à novorum Caſuiſtarum corruptelis vindicantur.

B. R. NEAPOLIS

COLONIÆ,

Apud NICOLAUM SCHOUTEN.

CIↃ IↃC LVIII.

WILLELMI WENDROCKII

IN

PROVINCIALES EPISTOLAS

Latinè redditas, & notis illuſtratas,

PRÆLOQUIUM.

Celebres illas ad Provincialem amicum Montaltii Epiſtolas, in Latinam è Gallicâ linguam tranſlatas, tuæ, catholice & erudite Lector, utilitati dicamus, judicio permittimus: de quarum pretio tametſi multa à multis audire potuiſti, à nobis tamen nihil audies. Purum enim & integrum ad eas legendas accedere te volo, ac tuo magis quàm alieno lumine de illis ſtatuere. Unum monebo, ſi modò ſparſæ ab Jeſuitis adverſus has Litteras voculæ animum tuum occuparunt, æquitatis eſſe ut ante omnia ad illam te redigas quæ Lectores decet præjudiciorum vacuitatem: rediges autem facilè ſi vel illa tantiſper ſeponas, dum totum hunc libellum perlegeris, vel quod multò conſultius, eas primùm adeas illius partes, in quibus Jeſuitarum calumniis occurritur. Eſt enim ille

non modò ad invadendos adverſarios inſtructus; ſed etiam ad ipſorum petitiones repellendas munitus. Multas Jeſuitarum criminationes ipſe Montaltius octo poſtremis Epiſtolis retundit: nos reliqua ipſorum tela in notis noſtris revulſimus.

Itaque vix ullum credo eſſe ſcrupulum, cujus hîc non invenias medicinam. Nam ne leviores recenſeam, ſi te fortè ſolita Jeſuitarum querela pulſavit, Montaltii litteras ſcatere calumniis, & charitatem procaci dicacitate violare, totum hoc tibi Epiſtola undecima commentum abiget.

Sin audiſti ab hæreticis ſumpta quæ Jeſuitis objectat, habes hoc exploſum in notis Epiſtolæ quintæ præambulis.

Sin autem te fictitiæ hæreſcos formidines agitent, Epiſtola 17. & 18. hoc terriculum amovebunt: ut omittam morales quæſtiones in quibus hæ litteræ ferè totæ verſantur, ab his quæ ante fervebant, nunc reſtinctæ videntur, de gratia controverſiis disjunctiſſimas eſſe. Exagitant quidem tres priores Sorbonicam Cenſuram. Sed illa quid ad quinque propoſitiones de quibus eſt Pontificia Bulla? Duæ poſtremæ quæſtionem facti de Janſenio hactenus attingunt, ut doceant in quæſtione facti locari hæreſim non poſſe; quod ita apud omnes, quotquot unquam fuere, catholicos ſcriptores conſtat, ut negari ſine hæreſi non poſſit. Itaque Epiſtolam 18. ipſi adverſarii non improbarunt: tantùm aliter olim ſenſiſſe Augu-

ſtinianos

ſtinianos Theologos frigidè & ſummiſſè dixerunt.

Habes, Lector, præjudiciis tuis quâ ratione mederi poſſis. De ſtylo quo has Epiſtolas reddidimus non tam facile eſt tibi ſatisfacere. Non enim dubito quin multa jure poſſis reprehendere, & pluribus in locis Gallicarum Epiſtolarum ſingularem illum & verè Atticum nitorem in Latinis deſiderare. Addam etiam & ingenuè profitebor nullo ferè me loco vernaculam elegantiam æquaſſe, in multis etiam immenſum ab eâ abfuiſſe.

Cur ergo, inquis, oneri ſuccedebas, cui te imparem fuiſſe confiteris, præſertim cùm nullum unquam opus dignius fuerit in quo quis omnes Ciceronianos, Horatianos, & Terentianos lepores conſumeret? Reſpondebo breviter, & me in eo docebo vel levem culpam commeruiſſe, vel nullam. Primùm quòd non uſquequaque Gallicæ elegantiæ Latina reſpondeat, non ſemper interpretis vitio dandum: efficit enim hîc aliquid ipſa Latinæ linguæ natura contumax quodammodò & refractaria, quæ cùm proprium nec aliunde expreſſum vultum vel pulcherrimum habeat, non feliciter imitatur alienum. Quotusquiſque enim in hoc genere ſe probavit, & eum quem latinè effingebat ſcriptorem æquavit? Scio Politianum in Herodiano, Billium in Gregorio Nazianzeno à multis laudatos: ſed in his ipſis quàm intelligentes multa requirunt! Non placet

Eraſmo in vertendis græcis ipſe Cicero: quo minùs mirum eſt Eraſmum in his quæ de græcis latinè extulit, non multùm iis placere qui ejus orationem latinam cum græco exemplari contendunt.

Non is ſum tamen qui quicquid à me vel incuriâ vel inſcitiâ in hoc opere peccatum eſt, totum id velim in linguæ difficultatem conditionemque refundere; nec ignoro has Epiſtolas elegantiùs multò reddi potuiſſe, ſi quem interpretem nactæ eſſent eâ quâ par erat latinitatis ſcientiâ inſtructum. Verùm & tales invenire difficile eſt; & qui verè tales erant, aliis diſtricti ſtudiis ab hoc labore ſuſcipiendo alienos noveram. Interim verò audiebantur eſſe nonnulli, qui in hunc involare adornarent, cùm nec à latinæ elocutionis facultate ſatis parati, nec à rerum ipſarum cognitione ſatis inſtructi eſſent. Ab his metus erat ne non tam Epiſtolarum iſtarum detereretur ſplendor, quàm ne res ipſæ contortis explicationibus pervertere ntur. Mirum enim quantum in Montaltii litteris temperamentum; quàm periculoſum ſit eas vel mollire vel acerbare; quàmque vix poſſit ab ejus mente tantillum ſine errore deflecti. Quo commoti amici quidam mei, mihi, ut id ipſum aggrederer, autores vehementer fuerunt, quorum ego voluntati ceſſi, autoritati parui, ut ſi minùs illæ Epiſtolæ ornatum omnem ſuum in peregrino habitu retinerent, ſaltem ne quid integritatis ac veritatis amitterent.

Hoc

Hoc verò à me præſtari poſſe confidebam, quòd multam operam in rimandis Caſuiſtarum ſenſibus poſuiſſem; nec levem etiam cum quibuſdam Pariſienſibus Theologis iſtarum controverſiarum peritiſſimis dum ibi verſarer uſum & familiaritatem contraxiſſem, qui mihi in hoc opere magnas utilitates præbuerunt. Horum etiam operâ ne quid accurrationis deeſſet, has Epiſtolas latinè jam expreſſas ad ipſum Montaltium curavi tranſmittendas, quas ille & emendare, & emendatas probare dignatus eſt. Ergo quantùm diligentiâ effici poteſt, rerum ipſarum fidem integram præſto. De ſtylo nihil aliud affirmo, niſi id me operam dediſſe ne prorſus ingratus eſſet Lectoribus, in quo quid effecerim, non meum, ſed Lectorum judicium eſt.

Ac illâ quidem ratione placandus mihi viſus es, Lector, ſi te fortè hæ litteræ vel rebus vel elocutioni iniquiorem offenderent: ſin autem contrà ad illarum Lectionem laudator potiùs quàm reprehenſor accedis, non amplectar continuò voluntatem tuam, ni priùs norim unde prodeat. Montaltii Epiſtolæ verè laudari poſſunt, imò non laudari niſi iniquè non poſſunt: poſſunt tamen etiam illæ malè laudari, non ipſarum quidem vitio, ſed Legentium. Nam ut nihil in rebus humanis ſic undique perfectum quo non abutatur depravatus cordis affectus; ſic illâ vehementiâ quâ in Jeſuitarum corruptelas Montaltius invehitur, tam juſtâ illâ, tam neceſſariâ poſſunt non-

 nulli,

nulli,non tam alere vitiorum odium, quod virtutis eſt, quàm animi in ipſos Jeſuitas malignitatem paſcere, quo nihil virtuti inimicius.

Tales ego in ipſo limine monitos volo, nihil eſſe ab iſtarum litterarum propoſito alienius; parumque apud Deum profuturum ipſis quòd vera vitia inſectantur, ſi vitiorum odium in perſonas transferunt; imò verò hoc ipſo convincuntur vitia non odiſſe, quòd iſtam in ſe non oderunt malignitatem. Ergo ſi quid in his litteris acriter, ſi quid facetè in Jeſuitas dictum eſt, totum id in eorum vitia ſciant eſſe conjectum, nihil in ipſos; cumque animi induant habitum, quem omnibus præcipit Auguſtinus his verbis: *Diligite homines, interficite errores: ſine ſuperbiâ de veritate præſumite, ſine ſævitiâ pro veritate certate; Orate pro eis quos redarguitis atque convincitis.*

Utrum mihi talis affectio fuerit uni Deo notum eſt. Vt hoc de nobis homines credant, ſatis eſt quòd nullam habeant cauſam aliter ſentiendi, quam certè in his notis nullam invenient. Omnia, ni fallor, in mitius adducta Lector animadvertet. Eſt tamen ubi ipſæ res verba rapuerunt, ut acrior in ipſos & vehementior oratio fieret; ſed in his ipſis locis ſi vehementia non defuit, acerbitas certè defuit.

Eſt aliud etiam magnopere cavendum his qui illas litteras lecturi ſunt, ne quales hìc verè exhibentur Jeſuitæ, tales eſſe cæteros Eccleſiæ catholicæ ſacerdotes & Religioſos putent. Prorſus

enim

enim iſtæ corruptelæ, ſi cæterorum catholicorum multitudinem ſpectes, intra paucos ſteterunt. Primùm quàm ab iis abhorreant populorum animi, ſatis ipſi clamoribus & publicâ horum dogmatum deteſtatione teſtantur. E ſacerdotibus omnes fere hierarchici in eadem inſurrexerunt; præcipuè verò Galliarum Parochi mirum in iis inſectandis fidei ardorem oſtenderunt; nec obſcure tota S. Benedicti, & S. Dominici familia, ac Congregationis Oratorii Presbyteri, quàm ab iſtis ſententiis alieni ſint paſſim ſignificant. Soli penè Jeſuitæ in hoc luto hærent: qui ad iſtius doctrinæ patrocinium univerſæ Societatis vires conferunt.

Quarè nihil ex his qui hîc nudantur ipſorum circa mores erroribus adverſus Eccleſiæ ſanctitatem eliciant Acatholici, cùm eos videant palam in Eccleſiâ improbari, agnoſcantque potiùs ſingularem Dei in Eccleſiam ſuam benignitatem & curam, quâ veritatem malis multorum moribus obrui non ſinit, ſed ipſi ſemper intrepidos defenſores excitat.

Nec verò ſibi blandiantur quòd ab his fortè doctrinæ flagitiis alieni ſint; imò ſui potiùs miſereantur, quòd nihil ipſis profuturum ſit ab his corruptelis alienos eſſe, cùm & longè gravioribus hæreſibus implicentur, & fruſtra fiat, quicquid boni extra Eccleſiam catholicam fieri videtur. *Quanti*, inquit Auguſtinus in pſal. 83. *videntur præter Eccleſiam bona operari; quàm*

multi etiam Pagani paſcunt eſurientem, veſtiunt nudum, ſuſcipiunt hoſpitem, viſitant ægrotum, conſolantur incluſum; quàm multi hæc faciunt? Quaſi videtur parere turtur, ſed non ſibi invenit nidum. Quàm multa multi hæretici non in Eccleſiâ operantur, non in nido pullos ponunt; conculcabuntur & conterentur, non ſervabuntur, non cuſtodientur. Cujus doctrinæ alibi ille eam rationem affert, quòd *charitatem ſine quâ nihil bene fit, nemo de Eccleſiâ catholicâ dimovet. Sacramenta,* inquit ille in pſal. 21. expoſ. 2. *ſibi hæretici dividere potuerunt, charitatem non diviſerunt; & quia dividere non potuerunt, receſſerunt; illa autem manet integra. Sorte obvenit quibuſdam; qui habet hanc ſecurus eſt. Nemo illam movet de Eccleſiâ catholicâ; & ſi quis foris illam incipiat habere, intromittitur, quomodò ramus olivæ à columbâ. Inhabitent ergo terram, ſi velint ſibi prodeſſe bonitatem,* inquit idem; *terra autem Domini Eccleſia ejus, ipſam colit, ipſam rigat, ille agricola, ille pater.*

Nec verò illi in ſeceſſionis ſuæ ſpeciem malos catholicorum mores obtendant, cùm didiciſſe ex Evangelio debuerint, in areâ Domini & triticum & Zizania eſſe, in ſagenâ Domini bonos piſces & malos, quorum ſeparatio nonniſi in futuro ſeculo fiet. Audiant ergo potiùs ſalutares illas Auguſtini voces: *Tolera Zizaniam, ſi triticum es; tolera paleam, ſi frumentum es; tolera piſces malos intra retia, ſi piſcis bonus es. Quarè ante tempus ventilationis avolaſti? Quarè ante*

tempus

tempus meſſis etiam frumenta eradicaſti tecum? Quarè antequam ad littus venires retia dirupiſti. Hæc illis quicunque à noſtrâ communione miſerrimo ſchiſmate receſſerunt, omnes catholici Auguſtini voce dicimus & optamus: hæc ego illis præſertim dico & opto, qui in has litteras incident, eaſque tractabunt; ne fortè inaniſſimâ voluptate de catholicorum morbis gaudeant, & ſe *immaniſſimo*, ut ait Cyprianus, ſchiſmatis *crimine* mortuos aut ignorent, aut negligant.

Abſolutis illis ſive iniquis iſtarum Epiſtolarum reprehenſoribus, ſive malignis laudatoribus, ſupereſt ut omnes generatim Lectores admoneam quod fuerit noſtrum in longioribus illis quas addidimus notis inſtitutum, & quid ex iis fructus capere poſſint. Multas quidem, ut dixi, Jeſuitarum criminationes depulit Montaltius octo poſtremis Epiſtolis; ſed tamen typographorum difficultate præpeditus nonnullas omiſerat, quaſdam etiam quaſi minutiores neglexerat: has ego cùm viderem paſſim à Jeſuitis circumferri, & ſubdolè imperitis obtrudi, committere nolui ut in his quas latinè edebam litteris, aliquid diſſimulatum jactare poſſent.

Cœpi igitur omnes illas quiſquilias conquirere, conquiſitaſque confringere: ſed ne noſter hic labor ingratus & inutilis eſſet Lectoribus, graviſſimas ex Morali Theologiâ quæſtiones admiſcui, breviter quidem, nec tamen indiligenter pertractatas. Itaque in his notis præter ſingula-

res

res quæſtiones, præcipua etiam iſtius diſciplinæ principia explicata, reperies, quod facili enumeratione ſciri poteſt.

Tota moralis diſciplina in humanis actibus dirigendis eſt: in illis autem ſpectandum quid neceſſarium ſit ut humani ſint, quid ut boni: humani dicuntur actus ſi voluntarii: bonitas regulâ & fine pendet. Regula duplex: conſcientia, & lex divina. finis unicus, Deus ſcilicet charitate dilectus. Hæc omnia variis erroribus à Caſuiſtis perverſa, variis hujus libri locis emendantur, reſtituuntur, explicantur.

Quid neceſſarium ſit ut voluntaria dicatur actio totâ Epiſtolâ quartâ Montaltius; nos additis ad illam Epiſtolam notis exequimur, in quibus ridiculum Apologiſtæ Caſuiſtarum de bonis cogitationibus de quibus non cogitetur, ſomnium elidimus.

Duplex morum regula; nempe lex divina, & conſcientia, latè in additis ad quintam Epiſtolam notis ſtabilitur, totaque probabilitatis machina non perfunctoriè ſubruitur; quod quanti ad totam hanc ſcientiam interſit, non ignorant qui Caſuiſtas deguſtarunt. Nec verò generatim modò illic docemus tum falſâ opinione, quantumvis à centum Caſuiſtis judicetur probabilis, in jure naturali neminem excuſari; tum minùs probabili & minùs tutæ ſententiæ, relictâ probabiliore & tutiore adhæreſcere nefas eſſe: ſed hujus etiam quæſtionis ramos perſecuti, illicitum

eſſe

eſſe probamus, aut varios adire Caſuiſtas commodioris eligendæ ſententiæ gratiâ, aut ex eâ ſententiâ quam falſam ſpeculativè putes, conſilium dare, quia conſulenti ſit optatior.

In finem noſtrorum actuum, nempe Deum charitate dilectum, horribiliter Jeſuita Sirmundus peccaverat infando illo dogmate, quo conceſſum Chriſtianis docet actus ſuos per totam vitam nunquam ad Deum verâ charitate referre. In hunc nos latè additis ad Epiſtolam decimam notis invecti ſumus: Jeſuitæ fundamenta disjecimus: ratiunculas exſufflavimus; & earum occaſione aliquos ſancti Thomæ articulos ſatis obſcuros, ut Lectori conſtaret operæ ſuæ fructus, expoſuimus.

Atque hæc de primoribus morum principiis, etſi pro rei gravitate ſatis ſtrictè, tamen ad refellendos Caſuiſtas ſatis amplè diſputata ſunt. Nec deſunt præterea etiam alia quaſi ſecundaria principia non jejunè tractata, in quibus eſt illa de legibus eccleſiaſticis, & earum per deſuetudinem abrogatione Diſſertatio, ſextæ Epiſtolæ ſubjuncta, ad comprimendam Caſuiſtarum licentiam, qui leges Eccleſiæ cùm pro libito neglexerint, non multò pòſt abrogatas eas deſuetudine clamitant.

Porrò ad præceptorum divinorum vim retinendam perutilis inprimis illa diſputatio, quâ exceptiones novas Dei legibus citra Scripturæ vel Traditionis autoritatem additas, nefarias &

cer-

certiſſimè rejiciendas eſſe Parochorum Pariſienſium veſtigiis inſiſtentes docemus.

Ad fallaces verò intentionis dirigendæ methodos detegendas ſubjuncta ad Epiſtolam ſeptimam nota non mediocrem afferet lucem. Mitto minutiora capita perſequi, quæ in indice facilè cerni poſſunt.

Cæterùm in his notis duos mihi adverſarios ſumpſi: unus eſt ille Jeſuita qui inter Montaltii Epiſtolas, quaſi inter olores anſer, ingratis næniis intercinebat; quas nænias poſtmodum Jeſuitæ Leodii uno volumine collegerunt. Hic primus adverſarius noſter, idemque præcipuus: hujus cavillationes omnes vel in ipſo Montaltio, vel in notis videbis obtritas: ne autem erretur in nomine, Jeſuitarum patronus vel Apologiſta à nobis ille perpetuò dicetur.

Alter adverſarius is eſt, cujus nomen Pariſienſes & Rothomagenſes Parochi detulerunt ad Eccleſiæ tribunalia: immanis ſcilicet ille Caſuiſtarum Apologiſta, ſpes olim ingens Jeſuitarum, nunc pudor & metus, quem nos hoc nomine ex libri titulo ſemper appellabimus, quamvis in Galliâ notum ſit & hunc librum à Jeſuita Pirotio conſcriptum, qui non inſolito ſuis artificio ſecularem Doctorem mentitus ſit, & propterea quaſi ſuæ Societatis fœtum à Jeſuitis Pariſienſibus in Claromontano ſuo collegio publicè divenditum. Hunc tametſi multis locis perſtrinximus, quibuſdam etiam ex profeſſo confutavimus:

mus: non tamen in omnibus revincere ſtudio fuit, ne clariſſimis Parochis in ejus excidium armatis debitam laudem præripere videremur.

Imò ne quid mihi alienum arrogem, ingenuè fateor, quædam me ex Parochorum Pariſienſium ſcriptis hucuſque perlatis, quædam etiam ex Gallicis commentariis ſumpſiſſe à Pariſienſi ſacerdote ad me tranſmiſſis, qui utinam aliquando edantur in lucem, ne Galli multa in his notis ſtrictim expoſita videre cogantur, quæ ibi longè pleniùs & ornatiùs explanata habituri ſunt.

Hæc ſunt, catholice lector, de quibus te præmoneri neceſſarium duxi. Reliqua meliùs ex iis ad quas te voco, litteris diſces.

INDEX

INDEX EPISTOLARUM ET NOTARVM.

EPISTOLA PRIMA AD PROVINCIALEM. Pag. 1

IN EANDEM

NOTA I. *Quo ſenſu ſcriptor Epiſtolæ rejiciat poteſtatis proximæ voces.* 10

NOTA II. *De Patre Nicolai Dominicano,* 11

NOTA III. *De Moynio Doctore. ibidem.*

NOTA IV. *De novis Thomiſtis, & Moynii diſtinctionibus.* 12

EPISTOLA SECUNDA AD PROVINCIALEM. 12

IN EANDEM

NOTA I. *De* VOCABULO GRATIÆ SUFFICIENTIS. *Vbi oſtenditur Quoſnam Dominicanos exagitet hæc epiſtola.* 22

NOTA II. *De Clepſydra.* 23

NOTA III. *Quo pacto Ieſuitæ Calviniſmi Thomiſtas inſimulent.* 23

AMICI PROVINCIALIS AD LUDOVICUM MONTALTIUM

De ſuperioribus litteris Epiſtola. 24

EPISTOLA TERTIA AD PROVINCIALEM. 25

IN EANDEM

NOTA UNICA. *Explicantur nonnulla ad hujus Epiſtolæ intelligentiam neceſſaria.* 33. 34

EPISTOLA QUARTA AD PROVINCIALEM. 35

IN EANDEM

NOTA I. *Ieſuitarum doctrina de bonis cogitationibus ſemper præſentibus, à Sorbona & Lovanienſi Facultate damnata.* 46

NOTA II. *Refellitur cogitationum de quibus non cogitetur, inane commentum.* 48

NOTÆ PRÆAMBULÆ *in ſequentes Epiſtolas, ad Theologiam moralem ſpectantes.* 50

NOTA I. *Quod ſit iſtarum notarum conſilium.* 50

NOTA II. PRIMA QUERELA JESUITARUM. *Exprobrari ſibi à Montaltio, quæ Eccleſiæ ab Hæreticis exprobrentur.* 51

NOTA III. *Refellitur querela Ieſuitarum; Quod ipſis tribuantur quæ ipſi ab aliis hauſerint.* 55

NOTA IV. *De omiſſis ſcriptorum nominibus querela retunditur. S. Thomas inſigniter à Ieſuitis falſatus.* 55

NOTA V. *De locis collatis atque contextis.* 57

NOTA VI. *De circumſtantiis omiſſis.* 57

EPISTOLA QUINTA AD PROVINCIALEM. 59

IN EANDEM

NOTA I. SIVE DISSERTA-

TA-

TATIO THEOLOGICA *de* PROBABILITATE. 73
SECTIO PRIMA. *Controverſiæ ſtatus breviter exponitur.* 73
§. 1. *Indicantur cavilli Ieſuitarum circa probabilitatis doctrinam. Laus Parochorum Pariſienſium.* 73
SECTIO II. *De* I. PROBABILISTARUM AXIOMATE. *Probabilem omnem opinionem etiam falſam & legi divinæ contrariam à peccato coram Deo excuſari.* 76
§. 1. *Ejus falſitas ex Sancto Thomâ demonſtratur.* 76
§. 2. *Idem probatur ex ſcripturis, & Patribus.* 77
§. 3. *Theologicis argumentis convellitur Probabilitatis commentum.* 79
SECTIO III. *Idem Probabilitatis commentum quibuſdam ejus conſectariis evertitur.* 82
§. 1. *Conſectarium primum.* 82
§. 2. *Conſectarium ſecundum.* 83
§. 3. *Conſectarium tertium.* 83
§. 4. *Conſectarium quartum.* 84
§. 5. *Conſectarium quintum.* 84
§. 6. *Conſectarium ſextum.* 88
§. 7. *Monitum de Probabilibus ſententiis falſis, juri tantum poſitivo adverſis, quatenus illæ excuſent, vel non excuſent.* 89
SECTIO IV. *De altero Probabiliſtarum axiomate. E duabus opinionibus contrariis, minus probabilem, & minus tutam, amplecti licere.* 90
§. 1. *Variis argumentis hæc doctrina confutatur. ibid.*
§. 2. *Hac Doctrinâ ſcrupulis anxiam non effici bonorum vitam, ut objiciunt Ieſuitæ.* 93
SECTIO V. *De duobus erroribus ſecundi axiomatis conſectariis; nempè, licere Theologo ex opinione probabili quam falſam putet, conſilium dare: licere item cuivis varios adire Caſuiſtas, quoad repererit qui ad libitum reſpondeat.* 94
§. 1. *Explicatur, & refellitur primus error.* 94
§. 2. *Secundus error refellitur.* 97
SECTIO VI. *De Caſuiſtarum autoritate ad Probabilitatem opinionibus ſuis conciliandam.* 101
§. 1. *Quod pluribus Caſuiſtis probabile videtur, meritò à bonis & doctis improbabile nonnunquam exiſtimari. Quam fluxa ſit Caſuiſtarum autoritas.* 101
§. 2. *Quidam Caſuiſtæ opiniones improbabiles potiùs quam probabiles faciunt aſſenſu ſuo.* 102
§. 3. *Nihil ex eo autoritatis accedere Caſuiſtis, quòd multa ſcripſerint; ſed aliquid potiùs decedere.* 103
SECTIO VII. *Diſſolvuntur Ieſuitarum criminatione.* 105
NOTA II. *De* FILIUTII *doctrinâ, fatigatum illicito labore jejunii lege ſolventis.* 108
Hanc Filiutii doctrinam Eſcobarii verbis expreſſam, meritò Cenſura notavit Lovanienſis Facultas anno ſuperiori 1657. *ibidem.*
TERTIA PROPOSITIO.
Defeſſus ex quocumque labore licito vel illicito; v. g. cum fœminis commixtione, liberatur à lege jejunii. 108
CENSURA. *Falſa, & caſtis auribus horribilis.* 108
NOTA III. *De* BAUNII *ſententia ſub mortalis peccati pœna Confeſſariis præcipientis, ut abſolvant pœnitentes probabilem opinionem ſecutos.* 110
NOTA IV. *De Ioanne Sancio, quem Ieſuitæ tamquam eruditiſſimum morum doctorem prædicant.* 112

Nota V. *Quo pacto Ieſuitæ, Patres in morum doctrina revereantur, ubi de locis Reginaldi & Cellotii.* 113

EPISTOLA SEXTA AD PROVINCIALEM. 116

IN EANDEM

Nota Prima. *Inepta Ieſuitarum ſuper Aſſaſſini nomine reprehenſio.* 130

Nota II. *De Filiutii Decreto, Eccleſiæ leges deſuetudine abrogari.* 131

Quam pernitioſè illo abutantur Ieſuitæ, & ipſe Filiutius. ibid.

Dissertatio Theologica: *De perpetuitate Canonum, & veteris Eccleſiæ diſciplina circa ſacerdotes lapſos.* 132

Sectio I. *Quid Conſuetudo ad minuendam canonum autoritatem valeat, aut non valeat, certis regulis.* 132

§. 1. *In Varietate diſciplinæ immutabilis Eccleſiæ ſpiritus. ibid.*

§. 2. *Eccleſiæ decreta, quatenus aliquid juris admixtum habent, ſemper obligant. Egregius ea de re Thomæ locus.* 133

§. 3. *Non continuò abrogata cenſeri debere Eccleſiæ præcepta, cùm abuſus ipſis contrarius per aliquod tempus inolevit.* 136

Sectio II. *Quantum in has regulas peccent recentiores Caſuiſtæ.* 139

§. 1. *Primum exemplum ex Suare, ſacerdotum in ambiendis pinguioribus beneficiis avaritiam non improbante. ibidem.*

§. 2. *Alterum exemplum ex Filiutio & Thoma Sanctio, Eccleſiæ ſanctionem de Blaſphemis ſine gravi pœnitentia non abſolvendis, conſuetudine abrogatam eſſe cauſantibus.* 140

Sectio III. *Exemplum ipſum à Montaltio commemoratum ex Baunio, cujus occaſione antiqua Eccleſiæ diſciplina circa Presbyteros lapſos, ejuſque collapſio exhibetur.* 143

§. 1. *Refertur turpiſſima Baunii & Maſcarenhæ Ieſuitarum doctrina. ibid.*

§. 2. *Ob crimina, & maximè ob ea quæ caſtitatem violarent, laicos per longum tempus communione, ſacerdotes ac diaconos in perpetuum ſacris miniſteriis eſſe privatos. ibid.*

§. 3. *Gregorii locus his decretis contrarius certiſſimè à falſario confictus.* 145

§. 4. *Additamenti iſtius autorem videri Iſidorum, notiſſimum impoſtorem.* 147

§. 5. *Ex ſpuriis Calixti, Gregorii, & Iſidori Hiſpalenſis Epiſtolis antiqua erga ſacerdotes lapſos diſciplina collapſionem fluxiſſe.* 148.

§. 6. *Flagitioſam eſſe Maſcarenhæ & Baunii doctrinam, etiam ex collapſa Eccleſiæ diſciplina probatur.* 150

§. 7. *Horrenda Eſcobarii doctrina repræſentatur.* 154

Nota III. *Baunii ſententia de famulis bona dominorum occulta compenſatione ſurripientibus, à duabus facultatibus, Pariſienſi & Lovanienſi damnata.* 155

EPISTOLA SEPTIMA AD PROVINCIALEM. 157

IN EANDEM

Nota Unica. *De Ieſuitica dirigendæ intentionis methodo.* 137

EPISTOLA OCTAVA AD PROVINCIALEM. 176

IN

IN EANDEM

Nota Prima. *De judicibus, quos pecuniæ ob injuſtam ſentententiam acceptæ reſtitutione liberant Ieſuitæ.* 190

§. 1. *Nihil à Montaltio peccatum in referendâ ſuper hâc re Leſſii ſententiâ. ibid.*

§. 2. *Evertitur Leſſii ſententia.* 192.

§. 3. *Reſpondetur minutioribus cavillis.* 194

Nota II. *Quàm flagitioſè Ieſuitæ, quæ meretricibus leges concedunt, ad honeſtas mulieres, virgines, & Religioſas extendant.* 196

Nota III. *De contractu Mohatra.* 199

Nota IV. *De Vſurâ.* 200

EPISTOLA NONA AD PROVINCIALEM. 202

IN EANDEM

Nota Prima. *Vera in Deiparam pietas à ſpuriâ & falsâ ſejungitur.* 217

Nota II. *Baunii de ſtupro ſententia ſumma æquitate à Montaltio repræſentata, reprehenſa. Ipſe iniquiſſimè à Ieſuitis calumniæ poſtulatus.* 222

Nota III. *Refellitur Epicurea Eſcobarii de ſenſuum voluptatibus non neceſſaria ſententia.* 223

EPISTOLA DECIMA AD PROVINCIALEM. 227

IN EANDEM

Nota Prima. *De abſolutione peccatoribus in eadem ſemper flagitia relabentibus concedenda, etſi emendationis futuræ ſpes nulla appareat.* 244

Nota II. *Refellitur Ieſuitarum hæreſis de attritione naturali.* 247

Nota III. *Sive diſſertatio Theologica de Præcepto amandi Dei.*

Sectio I. *Antonii Sirmundi Ieſuitæ adverſus hoc præceptum intolerandi errores proponuntur.* 252

§. 1. *Vera notio divini amoris.* ibidem.

§. 2. *Accurata explicatio doctrinæ Antonii Sirmundi.* 253

§. 3. *Eadem doctrina ab eodem Sirmundo confirmata in alio libello quem inſcripſit*; Reſponſio ad libellum famoſum. 255

Sectio II. *Fraudulentæ Sirmundi diſtinctiunculæ explodunt ur.*

§. 1. *Eliditur prima de amore affectivo & effectivo.* 256

§. 2. *Evertitur ſecunda diſtrictio duplicis præcepti, rigoris, & clementiæ: oſtenditur Chriſtum morum magiſtrum abnegari, Baptiſmo renuntiari, totam Religionem Chriſtianam extingui, ſi negetur hominibus præceptum in rigore eſſe, ut Deum vero & interiori affectu diligant.* 258

Sectio III. *Vindicantur autores quibus ad confirmandum errorem ſuum Sirmundus abutitur.* 262

§. 1. *Explicatur Bernardi locus. ibid.*

§. 2. *Inſignis Sirmundi fraus in Vallii opinione referenda.* 264

§. 3. *Alienus ab errore Sirmundi Gerſon oſtenditur. ibid.*

Sectio IV. *Expoſitis à ſancto Thoma principiis refellitur error Sirmundi.* 269

§. 1. *Primum Principium Sancti Thomæ: Præcepta Dei eſſe de neceſſitate ſalutis.* 269

§. 2. *Secundum Principium: Omnium*

nium mandatorum maximum eſſe mandatum dilectionis proximi. 269

§. 3. *Tertium Principium : Quicquid fit contra legem, eſſe peccatum mortale : ſolum peccatum mortale eſſe contra legem.* 270

§. 4. *Quartum Principium : Præcepta dari de actibus, non de habitu virtutum.* 271

§. 5. *Quintum Principium: Actum amoris primo præcepto mandatum ab obſervatione aliorum præceptorum eſſe diſtinctum.* 272

§. 6. *Sextum Principium : Nullus amor Dei naturalis in ſtatu naturæ lapſæ.* 273

§. 7. *Quid ex ſupra poſitis principiis efficitur.* 274

SECTIO V. *Diluuntur objectiones Sirmundi ex S. Thoma petitæ.* 274

§. 1. *Explicatur* 2. 2. *qu.* 44. *articulus quartus, quo ille in errorem inductus eſt.* ibid.

§, 2. *Explicatur articulus ſextus ejuſdem quæſtionis, quo ſimiliter abutitur Sirmundus.* 277

§. 3. *Explicatur tertius locus S. Thomæ, perperam à Sirmundo prolatus.* 278

SECTIO VI. *Excutitur Apologiſta Sirmundi defenſor.* 280

NOTA IV. *Recte Montaltium Caſuiſtarum de amore divino opiniones riſiſſe.* 284

EPISTOLA UNDECIMA AD RR. PP. JESVITAS. 285

IN EANDEM

NOTA PRIMA. *De Iocis Montaltii. Quam prudenter ab illo delectum ſit hoc ſcribendi genus.* 300

NOTA II. *Nunquam de Roſario jocatus Montaltius. Meritò Gratiam ſufficientem in abſtracto irriſit.* 302

NOTA III. *Arma Moinii Ieſuitæ rubiginoſa patientia ſuſpecta. Garaſſi ſententia impietatis arguitur.* 302

EPISTOLA DUODECIMA AD RR. PP. JESVITAS. 304

IN EANDEM

NOTA PRIMA. *Sive Confutatio Ieſuiticæ Epiſtolæ adverſus ſuperiorem editæ.* 320

NOTA II. *Variæ Ieſuitarum corruptelæ circà reditus Eccleſiaſticos.* 329

NOTA III. *Explicatur & refellitur Caſuiſtarum Apologiſtæ doctrina de Simonia juris divini & poſitivi.* 332

EPISTOLA DECIMA-TERTIA. AD RR. PP. JESVITAS. 335

IN EANDEM

NOTA UNICA *De Homicidio* 350.

§. 1. *Exploduntur cavilli leviores.* ibid.

§. 2. *Franciſci Amicì Ieſuitæ hiſtoria à Doctore Lovanienſi ſcripta.* 351

§. 3. *Cenſuræ duæ S. Facultatis Theol. Lovan. adverſus exitialem Amici Ieſuitæ doctrinam.* 354

§. 4. *Illuſtratur Amicì hiſtoria ex Caramuelis Theologiâ fundamentali.* 355

§. 5. *In diſtinctione ſpeculationis & praxeos quid reprehenſum à Montaltio.* 375

EPISTOLA DECIMA QUARTA. AD RR. PP. JESVITAM. 358

IN EANDEM

NOTA. *Sive Diſſertatio Theologica*

gica de Homicidio. 374

Sectio I. *Præſtruuntur quædam principia ad totam hanc de cæde doctrinam plenius intelligendam neceſſaria.* 374.

§. 1. *Primum Principium: Humana natura originis vitio voluntate quàm intellectu corruptior; hinc à recto de bonis maliſque rebus judicio, quàm à rectâ de Deo fide magis averſa.* 374

§. 2. *Alterum Principium. Senſus Scripturarum tam in fide, quàm in moribus ex Traditione petendus.* 376

§. 3. *Ex his principiis evertitur pernicioſa Caſuiſtarum patroni de cæde ſententia, & certa regula ad has quæſtiones excutiendas figitur.* 377

§. 4. *Neceſſaria quædam hujus regulæ conſectaria colliguntur.* 379

Conſectarium I. II. & III. 379

Sectio II. *Ieſuitarum de cæde Doctrina ex Patribus & Conciliis refellitur.* 380

§. 1. *Oſtenditur conſenſu Patrum, Ieſuitarum doctrinã damnari.* 380

§. 2. *Idem probatur ex Conciliis.* 382

§. 3. *Tertium argumentum ex Chriſtianæ patientiæ præcepto.* ibidem.

Sectio III. *Diſſolvuntur argumenta Ieſuitarum.* 384

§. 1. *Refellitur præcipua illorum argutia: Honor vitâ carior eſt: ergò licet pro honore occidere itidem ut pro vitâ.* 384

§. 2. *Obiter explicatur prudentis & pii Theologi inſtitutum in diſſolvendis morum quæſtionibus.* 387

§. 3. *Falſus clementiæ color opinioni ſuæ à Ieſuitis obtentus.* ibid.

§. 4. *Quam infirma ſint illa repagula, quæ deleto Dei præcepto nonnunquam ad inhibendam nimiam cædis licentiam opponunt Ieſuitæ.* 388

EPISTOLA XV. AD RR. PP. JESUITAS. 391

IN EANDEM

Nota I. *Ieſuitarum circa calumniam doctrina falſa, erronea, hæretica.* 408

§. 1. *Refellitur ex principiis ſupra poſitis.* 408

§. 2. *Confutatur argumentum Ieſuitarum, quo calumniam à crimine defendunt.* 410

§. 3. *Retorquentur Caſuiſtarum Apologiſtæ cavillationes duæ. Repellitur prima quæ calumniæ ſuſpicionem à Ieſuitis dimovet.* 411

§. 4. *Altera cavillatio: oſtenditurque etiam in veraces Societatis ſuæ accuſatores calumniandi licentiam Ieſuitas ſibi arrogare.* 413.

Nota II. *Exempla calumniæ Ieſuiticæ à Montaltio commemoratæ fraudulenter excuſari ab Apologiſta.* 414

Nota III. *Retunditur delicata Ieſuitarum querela qui ſe duriùs habitos dictitant, quòd illos impudentiſſimè mentiri dixerit Montaltius.* 416

Catalogus calumniarum novi Caſuiſtarum Apologiſtæ. 417

EPISTOLA XVI. AD RR. PP. JESUITAS. 419

IN EANDEM

Nota I. *Furioſa Ieſuitarum in horrendis calumniis contumacia.* 441.

Nota II. *Hiſtoria precatiunculæ de ſancto Sacramento.* 444

Nota III. *Brevis narratio Miraculorum quæ per vivificam ſpinam in Portus Regii monaſterio Pariſiis edita ſunt.* 447

EPISTOLA XVII. AD R.P. ANNATUM JESUITAM. 450

EPISTOLA XVIII. AD R.P. ANNATUM JESUITAM. 473

ADMONITIO
AD
LECTOREM,

Singularum Epiſtolarum argumenta complectens, Gallicæ earum editioni præfixa:

A

WENDROCKIO

In Latinam converſa.

Tantos ex his Epiſtolis ad Provincialem amicum ſcriptis fructus cepit Eccleſia, ut è publicis commodis eſſe judicarim in unum illas colligi corpus, quò ſic collectis & firmitas ſimul & perennitas accederet. Robur enim illæ & pondus ſingulæ ex ſingulis trahunt. His rationibus inducti uno illas volumine conjunctim edendas curavimus. Sed ne Lectores ſingularum Epiſtolarum argumenta requirant, breviter illa in ipſo limine explicari non erit alienum.

Priores Epiſtolæ anno 1656. ineunte conſcriptæ ſunt, cùm in Sorbonâ altera Arnaldi Epiſtola excuteretur extraordinariis illis comitiis in quibus tot inuſitata fieri audiebantur, nemo ut eſſet qui non averet, ac ſua intereſſe arbitraretur, cognoſcere quid in his diſputationibus ageretur. Sed ut totius controverſiæ ſumma conſultò à nonnullis ſcholaſticarum vocum tenebris involuta ſolis demum Theologis patebat, inanis cæteros & irrita curioſitas angebat, nec levis habebat admiratio, cùm propter nulli conſpicuas quæ-

ſtiones,

ſtiones, tam conſpicuos viderent apparatus. Hoc rerum articulo in publicum manarunt iſtæ Litteræ, è quibus ſummâ cum voluptate quod requirebat quiſque cognovit. Harum enim ope compertum eſt duas expendi quæſtiones: unam facti, adeòque perfacilem; alteram juris, & graviorem & difficiliorem.

Juris quæſtio in eo erat, probandáne an damnanda quædam Arnaldi periodus ex duobus Eccleſiæ Patribus Auguſtino & Chryſoſtomo deſcripta ſyllabatim. Inter utriuſque partis Doctores illud conveniebat, hanc periodum in Patrum ſcriptis errore vacare; ſed in Arnaldi Epiſtolâ hæreticam illam eſſe ejus adverſarii contendebant, Arnaldi patronis cum fide deſcriptam, atque adeò catholicam eſſe contrà pugnantibus.

Ergo illi in ſegregandâ à Patrum locis Arnaldi periodo ſudabant; iſti contrà fictitia diſcrimina ab ipſis allata acerrimè repellebant. Quod cùm adverterent Moliniſtæ, eripiendam adverſariis ſuis ſuffragiorum libertatem judicarunt, contractis ad ſemihoræ anguſtias ſententiis, quàm arenariâ clepſydrâ metiebantur. Hanc libertatis oppreſſionem indignati Arnaldi defenſores, è comitiis receſſerunt, ac ſimul irrita quæ agerentur fore denuntiarunt.

Ita vacuam jam Sorbonam obtinentes Moliniſtæ, nemine contradicente quæ libuit effutierunt; ac de tribus præſertim capitibus ad gratiæ doctrinam pertinentibus multa diſputarunt, quæ his Litteris explanantur:

Epiſtola prima quid illi poſſe proximum dicant, nobis expedit.

Secunda gratiam ſufficientem exagitat.

Gratiam, ut loquuntur, actualem quarta explanat & evolvit.

Tertia verò Cenſuram proximè ſubſecuta, perfectam Arnaldinæ periodi cum Patrum locis conſenſionem demonſtrat; quæ tanta eſt, ut ne diſcriminis quidem umbram artifices Cenſuræ Moliniſtæ auſi ſint indicare. Ita quatuor his Litteris tota Sorbonica contentio breviter explicatur, collationum quarumdam narratione, quas ſe ſcriptor cum variis Doctoribus habuiſſe commemorat.

Perſonam autem hîc ſibi induit in his controverſiis rudiorem, cujuſmodi ferè ſunt qui in ſeculo verſantur, quorum hîc ſibi mores & formam aſciſcit; atque in Doctores quoſdam quos conſulit, ſenſim ad illas quæſtiones explicandas pertrahit, proponit dubia, reſponſiones audit; omnia autem tam ſimplici & perſpicuo ſtylo detegit, ut quæ ſolis demum doctis pervia putabantur, minùs intelligentibus plana & aperta fuerint.

Sex Epiſtolis ſequentibus, nempe 5. 6. 7. 8. 9. 10. Moralis Jeſuitarum diſciplina feſtivis quibuſdam dialogis exponitur. In his ſcriptor cum uno ex Jeſuitarum Caſuiſtis diſputat, hîc quoque ſecularem ſe hominem aſſimulans qui in ejuſmodi rebus minùs verſatus, erudiendum ſe Jeſuitæ tradat, à quo cùm nova quædam & infanda accipit dogmata, horreſcit quidem, ſed horrorem ſuum interim comprimit, & diſſerentem Jeſuitam quàm poteſt placidiſſimè audit. Ille autem cùm ſcriptorem noſtrum idoneum judicaret qui ſcholæ ſuæ placitis imbueretur, omnia ſimpliciter ac ſine fuco apud ipſum effundit: non latet tamen Jeſuitam docentem ſtupens in pleriſque diſcipulus; ſed quia ſtuporem illum ex ſolâ demum iſtorum dogmatum novitate putat exiſtere, pergit nihilominus, & ipſum modò iis rationibus ſtudet confirmare, quibus graviſſimi Societatis ſuæ Doctores ſententiis ſuis probabilitatem conciliare ſtuduerunt.

Ita perpetuò tenetur illa veri-ſimilitudo quam dialogi ratio poſtulat. Inducitur enim Jeſuita quidam minimè malus, quales inter eos permulti, qui Societatis ſuæ vitia averſaretur quidem ſi noſſet, ſed ea ne levi quidem ſuſpicione odoratur, tanta in ipſius animo adverſus ſcriptores ſuos veneratio viget. Horum nullum non ſanctum ac religioſum decretum putat; & eam ob rem magnopere cavet ne quid ipſe proferat quod non ex ipſorum libris hauſtum ſit; ſemper adeò ad confirmanda ſua decreta ipſorum loca profert ad literam, & cùm ipſos à ſe ſtare videt, ſecurum ſe penitus & tutum putans, quicquid illi ſcripſerunt non cunctanter expromit.

Hâc opinione imbutus totam ipſorum Moralem diſciplinam exponit, quaſi optimam vivendi inſtitutionem, & ad magnum ani-

marum

marum numerum ſervandum expeditiſſimam rationem : nec intelligit quam illi prudentem & chriſtianam temperationem ad hominum infirmitatem ſuſtentandam vocant , nihil aliud eſſe quàm politicum & aſſentatorium obſequium perverſis hominum cupiditatibus accommodatum. Hæc forma boni illius Patris & quaſi caracter.

Scriptor autem noſter qui nec illum offendere vult , nec rurſus ejus decreta probare , ambiguis jocis quæ dicuntur excipit , qui quamvis à quovis præjudicio liberiore non ægrè intelligantur , Jeſuitam tamen fugiunt , qui nullam aliam Eccleſiæ de moribus doctrinam , quàm illam Societatis ſuæ putans , facilè omnes ſecum ſentire exiſtimat.

Hic ſtylus ad certa uſque capita perducitur , in quibus vix ſe cohibet ſcriptor, adeò violatam his ludibriis Religionis ſanctitatem impatienter tolerat ; ſuſtinet ſe tamen ut poteſt, ne quid de decretis ſuis Jeſuita ſubtrahat. At cùm tandem ad eam partem ventum eſt, in quâ à Chriſtiani hominis officiis amandi Dei neceſſitatem removent Jeſuitæ, ac ſatis eſſe docent ſi Deus odio non habeatur, tum verò effervеſcit ille , & ſermonem abrumpit , totamque diſputationem cum decimâ Epiſtolâ concludit.

Satis hinc cerni licet quàm opportunum fuerit hanc materiam dialogis explicari. Sic enim non modò Jeſuitarum decreta produntur ; ſed etiam callida illa ratio quâ ea in vulgus inſinuant. Hanc enim vel maximè aperiunt fucati illi colores, quos ex præcipuis Societatis ſuæ ſcriptoribus hauſtos ſubinde ipſorum dogmatis allinit Jeſuita : ex quibus tamen manifeſtè pellucet Jeſuitarum in iſtâ morum diſciplinâ ſtabiliendâ conſilium.

Intelligitur enim non hoc ipſos præcipuè ſpectaſſe ut mores vel corrumperent vel emendarent, ſed ut flexibilibus inſtitutis omnes ad ſe allicerent. Hinc factum , ut pro variis hominum moribus varia haberent de moribus decreta : hâc autem decretorum varietate ſuſceptâ, neceſſariò inflectenda fuit rigida illa Evangelii norma , unum ſemper tenorem tenens , aliaque ſubſtituenda in ejus locum tenera, mollis , cerea , & in quamcunque velis ductilis formam : hæc illa eſt quam PROBABILITATIS *doctrinam vocant.*

Summa hujus doctrinæ eſt, licere cuique eam opinionem tutâ conſcientiâ ſequi, quam quatuor, vel tres, vel duo, vel unus etiam gravis Doctor tradiderit; itemque conſultum de aliquâ re Doctorem, poſſe reſpondere juxta probabilem aliorum ſententiam, quamvis ipſe Doctor ejuſmodi ſententiam ſpeculativè falſam eſſe certò ſibi perſuadeat, *ut ait Laimanus Jeſuita: adeóque cùm ex utrâque ſententiâ conſilium dare poſſit, prudenter facturum ſi eam in conſilio dando eligat, quæ conſulenti* favorabilior ſeu exoptatior ſit.

Ingens ille ad omnem corruptelam aditus quintâ, ſextâ, item decima-tertiâ Epiſtolâ retegitur, in quibus perſpicuè cernitur, tum omnes Caſuiſtarum aberrationes ex hoc probabilitatis fonte prodiiſſe, tum innumeras alias prodire in poſterum poſſe: quando ad novarum & nefariarum opinationum vim magnam efferendam ſufficit humanum ingenium; ad illas autem ſecuritate donandas ex falſâ illâ lege, volaticum eorum à quibus excogitantur Doctorum prolubium ſufficit. Hinc adeò extitit horribilis illa licentia omnigenis hominibus conceſſa, ſacerdotibus, religioſis, beneficiariis, nobilibus, famulis, actum rerum vel commercia exercentibus, magiſtratibus, locupletibus, egenis, fœneratoribus, conturbatoribus, latronibus, adulteris, imò ipſis etiam hariolis, quemadmodum in his ſex litteris videre eſt. Prolapſiones etiam ipſorum circa eleemoſynæ præceptum, ſimoniam, furta domeſtica, continet ſexta. Septima conceſſam ab ipſis homicidii veniam in omnibus injuriis quæ vitam, honorem, vel facultates attingunt. Remiſſum multis in locis reſtitutionis onus habet octava. Nona ſalutis iter variis ſuavitatibus lævigatum, & cum vitæ deliciis copulatum oſtendit. Poſtremò decima, quam claudit tributa à Jeſuitis amandi Dei immunitas, initio explicat quibus lenimentis illi Confeſſionis aſperitatem mitigarint, quorum ea vis eſt, ut quæ crimina aliis decretis illorum excuſari non potuerunt, novis illis methodis tam facilè deleantur, ut jam (ſi ipſorum verbis utendum eſt) alacriùs eluantur crimina, quàm committantur.

Senſerunt Jeſuitæ multùm his litteris famam ſuam paſſim imminui, & plùs etiam ſilentio ſuo: Hâc de cauſâ neceſſarium ipſis

reſpon-

reſpondendi conſilium viſum eſt, ſed idem ad exequendum impeditiſſimum. In hâc enim totâ controverſiâ duæ tantùm moveri quæſtiones poſſunt: una eſt, an ejuſmodi dogmata ſui Caſuiſtæ invexerint, quæ facti veritas eſt, quam nemo diffiteri poſſit: altera, an non hæc dogmata impia & nefanda ſint; quod item in dubium vocari nequit, adeò pingues & apertæ illorum prolapſiones ſunt.

Fruſtra ergo neſcio quæ ſcripta lucubrarunt tam infelici eventu, ut omnia inchoata & manca reliquerint. Primùm enim apparuit ab ipſis volatilis ſchedula cum hoc titulo: Prima reſponſio: *ſed hanc primam nulla ſecunda ſecuta eſt. Mox duæ deinde ad Philarchum litteræ prodierunt, quas nulla excepit tertia. Inde majus aliud opus moliti ſunt, quod Impoſturas appellarunt, in quatuor, uti minantur, partes diviſum; cujus poſtquam priorem partem cum duobus initiis protulerunt, hoc quoque incœpto deſtitêre. Poſtremò Pater Annatus qui ſuorum ſubſidio ultimus venit, emiſit opuſculum, quod* bonam Janſeniſtarum fidem *inſcripſit, in quo ea quæ ab aliis dicta erant iterat, nihil ampliùs, ut hæc ſcriptio omnium infirmiſſima ſit. Quamobrem Montaltio non difficile fuit adverſus tam imbelles adverſarios ſe tueri, quod in iis de quibus jam agendum eſt litteris præſtat.*

Salium & jocorum uſum exprobraverant Jeſuitæ: hanc ipſe criminationem undecimâ propulſat, & iniquiſſimam eſſe docet. Jocorum enim illorum materia non aliunde quàm ex ipſorum Jeſuitarum petitur locis, qui ſi tam abſurdi, tam ridiculi ſunt, ut riſum moveant, non alios debent incuſare Jeſuitæ quàm ſeipſos. Hoc ita eſſe Lector per ſe facilè judicabit. Certè à Montaltio, qui nec abrumpere inſtituta cum Jeſuita colloquia volebat, nec rurſus iis quæ dicebantur aſſentiri, nihil potuit aptius & opportunius fieri, quàm ut abſurda illa opinionum commenta latenter irrideret, eorum tamen impietatem validiùs obterendam in aliud tempus ita rejiceret, ut interim ſatis intelligentibus teſtaretur, quod luculentiùs pòſt ſuo loco profeſſus eſt, toto ſe animo ab his corruptelis abhorrere. Hâc viâ profectò non erat alia magis accommodata: eam autem ille ita ſecutus eſt, ut ſimul diligenter teneret omnia illa Patrum præcepta, quibus cavent ne jocis vel religio vel charitas violetur.

Duo-

Duodecimâ, decima-tertiâ & decima-quartâ ad reliquas ipſorum criminationes de locis Jeſuitarum minùs fideliter exſcriptis accedit; ac primò ſuam vindicat fidem: mox arreptâ inde occaſione eadem argumenta quibus illi ad calumniam abutebantur, latiùs ipſe perſequitur: pervicaciam in erroribus ſuis defendendis Jeſuitis exprobrat: Eccleſiæ decretis convellit Caſuiſtarum decreta circa ſimoniam, eleemoſynas, homicidia, & præcipuè circa probabilitatis doctrinam: ubique verò tam vehementer agit verſatque Jeſuitas, ut non dubium quin illi qui feſtivos ſuperiorum litterarum jocos tàm ægrè tulerunt, ſerios harum poſtremarum aculeos ægriùs multò & acerbiùs tulerint.

Poſtquam verò in ſingulis iſtis quibus appetitus erat calumniis, Jeſuitarum fraudem apertè coarguit, tandem Epiſtolâ decimâ-quintâ verum illarum retegit fontem, capitale ſcilic. illud dogma, totiuſque Jeſuiticæ calliditatis maximè ſtupendum, quo ex Theologiæ ſuæ placitis arbitrantur, nihil à ſe ſceleris admitti cùm iniquis Societatis ſuæ obtrectatoribus falſum crimen prudentes intendunt, ut illis eâ ratione fidem detrahant. Incredibile hoc omnibus viſum eſſet, niſi certa tanti flagitii argumenta in hâc Epiſtolâ vidiſſent, quæ præter magnum Jeſuitarum numerum, integras etiam profert Jeſuitarum Academias, à quibus in peſtiferum dogma juratum eſt. Itaque non alia certior apud illos ſententia vel firmiùs ſtabilita. Unde Caramuel ſummus Jeſuitarum amicus fidenter affirmat, hanc opinionem tanto Caſuiſtarum numero fultam eſſe, ut ni probabilis & tuta eſſet in conſcientiâ, vix ulla eſſet opinio probabilis in Theologiâ.

Eam ob rem in eâ reſponſione quam adverſus hanc Epiſtolam, quæ tota ferè in hâc opinione Jeſuitis exprobrandâ verſatur, ediderе, nunquam hanc ſuorum doctrinam inficiati ſunt, nihilque omnino adverſus illa loca cauſati ſunt, ex quibus Montaltius eam à Jeſuitis traditum effecerat. Et certè id ille iis probationibus adſtruxerat, ut nullus eſſet effugio locus. Non enim modò hoc ipſos manifeſtè comprobat in libris docere, ſed inſtitutis etiam palam frequentare demonſtrat. Multa ille exempla commemorat Epiſtolâ decima-quintâ, quæ etiam totâ Epiſtolâ decima-ſextâ perſequitur.

Non

Non mirabitur, credo, qui hanc ſententiam ita certam apud ipſos haberi perſpexerit, eâ ipſos adverſus Epiſtolarum ſcriptorem uſos eſſe, cùm hinc tanti ſua intereſſe ſentirent ejus fidem in ſuſpicionem venire, illinc ſuam cum calumniâ conſcientiam, iſtius ope doctrinæ quæ calumniam criminibus eximit, tam ſuaviter conciliarent.

Sed quàm proclive Jeſuitis fuit ſine ullo ſcrupulo ex illorum ſententiâ calumniis Montaltium inceſſere, tam facile Montaltio fuit illorum calumnias vi veritatis repellere: è quibus præcipua eſt illud hæreſeos crimen, quod paſſim ipſi in ſcriptis ſuis, præſertim in Bonâ fide *Annatus objectat. Hoc ipſe Epiſtolâ decimaſeptimâ diluit, in quâ ſe non modò hæreticum non eſſe, ſed nullum etiam docet in Eccleſiâ eſſe hæreticum, cùm tota Jeſuitas inter & ipſorum adverſarios de quinque propoſitionibus ab Innocentio X. damnatis, qua ſuas omnes accuſationes prætexunt Jeſuitæ, ad meram facti redeat quæſtionem, ex quâ nullâ ratione conflari hæreſis poſſit. Id verò ille tam diſtinctè expedit, tam firmiter probat, ut ſatis ex hâc unâ Epiſtolâ de toto ejus ſtatu poſſint erudiri, quibus hoc curæ eſſet. Mirabuntur certè illi quantùm ipſos in hoc Jeſuitæ fefellerint, quamque ab iſtius contentionis ſummâ cognoſcendâ longè abſint, qui de eâ nihil niſi ex Jeſuitarum diſputationibus, ſermonibus, concionibus acceperunt.*

Non tulit Annatus ſcriptiunculam ſuam tanto rationum pondere repulſam; labantique Societatis ſuæ cauſæ ſubvenire ſtuduit; editâ adverſus hanc Epiſtolam ſchedulâ, quam ſcriptor noſter Epiſtolâ decima-octava refellens, novam huic controverſiæ lucem attulit. Demonſtrat enim Jeſuitam ad aſſignandam quam adverſariis ſuis intendit hæreſim vi compulſum, in eo illam errore locaſſe, quem omnes Catholici deteſtentur, & ſoli demum Calviniſtæ defendant. Deo igitur agendæ ſunt gratiæ, quòd ſic novæ hæreſeos formidine planè Eccleſia liberata ſit, cùm nullus in ejus communione non ab illo dogmate ſit alienus, in quo fictitiorum illorum Janſeniſtarum hæreſim Jeſuitæ ſitum docent.

Atque hæc præcipua capita in his litteris tractantur, quæ ideò Provinciales dictæ, quòd cùm priores noſter hic ſcriptor nullo nomine

nine adſcripto ad amicum in provinciis agentem miſiſſet, has typographus cum hoc titulo in lucem emiſit : Epiſtola ad Provincialem ab amico ſcripta.

De ipſo ſcriptore vellem ut aliqua poſſem afferre ; ſed ille ita ſe ignotum eſſe voluit, ut vix quicquam de ipſo dicere habeam ; tantum ille ſibi nomen eſſe profeſſus eſt Ludovicum Montaltium, *nec aliud prætereа de eo ſcitur, niſi eum (quod ſæpe teſtatur) nec Doctorem eſſe, nec ſacerdotem. Hanc profeſſionem augent Jeſuitæ, & ſic accipiunt, quaſi ſimul Theologum ſe non eſſe faſſus eſſet. At id nuſquam in ejus litteris inveni : imò qui eas legerit, ſatis comperiet quàm ille veræ ſit Theologiæ gnarus, ſimulque quo fidei Zelo incenſus, qui potentiſſimæ Societatis errores tam liberâ & acri ratione reprehendat : nec minùs omnibus ſumma ejus in proferendis Jeſuitarum locis fides & religio patebit, qui eam cum ipſorum libris conferre voluerint. Mihi verò quàm ille ſincero animo ſit, vel unum hoc demonſtrare videtur, quod ad Epiſtolæ decimæ-ſextæ calcem attexuit. Nam quia honeſto homini ex populari rumore, verbulo quaſdam Jeſuitarum reſponſiones in Epiſtolâ decima-quintâ adſcripſerat, hunc errorem ſuum palam agnoſcit & emendat. Certè tantus ipſius dolor in tam levi culpâ, tanta illius injuriæ ſarciendæ cura ſatis teſtatur, quàm non ille ferret conſcientiæ ſuæ morſus, ſed eos ſtatim publica ſatisfactione placaret, ſi Religioſis falsò tantas impietates tribuiſſet. Ille verò à calumniâ tantùm abfuit, ut multa quæ verè in Jeſuitas dici potuiſſent prætermiſerit, ipſiſque in tam gravibus locis pepercerit, ut quibus Jeſuitarum doctrina perſpecta eſt, hanc ejus moderationem magnopere & laudarint & amplexi ſint.*

Porrò Jeſuitarum loca eâ fide retulit, ut nihil maluiſſe videatur, quàm ut ipſi fontes à Lectoribus adeantur. Hoc laboris qui capere voluerint, omnia hìc ferè magis tetra quàm in Montaltii litteris reperient, uti Parochis Pariſienſibus & Rothomagenſibus uſu venit. Ut primùm enim hæ litteræ manarunt in vulgus, Rothomagenſes Parochi loca ex Jeſuitarum ſcriptoribus allata cum ipſorum libris conferre ſtatuerunt, ut vel iſtarum litterarum, vel Caſuiſtarum, quorum doctrinam referunt, cenſuram depoſcerent,

prout

prout avulſa loca Caſuiſtarum ſenſibus vel conſentanea vel diſſentanea eſſe invenirentur. Hoc teſtatur Rothomagenſis Parochi quædam Epiſtola edita, in quâ hujus rei initia ad amicum ita perſcribit:

Ut nihil in hoc negotio niſi maturo conſilio gererent, ac ne ſe in illud temerè committerent, Rothomagenſibus Parochis habitis hâc de re còmitiis placuit ipſos conſuli libros unde decerptæ dicebantur illæ propoſitiones, in quas ſancti Maclovii Parochus in ſuis concionibus erat invectus. Rurſus illos ex iis fideliter excerpi, ut ipſarum cenſuram canonicâ viâ omnes communiter depoſcerent, ſiquidem reverà apud Caſuiſtas extarent, cujuſcumque demum illi conditionis eſſent: ſin autem minimè reperirentur, penitus hanc cauſam abjicerent, & contrà Epiſtolarum ad Provincialem ſcriptarum, in quibus hæc dogmata appoſitis ſcriptorum nominibus afferebantur, damnationem flagitarent. Ad hoc munus totius corporis nomine ſex Parochi delecti, ſummâ illud curâ per unum menſem obierunt, loca allata in Caſuiſtarum libris quæſierunt, & quemadmodum proferebantur ſyllabatim in iis invenerunt. Deinde illa ipſa loca rurſus excerpta ad cæteros Parochos in alteris comitiis retulerunt, in quibus etiam majoris gratiâ cautionis decretum eſt, ut qui hæc certiùs noſſe vellent, cum illis delectis inquiſitoribus quemdam in locum ſe conferrent ubi erant Caſuiſtarum libri, ut eos iterum conſulerent, & cum locis excerptis compararent. Hic ordo ſex ſequentibus diebus tenuit, in quibus decem circiter aut undecim Parochi in prædicto loco ſimul affuerunt, loca iterum quæſierunt, & cum exemplaribus contulerunt. Poſtremò ita diſceſſerunt, ut planè ſibi ſatisfactum profiterentur. An major in hoc negotio cautio potuit adhiberi?

Poſt illam verò inquiſitionem Rothomagenſes Parochi communi conſenſu horum damnationem errorum ab Archiepiſcopo ſuo poſtularunt, ac ſimul de conſilio ſuo Pariſienſes Parochos certiores fece-

fecerunt. Illi ſtatim tam ſalutari ſe conſilio adjunxerunt, magnamque totius regni Parochorum partem exemplo ſuo excitarunt ad petendam à propriis Epiſcopis horum dogmatum damnationem, tam illorum quæ in his referuntur Epiſtolis, quàm multorum aliorum quæ ipſi in Caſuiſtis detexerant, & Clero Gallicano damnanda obtulerunt. Ex quibus liquet quantâ fide in Jeſuitarum locis referendis uſus ſit Montaltius, & quàm longè plura ipſis objectare potuiſſet, uti ſupra dictum eſt.

Hic nunc rerum in Galliâ ſtatus: hunc exitum habuerunt iſtæ litteræ Eccleſiæ procul dubio ſalutares. Nam ut peſtiferum illud venenum cum magnâ ejus utilitate retectum eſt, & tanti regni Paſtores ſimul conjuncti ſibi commiſſos populos monuerunt, ut illud ſtudioſè caverent. Propterea Montaltii litteris † varia Parochorum Pariſienſium & Rothomagenſium ſcripta, itemque Mechlinienſis Archiepiſcopi præſtantiſſimam de eodem argumento Epiſtolam ſubjungendam putavi, ut dum hinc Jeſuitarum corruptelæ cernerentur, & in quæ doctrinæ flagitia deſerti à Dei gratiâ homines prolabi poſſent; illinc contrà palam fieret nunquam Eccleſiam divinâ curâ deſtitui, nec privatis illam abſtrahi nonnullorum Theologorum corruptelis, qui dum incorrupto Eccleſiæ lumini propriæ mentis lumen anteponunt, de viâ veritatis exorbitant.

† varia illa opuſcula in aliud volumen rejecta ſunt brevi edendum.

III. Nonas Maii An. 1657.

LUDO-

LUDOVICI MONTALTII DE SORBONICIS CONTENTIONIBUS, EPISTOLA PRIMA AD AMICUM PROVINCIALEM.

Lutetiæ Pariſiorum x. Kal. Febr. Anno 1656.

QUANTO in errore verſati ſumus! At illo me levavit heſterna dies. In iſtis Sorbonicis turbis rem graviſſimam agi, tantumque non totam Religionem verti putabamus. Eam opinionem attulerant tot celeberrimæ Facultatis comitia, tot inauditarum rerum concurſus, quibus non graves aliquas & inuſitatas cauſas ſubeſſe vix credibile erat. At tu mecum non mediocriter ſtupebis, quò tantus redierit apparatus. Paucis igitur accipe quæ diligenter exquiſita cognovi.

Aguntur duæ quæſtiones: una factum, altera jus attingit. Illa eſt, An temeritatis reus Arnaldus, quòd in ſecunda epiſtola ita ſcripſerit: *Ianſenii librum accuratè à ſe perlectum, nec tamen inventas in eo propoſitiones illas, quas Inno-*

centius X. damnat : cæterùm illas à ſe ubilibet damnari ; & ſi ſint in Ianſenio, etiam in Ianſenio. Quæritur ergo, an hæc quam præ ſe tulit dubitatio ſit temeraria, cùm quinque propoſitiones in Janſenio eſſe Epiſcopi declararint ? Defertur res ad Sorbonam, unus ſupra ſeptuaginta Doctores ab illo ſtant. Quid enim, ajunt, aliud reſponderet Arnaldus, tam multis ſcriptoribus odiosè quærentibus an has propoſitiones in Janſenio eſſe ſentiret, niſi eas minimè quidem reperiſſe ſe, damnare tamen vel in Janſenio, ſi reperiantur ? Nonnulli etiam ultra provecti non modò fruſtra quæſitas à ſe in Janſenio propoſitiones dixerunt ; ſed etiam planè contrarias à ſe repertas. Itaque contra ſentientes Doctores compellabant, ut ſi quis illas à ſe viſas diceret, palam oſtendere ne gravaretur : nil eſſe facilius ; neque hanc conditionem rejici ſine injuriâ poſſe : hôc enim compendio omnes, imò ipſum Arnaldum in eundem ſenſum adductum iri. Æquum poſtulare videbantur ; repudiati ſunt tamen. Habes quid ex hac parte ſit geſtum.

Aſt alii numero octoginta ſeculares, cum quadraginta circiter Mendicantium ſtipatu, hanc Arnaldi propoſitionem damnandam cenſuerunt, veráne an falſa eſſet nihil inquirentes. *Neque enim*, uti denuntiarunt, *veritas ejus ; ſed tantùm temeritas agebatur.* Fuére alii numero quindecim, qui totum Cenſuræ conſilium improbarunt ; hos indifferentes vocant.

Hunc exitum habuit facti quæſtio, qui non me valde ſollicitum habet. Sit temerarius Arnaldus, anne ſit, quid ad conſcientiam meam ? Quòd ſi libido me inceſſat pernoſcendi an quinque illæ propoſitiones extent in Janſenio, nihil eſt cur propterèa mihi Sorbonam conſulere neceſſe ſit : nec enim aut tam grandis aut tam rarus eſt liber, ut non facilè poſſim illo penitus evoluto totam rem, ut ſe habeat, explorare. Quin etiam ni temeritatis vererer notam, in eam proclivis eſſem ſententiam, in quam pleroſque omnes ferri video, qui cùm propoſitiones in Janſenio eſſe pervulgato

rumori

rumori antè crediddiſſent, huic jam incipiunt ſententiæ diffidere. Cur enim, inquiunt, illarum ſedes oſtendi tam abſurdè recuſatur? Cur nemo illas à ſe viſas affirmat? Ita, ſi verum dicendum ſit, metuo ne plus mali pariat Cenſura, quàm bôni; neve apud illos, qui rei geſtæ ſeriem norint, eam opinionem confirmet, quam tendit evellere. Fiunt enim homines neſcio quomodò magis in dies ſuſpicioſi; nil jam credunt, niſi quod cernunt. Ut ut ſit, tota res, ut dixi, leviuſcula, & fides hic in vado.

Plùs me movebat juris quæſtio: gravioris enim longè momenti videbatur, utpote quâ fidem attingi jactabant. Quare ad eam penitus cognoſcendam nullam diligentiam reliquam feci. Sed tu non ſine riſu perſpicies, quàm non illa priore ſit gravior.

Recténe Arnaldus in epiſtolâ dixerit, *Defuiſſe Petro gratiam; ſine quâ nihil poſſumus*, id agitur. Hîc tu altiſſima gratiæ myſteria excuſſum iri nonne mecum exiſtimabas? An omnibus detur: an per ſe ſit efficax &c. Verum totâ erravimus viâ. Quantus brevi Theologus effectus ſum, jam faxo ſcias.

Amicum illum noſtrum ac vicinum Navarræ Doctorem noſtin? Acerrimus ille in Janſeniſtas. Hunc convêni de toto hoc negotio ſcitaturus; atque ut curioſitate non minùs ardebam, quàm ille partium ſtudio, nihil præfatus; Veſtróne igitur decreto firmabitur, *omnibus hominibus gratiam dari*, ne quis ampliùs poſſit ambigere? At ille duriuſculè: Quaſi verò, inquit, hoc agatur, ac non ita ſentiant complures etiam è noſtris. An omnibus detur gratia, problematicum eſt: agnoverunt Inquiſitores noſtri: ipſe privatim ita ſentio, non omnibus dari. Hoc ille continuò celeberrimo Auguſtini loco confirmat: *Scimus gratiam non omnibus hominibus dari.*

Hîc ego: mentem, ut video, tuam minùs tenebam, quod tu boni conſulas velim: at illam certè Janſeniſtarum tantopere jactatam ſententiam proſcribetis: *Per ſe effica-*

cem eſſe gratiam, & ab ea voluntatem inſuperabiliter flecti? Verùm hîc quoque ſenſi me nihilominus infelicem fuiſſe. Abi, inquit ille, cum iſtâ tantâ tuâ iſtarum rerum inſcientiâ. Non hæc hæreſis, ſed orthodoxa ſententia eſt, quam Thomiſtæ omnes, quam ipſe in Sorbonicâ diſputatione defendi. Nil jam ego proferre audebam, & tamen ubinam quæſtio reſideret prorſus ignorabam. Sed ut id quoquomodo ex ipſo elicerem: Fac igitur, amabo, ut quamobrem hæretica ſit Arnaldi periodus, nos doceas. Quia, inquit, non agnoſcit in juſtis eam quam volumus bene agendi poteſtatem.

Nec plura ego, de quæſtionis ſtatu probè, ut mihi videbar, edoctus, alacer & geſtiens ab illo diſceſſi. Inde ad amicum N. continuò: is in dies conſaneſcit. Itaque ſimul ad uxoris ſuæ fratrem perreximus: virum, ſi quiſquam alius, Janſeniſtam; optimum tamen. Huic quò me magis inſinuarem, Janſenianum me aſſimulo. Itáne, inquam Sorbonæ decreto in Eccleſiam invehetur tantus hîc error: *Iuſtis nunquam deeſſe implendæ divinæ legis poteſtatem*? Quem tu, inquit, errorem narras? Hoccine erroneum dicis quod ſoli cum Lutheranis Calviniſtæ negant? Tum ego: An tu, inquam, non ita ſentis? Bona verba, inquit: imò verò hunc ſenſum tamquam hæreticum & impium ejuro & execror. Hâc oratione perculſus intellexi qui modò Moliniſtam nimis egeram, hîc me Janſeniſtam nimis egiſſe. Verùm necdum ipſi penitus fidens: Obſecro, inquam, tune ſic ſentis, *Iuſtis veram implendæ divinæ legis potentiam ſemper adeſſe?* Hîc ille vehementiùs; at ut pietatem intimam cerneres, concaleſcens: Non is ſum, inquit, quem ulla ratio ad obtegendos ſenſus meos poſſit adducere: hæc ſicut dixi, ita ſentio: hæc pro viribus, dum vita ſuppetet, ego meique defendemus. Hæc enim Sanctus Thomas, hæc docuit Auguſtinus Magiſter meus. Sic ille tam graviter & ſeriò, ut dubitationem nullam relinqueret.

Rectà ergo ad priorem illum Doctorem, quem lætus appel-

appellans: Bono, inquam, animo eſſe impero. Silebunt brevi Sorbonicæ turbæ. De poteſtate juſtorum ad obſervanda mandata Janſeniſtas aſſentientes habebitis; id ab ipſis vel ſanguinis ſubſcriptione probatum iri ſpondeo: Tum ille: Cautiùs iſta quæſo. Hæc non niſi Theologis pervia ſunt: ita tenui limite diſcludimur, ut illum aſſignare vix ſatis ipſi valeamus: in illo pervidendo fruſtra ſudaveris. Hoc tibi ergo ſatis habeto. Implendæ divinæ legis poteſtatem omnibus juſtis præſto eſſe dicent Janſeniſtæ: nec de hoc capite certatur inter nos: illam poteſtatem *proximam* nunquam dicent. Audin tu? Hîc nodus eſt. Mirum & inſolens iſtuc verbi mihi videri. Hactenùs quid dicerent intellexeram: nunc mihi noctem offudit vox inuſitata, permiſcendis, niſi fallor, rebus inventa. Quæſivi ergo quid ſibi vellet? At ille neſcio quid arcani in hac voce latêre ſignificans, nihil ampliùs ad rem evolvendam adjiciens, ad Janſeniſtas me remiſit, percontatum *proximamne poteſtatem admitterent?*

Igitur hâc voce memoriam onero, nam intelligentiæ nullæ hîc partes; & ne efflueret, properanter pergo ad Janſeniſtam. Ibi poſt prima illa quæ in ſalutando ſolent: Dic ſodes, inquam, *proximamnè poteſtatem* agnoſcis? Arridere ille, & nihil commotus: Explana, inquit, quâ tu notione vocem illam uſurpes, pòſt quid ipſe ſentiam ſcies?

Quid tu hîc me cenſes? Pene obmutui; neque enim huc intelligentiâ pertingebam. Ne tamen fruſtra veniſſem, temerè quod in buccam venit locutus: Moliniſtarum, inquam, ſenſu uſurpo. Ille autem leniter: Quorum, inquit, Moliniſtarum? Tum ego conglobatim univerſos obtuli, quaſi unum corpus quod una mens regeret. Quam tu, inquit, ſatis iſta non tenes! Sequuntur illi disjunctiſſimas ſententias, adeò parum illis inter ſe convenit. Sed cùm omnibus una mens ſit opprimendi Arnaldi, fictam in hoc verbo conſenſionem mentiuntur, quod utrique pariter, at diversâ notionè pronuntient; ut ſi minùs unus omnium ſenſus, una certè ſit omnium lingua. Hâc fuçatâ concordiâ partes ſuas nu-

meroſiores efficiunt, & viam ſibi ad obruendum Arnaldum ſecuram parant. Intellexiſtin?

Hæc mira prorsùs mihi videri; nec tamen incommodam illam de perverſis Moliniſtarum machinationibus opinionem animo inſidere ſum paſſus: nam & illæ nihil me attingebant, & iſti non habebam fidem tantùm affirmanti. Ergo illud quærere inſtiti, quos ſenſus arcanæ illi voci ſubjicerent? Ille autem: Facerem equidem libentiſſimè; ſed tu tam manifeſtam ibi cerneres pugnam, ut meritò verbis meis diffideres: exploratiùs iſta & meliùs ex ipſis cognoſces: quâ viâ jam oſtendam. Separatim tibi Doctor Moynius, & Pater Nicolai inviſendi ſunt. Neuter, inquam, mihi notus eſt. At ex illis quos recenſebo attende an neminem noris. Omnes iſti Moynio aſſentiuntur. Enumeravit multos, ex quibus aliquos mihi benè notos eſſe reſpondi. Mox ille: Præterèa Dominicanorum, quos novos Thomiſtas appellant, aliquis tibi adeundus eſt. Omnes illi Patris Nicolai gemini ſunt. Multos deinde nominavit, & in iis quoſdam mihi familiares. Hæc cùm eſſent dicta, diſceſſimus. Stabat conſilium ejus exequi, & totum id videre quid eſſet.

Ergo Moynii diſcipulum ſtatim convenio. Nec mora, percontor *quid eſſet alicujus rei facienda proximam poteſtatem habere?* Nil facilius, inquit: Cui ſuppetunt omnia ad agendum neceſſaria, ita ut nihil deſit, is habet hujus rei *proximam poteſtatem.* Ergo, inquam, tranare fluvium *proximè poteſt*, cui ſcapha, portitor, remus, & cætera omnia ſic adſunt, ut nullâ re neceſſariâ deficiatur. Tenes, inquit ille. Et videre, inquam, *proximè poteſt*, cui ſana oculorum acies, & lumen præterèa ſuppetit: nam cui lux deeſſet, ſine quâ nihil cernitur, vigerent licet oculi, non tamen haberet *proximam* videndi *poteſtatem.* Doctiſſimè, inquit. Cùm igitur divinæ legis ſervandæ *proximam poteſtatem* omnibus juſtis conceditis, id dicitis: Gratiam omnem ad hoc neceſſariam ipſis præſto eſſe, ita ut nihil deſit ex parte Dei. Mane, inquit: præſto

præſto eſt ſemper ipſis quicquid neceſſarium eſt ad implendum præceptum, vel ſaltem ad orandum. Teneo, inquam: quæ gratia ad alliciendum precibus divinum auxilium neceſſaria eſt, hæc ſemper adeſt, nec ulla prætereà novagratia ad id præſtandum requiritur. Habes, inquit. Non ergo ad orandum neceſſaria eſt efficax quædam gratia? Minimè gentium, inquit, ex Doctore Moynio.

Ne quid mihi temporis fruſtra periret, inde extemplò ad Dominicanos. Hìc cùm aliquos ex novis Thomiſtis mihi notis evocari juſſiſſem: Quæſo, inquam, illud ediſſerite, *quis poteſtatem proximam habere dicendus ſit?* An non is cui nihil neceſſarium deeſt? Minimè verò, inquiunt. An igitur, inquam, eam *poteſtatem proximam* dicetis, cui deeſt aliquid? An homini luce carenti *proximam* videndi *poteſtatem* concedetis? Ita prorſus, inquiunt, niſi ſit cœcus. Atqui, inquam, Doctori Moynio *poteſtas proxima* longè aliud ſonat. Sic eſt, inquiunt: at nobis, id quod diximus ſonat. Facilè patior, inquam; nam de verbis litigare non placet, dum ne quis in ſenſu me velit errare. Verùm, ut video, cùm juſtis *proximam* orandi *poteſtatem* ineſſe dicitis, id ſentitis; aliam prætereà gratiam opus eſſe, ſine quâ nunquam orabunt. Hìc unus amanter me complexus: Belliſſimè, inquit, belliſſimè: eſt enim inſuper neceſſaria efficax gratia non omnibus conceſſa, quæ voluntatem ad agendum indeclinabiliter impellat. Nam illius efficacis gratiæ neceſſitatem ad orandum negare, certiſſima hæreſis eſt.

Tum ego viciſſim: Belliſſimè, retuli, belliſſimè. At ex vobis, ut video, Janſeniſtæ catholici, Doctor Moynius hæreticus. Illi omnibus juſtis orandi poteſtatem concedunt, neceſſariam tamen eſſe contendunt gratiam efficacem: id vobis catholica fides eſt. Hic autem gratiam efficacem juſtis ad orandum neceſſariam negat: id vobis hæreſis eſt. Rectè, inquiunt; ſed poteſtatem orandi quam omnes, etiam Janſeniſtæ juſtis concedunt, nos proximam cum Moynio appellamus; Janſeniſtæ non item.

Hîc ego: Placet igitur vobis ſic nos in verbulo ludiſicari? Hæccine eſt illa conſenſio quam obtenditis? Eamdem utrique vocem uſurpatis, audio: at in ſenſu vocis diſſidetis. O præclarum concentum! Nil illi contrà retulerunt. Intereà ecce tibi is quem antè conveneram, Doctoris Moynii diſcipulus advenit, tam opportunè, ut hoc non fortuitum, ſed divinum putarem. Poſt tamen comperi nil eſſe novi, aſſiduéque illos inter ſe conſilia conferre.

Ergo illum intuens: ego, inquam, quemdam hîc novi ſic ſentientem: Juſtis deprecandi Dei poteſtatem nunquam deeſſe, nec tamen quemquam ex illis reipſa deprecari, niſi efficacem gratiam, non omnibus juſtis conceſſam, cælitùs acceperit. An tu illùm hæreticum dices? Tum ille noſter: Mane, inquit; non ægrè hîc me illaqueabis. Pedetentim ergo & cautè. Diſtinguo: Si hanc poteſtatem quam juſtis largitur, proximam appellet, Thomiſta erit & catholicus: ſin minùs, Janſeniſta erit, atque adeò hæreticus. Ibi tum ego: Nec proximam, inquam, appellat; nec proximam negat. Certè, inquit, hæreticus eſt: hoſce interroga. Ego verò rem ipſorum arbitrio non permiſi: jam enim nutu aſſentiebantur. Sed vocem illam, inquam, propterea uſurpare refugit, quia vos illam exponere detrectatis. Ibi tum notionem ſuam proferre unus è Patribus adornabat: ſed obſtitit Moynii diſcipulus. Vin tu, inquit, veteres rixas exſuſcitare? Nonne dictum inter nos fuit, ut vocem illam utrique pronuntiaremus, explanaret nullus? Conceſſit Dominicanus, & tacuit.

Ex hoc mihi totum ipſorum conſilium ſubitò patuit. Itaque conſurgens: Quàm vereor, inquam, ne hòc negotium merum ſit in frigidâ cavillatione ludibrium! Quemvis exitum habeant hæc veſtra comitia, fidenter hoc dico: confectâ Cenſurâ nihilo magis conſtituta pax erit. Age, decernatis has ſyllabas, pro-xi-mè, proferendas eſſe, quid fiet? Cùm illarum vis nuſquam expoſita fuerit, ſe volet quiſque dici victorem. Senſum ſuum valere cupient Dominicani:

contra Moynius opponet ſuum: hinc de ſenſu lites exurgent nihilo minores quàm de voce primùm inducendâ. Poſtremò quid periculi ſit vocem fundere ſenſu vacuam, non video. Senſus enim nocere, non ſonus poteſt. Sed illud indignum & Sorbonâ & Theologiâ fuerit, verbis fallacibus & ambiguis, quæ ipſa explicare nolit, autoritatem dare. Quid enim ad extremum credere me jubetis, ut catholici nomen retineam? Tum illi uno ore: Hoc tibi confitendum eſt: *Omnibus juſtis divinæ legis explendæ proximam poteſtatem adeſſe, abſtrahendo ab omni ſenſu, ſive abſtrahendo à ſenſu Thomiſtarum, & à ſenſu aliorum Theologorum.*

Ego verò diſcedens: Bene eſt, inquam; nempe hic ſonus ore fundendus eſt, ne hæreticus ſis nomine tenus. Quid enim? An hæc è ſcripturis petita vox eſt? Negarunt. An à Patribus, à Conciliis, à ſummis Pontificibus ſancita eſt? Negarunt itidem. Certè, inquam, à Sancto Thomâ? Nihil minùs. Quid igitur, inquam, neceſſe eſt, vocem pronuntiare & autoritate & ſenſu carentem? Nimis, inquiunt, pervicax es! cæterùm nihil agis: ni pronunties, hæreticus eris & tu & Arnaldus: numero ſuperiores ſumus; quin, ſi opus ſit, tot Monachos advocabimus, ut victoria noſtra incerti nihil habitura ſit.

Hîc illos tam ſolidâ ratione utentes relîqui, ut ad te omnia exacta perſcriberem. Cernis, opinor, nullum ex ſequentibus capitibus ab alterutrâ parte damnari: 1. *Non omnibus dari gratiam.* 2. *Iuſtis ſervandæ legis poteſtatem ſemper ſuppetere.* 3. *Ad id tamen neceſſariam eſſe gratiam efficacem, quâ voluntas inſuperabiliter agatur.* 4. *Non omnibus juſtis hanc gratiam ſemper adeſſe; ſed quibuſdam gratuito Dei munere dari, quibuſdam non item.* Ita unius verbi, *proximè*, ſenſu vacui, periculo certatur. Felices quibus illud incognitum eſt! felices qui ejus ortum anteceſſerunt! Omninò hujus mali unam video medicinam; ſi noſtri Academici barbaram hanc vocem, tot turbarum ſemen, pro imperio è Sorbonâ ejiciant. Ni faciant, de Cenſura non dubitatur. Vis

 dicam

dicam ex illâ quid fiet? In contemptum adducetur Sorbona, & neceſſariâ in aliis cauſis autoritate ſpoliabitur, cùm in hoc tam ineptè ſe geſſerit.

Tu verò vocem, *proximè*, aut defende, aut abige tuo arbitratu. Carior mihi proximus, quàm ut ipſi velim tam inani ſpecie moleſtus eſſe. Hæc tibi ſi non ingrata fuiſſe ſenſero, quæ conſequentur itidem ad te explorata deferam. *Vale.*

IN PRIMAM EPISTOLAM
NOTA PRIMA.

Quo ſenſu ſcriptor Epiſtolæ rejiciat poteſtatis proximæ voces.

Poteſtatis proximæ, ſive *poſſe proximi* voces ambiguas eſſe non eſt ambiguum. His enim Thomiſtæ intelligunt virtutem quamdam interiorem, quæ nunquam in actum prorumpit, niſi Dei auxilio efficaci ad opus impellatur. Contrà Moliniſtæ illas accipiunt pro eâ poteſtate, cui nihil deſit neceſſarium ad agendum. Utramque notionem accuratè diſtinguit Alvares Diſp. 117. n. ij. & Thomiſticam adſciſcens, Molinianam rejicit; negatque hoc ſenſu ſine gratiâ efficaci haberi *poſſe proximum*.

At quia Moliniſtarum notio vulgatior, & communi ſenſui congruentior eſt, dixerat Arnaldus ſimpliciter, *Petro defuiſſe gratiam efficacem, ſine quâ non poſſumus vincere tentationes*, & hoc de potentiâ proximâ intellexiſſe ſe teſtatus erat. Hanc propoſitionem damnare ſtudebant illius inimici: ſed cùm in duas partes diſtracti eſſent; (illi enim ſe ſe Thomiſtas dici volebant; illi palam Molinæ adhæreſcebant:) ne ſeparati ad opprimendum Arnaldum parum valerent, fictam ad tempus in vocibus ambiguis, quas utrique contrario ſenſu interpretabantur, concordiam aſſimularunt; delectæque tantiſper teſſeræ loco voces illæ, POSSE PROXIMUM, quas utrique oretenus pronuntiabant.

Hoc malitioſum commentum pro merito irridet ſcriptor ille feſtivè diſertus; nec minùs in ipſis facetiis accuratus & diligens, totam hanc technam lepidis, at veris coloribus expingit: hæc verba nova ac barbara nullo Scripturæ, nullo Conciliorum, nullo Patrum loco ſancita, pro fidei teſſerâ negat habenda, aut à quoquam exigenda eſſe. Cæterum nihil ille detrahere voluit de quibuſdam gravibus Theologis, qui illa nonnunquam bono ſenſu, id eſt, Thomiſtico admiſerunt. Neque enim illi paſſim hoc verbulo apud plebem uti voluiſſent, neque illius uſum cuiquam imperarunt: denique cùm nomen admitterent, virus ipſius, id eſt, notionem Molinianam abegerunt, ut facit Alvares loco citato.

Verùm

Verùm ut ad Cenſuræ confectionem maturandam hæc *poteſtatis proximæ* fabula erat inducta, peracto negotio ſtatim evanuit; viditque Sorbona non multò pòſt apud Patres Oratorii die 13. Junij *1656.* Clero Gallicano & præſente & gratulante, palam defendi, *bono ſenſu dici, ſine gratiâ efficaci non haberi proximam poteſtatem.* Manſit tamen ipſa Cenſura. Manet enim etiamnum certorum hominum, à quibus hæc omnia orſa ſunt, in Sorbona dominatus: manet Jeſuitæ Annati gratia, qui totius illius tempeſtatis turbo fuit. Hæc ubi defluxerint, concidet Cenſura; nec alia fortaſſe ejus memoria ſupererit, niſi in iſtis immortalis ingenii monumentis.

Nota II.

De Patre Nicolai Dominicano.

Veri ſimilitudinem ſecutus ſcriptor, Patrem Nicolai Thomiſtis aggregavit. Nec enim illum à ſui Ordinis doctrinâ deſciviſſe putabat. Verùm ex ſuffragio ipſius typis edito poſtea patuit, nihil minùs ipſum eſſe quàm Thomiſtam; ſed certiſſimum contrà doctrinæ Ordinis ſui transfugam: quod egregiè docuit Autor Vindiciarum, & ille item qui non illepide Theſes ejus Moliniſticas Thomiſticis notis expunxit. His ille proſtratus ſcriptis, tametſi minitabundus, in præſens obticuit. Sed commentariis quæ in D. Thomam adornat, dicitur reſponſiones ſuas, ſeu veriùs nænias infercire. Meliùs omninò & conſultiùs taceret. Sed ſi tacère nequeat, non inconſultò ſic ſcribit, ut quæ ſcribit à nemine legantur, quod hâc viâ facilè conſequetur.

Nota III.

De Moynio Doctore.

Moynius Doctor Sorbonicus eſt, à Cardinali Richelio in Janſenium incitatus, quem non legerat, uti nec Auguſtinum. Hic ut ſe Auguſtini locis expeditiùs extricaret, novæ hoc ſeculo parens opinionis dici voluit: gratiam orandi ab agendi gratia diſtinxit; illam ſufficientem duntaxat eſſe, hanc ſemper efficacem aſſeruit. Jactationem nonnullam in ſcholis Sorbonicis habuit hæc ſententia, quam ipſe etiam in librum typis editum auſus eſt conjicere: verùm latinè & gallicè validè repreſſus, & præcipuè in Apologiâ Patrum duriùs habitus, exinde in occultas potiùs molitiones, quàm in ſcriptiones incubuit: Arnaldo, quem iſtius Apologiæ credit Autorem, infenſiſſimus, hanc in illum tempeſtatem ipſe cum paucis excivit, judexque ac Inquiſitor ſuorum factione in propriâ causâ delectus, Patrum Apologiam Arnaldinæ Epiſtolæ Cenſurâ ultus eſt.

Friget tamen illius opinio; & ſi diutiùs vivit, huic ſuo commento ſuperſtitem ſe fuiſſe gloriabitur. Interim advertat lector, Moynii, Corneti, Haberti, Hallerii æmulationem in Arnaldum, verum illarum omnium contentionum fontem eſſe; mireturque tot Magnatum jocularem errorem, qui ſe his diſſenſionibus interponunt, quaſi in iis agatur catholicæ fidei ſumma; nec intelligere valent, de Moynii tantùm, Corneti, ac cæterorum ejuſmodi hominum privatis offenſionibus, ſimultatibus, ac pædagogicis cupiditatibus agi.

NOTA

Nota IV.

De novis Thomiſtis, & Moynii diſtinctionibus.

Novi Thomiſtæ Alvareſii diſcipuli ſunt, qui gratiam quidem efficacem mordicus tuentur; ſed præterea quamdam aliam admittunt, quam ſufficientem vocant, cui tamen nunquam conſentitur ſine efficaci. Novi dicuntur, quia vocabulum illud *gratiæ ſufficientis* vix apud antiquos reperire eſt, quamvis res nomine ſignificata ab antiquis agnita dici poſſit.

Appoſitè autem Moynii diſcipulus diſtinctiones crepans inducitur. Nullus enim tantus unquam diſtinctionum artifex, quàm ille Moynius. Sæpe dum argumenta diſſolvit, tres aut quatuor aliam ſuper aliam congerit, nullam confirmat: nunquam enim ipſi propoſitum fuit veritatem invenire, ſed tantum eludere.

EPISTOLA SECUNDA AD AMICUM PROVINCIALEM.

Lutetiæ Pariſ. IV. Kal. Feb. An. 1656.

Obſignanti mihi ſuperiorem epiſtolam, adeſſe nuntiatur noſter N. homo, ut ſcis, a puero nobis amicus. Ad curioſitatem meam nihil potuit opportunius. Percallet hodiernas controverſias. Intimus eſt Jeſuitarum conſiliis, & cum iis aſſiduè verſatur; nec cum illorum veluti plebe, ſed cum primoribus. Hic primùm ea quorum cauſâ venerat. Mox ego: Nunquam hodie te dimittam, quin mihi iſtius quæ nunc fervet contentionis ſummam paucis exponas. Nec mora: ille duo præcipuè dixit eſſe capita: primum *de poteſtate proximâ*: alterum *de gratiâ ſufficiente*. Horum prius ſuperiores literæ explicarunt: nunc iſtæ ſecundum expedient.

Sic igitur ille: Hæc, inquit, de gratiâ ſufficiente controverſia in eo ſita. Docent Jeſuitæ quamdam eſſe gratiam libero arbitrio famulantem, quæ pro ſolo ipſius nutu nunc potiatur, nunc careat effectu: nullum aliud ad reipsâ agendum auxilium requirens; ſed omnia neceſſaria ita com-

plexa, ut nihil ipſi deſit. Hæc quia ſola ſufficit ad agendum, inde *ſufficientis gratiæ* nomine ab ipſis donata eſt. Contrà Janſeniſtæ diſputant, nullam hoc ſenſu gratiam ſufficientem eſſe, niſi quæ eadem ſit efficax; omniàque adjutoria quibus voluntas non flectitur; ad agendum reipsà minimè ſufficere: quia ſine gratiâ efficaci nihil unquam bene fit. Hic concertationis cardo.

Exinde mihi de novorum Thomiſtarum ſententiâ quærenti; Illam verò, inquit, mirere quàm diſcolor ſit & impar ſibi. De *gratiâ ſufficiente* omnibus datâ Jeſuitis aſſentiuntur; at neminem cum illâ ſolâ rectè agere volunt; adeoque ut reipsà quis agat, gratiam efficacem requiri contendunt, quæ voluntatem ſecum ad opus rapiat, nec omnibus concedatur.

Igitur, inquam, hæc gratia & ſufficit, & non ſufficit. Habes, inquit: nam ſi ſufficit, nihil ultra requirit: ſi quid autem requirit, non ſufficit. Enimverò, inquam, non ſatis apparet quid iſti à Janſeniſtis diſtent. Ille autem: Hoc diſtant, quòd Dominicani *ſufficientem gratiam* omnibus præſtò eſſe, ſaltem verbo prædicant. Teneo, inquam; ſed aliud dicunt, aliud ſentiunt, cùm gratiam efficacem non omnibus datam, ad agendum neceſſariam doceant. Itaque Jeſuitis congruunt in ſono ſententiâ carente, Janſeniſtis in ipsâ ſententiâ. Eſt ut dicis, inquit. Tum ego: Quid eſt igitur cur iſtis ſe aggregant Jeſuitæ, nec ipſos oppugnant itidem ut Janſeniſtas; acres enim in ipſis adverſarios ſemper habebunt, qui pro efficaci gratiâ propugnantes, hanc Jeſuiticam quæ ſola ſufficiat, pro virili diſturbent?

Non eſt opus, inquit; nec ita inſtandum in Eccleſiâ valentibus. Alienum hoc eſſet à Societatis prudentiâ. Eviciſſe ſat habent Jeſuitæ, ut *gratiæ ſufficientis* nomen Dominicani ne repudient. Quam volent notionem ſubjiciant; hinc tamen Jeſuitæ conſequuntur, ut quoties libuerit illorum ſententiam tanquam ineptam & improbabilem exagitent. Des modò gratiam ſufficientem omnibus adeſſe, nullo negotio

gotio explodetur efficacis gratiæ neceſſitas. Non enim eſſet illa ſufficiens, ſi hæc eſſet neceſſaria. Id demum ſufficit, à quo nihil abeſt neceſſarium: hæc germana vis iſtius vocis. Fruſtra Dominicani diverſam notionem obtendent. Reclamat enim populo impreſſa notio, & hanc inſolentem prorſus excludit. Vides ex hoc verbulo à Dominicanis ſibi conceſſo quanta Societas conſequatur: & quam non ſit ex uſu illius nunc ipſos vehementius urgere. Magis id dicas; ſi quæ ſub Clemente VIII. & Paulo V. ſummis pontificibus geſta ſunt teneas. Incredibile eſt quantas Jeſuitis tunc gratiæ ſufficientis fundamenta locantibus moleſtias exhibuerint Dominicani. Quid mirum igitur, ſi cum ipſis rurſus committi Societas defugiat, & integram illis ſententiæ ſuæ retinendæ veniam det, dum ſibi etiam ſuam tueri liberum ſit: præſertim cùm Moliniſticam multùm Dominicani promoveant, dum in hanc vocem *gratiæ ſufficientis* palam conſentiunt! Ergo hoc ipſorum obſequio Jeſuitæ contenti, non urgent ut gratiam efficacem abdicent. Durius iſtud omnino, nec imponendum ſtatim amicis ſervitium. Pro tempore benè rem geſsêre Jeſuitæ. Etenim ſic ſunt homines: verbis lactantur; rem ipſam non requirunt: quotumquemque cenſes quæſtionum interiora rimari? Ita *ſufficientis gratiæ* voce utrinque receptâ, vario licet ſenſu, ſi acutiſſimos Theologos excipias, vix invenias qui non rem voce notatam non æquè putet à Dominicanis admitti, ut à Jeſuitis: in quo non ſtultiſſimos iſtos fuiſſe, tempus probabit.

Egregiam hominum calliditatem laudavi, ſtatimque digreſſus ex amici conſilio Dominicanos adii. Ibi quendam offendo familiarem, Janſeniſtam acerrimum; utrobique enim amicos habeo. Hic neſcio quem alium Dominicanum requirebat: at precibus meis victus, perduci ſe paſſus eſt ad quendam è novis Thomiſtis, illum ipſum quem nuper. Lætari ille, ut me reverſum tam citò conſpexit. Ego ipſum appellans: Non ſatis eſt igitur, mi Pater, ſi adſit omnibus

poteſtas

poteſtas proxima, per quam tamen nihil agant; requiritur præterèa *gratia ſufficiens*, per quam agant nihilomagis. Hæccine veſtræ Scholæ ſententia eſt? Iſtæc ipſa, inquit: quin illam manè in Sorbona vah quàm pulchrè expoſui! Totam ego ſemihoram implevi; ac niſi per clepſydram ſtetiſſet, infandum illud dictum exterminaſſem, jam Pariſiis pervulgatum: *Nutu ſententiam dicit, quaſi Monachus in Sorbonâ.* Quam tu, inquam, ſemihoram, quam clepſydram narras? Itáne orationes veſtræ ad certam menſuram exiguntur, & ſi ſuperfluant, reſecantur? Sic nuper, inquit, conſtitutum eſt. At totam ſemihoram perorare non indicitur? Ah minimè, inquit; imò quàm voles paucis loqui fas eſt: Hîc ego: At quàm multis non licet. Pulchrè. O legem indoctis accommodam! O cauſam ſilendi honeſtam vel ſermonis vel rationis egentibus!

Verùm miſſa iſtæc facito, atque ad rem redi. Siccine ais igitur gratiam illam omnibus datam ſufficientem eſſe? Ita eſt, inquit. Caret, tamen, inquam, ſemper effectu, niſi adſit efficax? Rectè accipis, ait. Adeſt omnibus, inquam, ſufficiens; non item efficax? Rem tenes, inquit. Mox ego: Videſne, mi Pater, hoc te dicere: Habent omnes gratiam, quæ ſatis ſit; nec tamen habent gratiæ quod ſatis ſit: habent gratiam quæ ſufficit, & non ſufficit: aut, ſi velis, quæ verbo ſufficit, re non ſufficit. Enim verò, mi Pater, ne hæc nimis acuta ſint, valde metuo. Siccine vobis è ſeculo ſecedentibus excidit quid illîc ſufficere dicatur? Siccine non meminiſtis, non aliud ibi *ſufficiens* appellari, niſi quod omnia neceſſaria complectitur? Noli diſſimulare, probè meminiſti: quod tu familiari ſimilitudine admonitus magis ſenties.

Fac tibi duas tantum panis uncias cum uno aquæ cyatho apponi prandio; atque hoc tibi alendo ſufficere præpoſitus tuus dictitet: quæſo an ille tibi ſatisfaciat? Non opinor. Quid ſi illud opponat, aliis adjunctis eduliis, quæ tamen non apponantur, habiturum te quæcumque neceſſaria ſunt

ad

ad lautiſſimum prandium: an tibi hanc rationem approbet? Nihilo magis. Cur igitur ignavo in Jeſuitas obſequio, omnibus hominibus *gratiam ſufficientem* datis, cùm aliam aſſeratis prorſus ad agendum neceſſariam, quæ non omnibus præſto ſit? An tota res iſta nullius momenti eſt? Et quid de gratiæ efficacis neceſſitate ſentiant, hominum arbitrio permittitis? An nihil incommodi eſt, ſi quis cum ſolâ gratiâ ſufficiente aliquid boni fieri credat? Ille autem commotiùs: Quid ais, inquit; imò verò hæc ſententia haud dubia hæreſis eſt: efficacis gratiæ neceſſitas catholicæ fidei caput eſt, quod negari ſine hæreſi nequeat.

O rem impeditam, inquam, & inexplicabilem! Quid ſequar; quam inſiſtam viam? Negem *gratiam ſufficientem*, Janſeniſta ſum: agnoſcam cum Jeſuitis talem, quæ nullam aliam requirat ad agendum, te autore hæreticus ſum: Sin illam vobiſcum cum gratiæ efficacis neceſſitate conjungere ſtudeam, clamant Jeſuitæ deſipere me, & communi ſenſu planè carere. Quid faciam igitur; cùm effugere non poſſim quin vel ſtultus, vel hæreticus, vel Janſeniſta fiam? Sentiſne quantis premar anguſtiis, quando, ut apparet, ſoli Janſeniſtæ nec in fidem, nec in rationem impingunt; & ſtultitiam inter & hæreſim ab utrâque intacti ad veritatem tendunt?

Neſcio quid boni ex his verbis augurabatur Janſeniſta meus, & me jam numerabat ſuum: repreſſit ſe tamen, & Patrem intuens: Quæſo, inquam, quid ſit in quo Jeſuitis aſſentiatis? Utrique, inquit, *gratiam ſufficientem* omnibus largimur; hoc inter nos convenit. Ille autem: Verùm in iſto verbo duo attendi poſſunt: ſonus ipſe, qui non eſt aliud niſi colliſus aër; res nomine expreſſa, quæ verum ac ſolidum quiddam eſt: ita quando in voce Jeſuitis congruitis, in ſenſu verò ab illis diſſidetis, quis non videat vos in ſono concordes, in ipſa verò re & vi nominis planè diſcordes eſſe? Itáne fieri oportet? Hoccine ſimplex & ſincerum eſt?

At bonus ille Dominicanus: Quorſum, inquit, conquerimini? Eccui enim hâc noſtrâ locutione fraudem facimus, cùm

cùm apertè in ſcholis profiteamur, longè diverſam à Jeſuiticâ vim à nobis huic nomini ſubjici ? Illud queror, inquam, vos iſtud non apertè prædicare *ſufficientis gratiæ* nomine eam à vobis intelligi quæ non ſufficit : vocabulorum quibus fides exprimitur, vulgarem ſenſum in alienum commutatis : Gravis culpa niſi præmoneatis, cùm omnibus *gratiam ſufficientem* adeſſe dicitis, hoc vos dicere velle, non adeſſe illis gratiam quæ reipsà ſufficiat. Hoc verbulum cæteri omnes eodem ſenſu accipiunt. Exoriuntur novi Thomiſtæ, qui pervulgatas notiones revellant : mulieres omnes, hoc eſt, totius orbis dimidia pars ; aulici, ac militares viri ; magiſtratus, ac tota turba forenſis ; mercatores, opifices, plebeii : ad extremum præter Dominicanos univerſi homines id demum *ſufficiens* appellant, in quo inſunt omnia neceſſaria ad agendum : omnibus latet ſingularis illa notio, quam vos mordicus tenetis. Percrebreſcit interim ita ſentire Dominicanos, omnibus hominibus *ſufficientem gratiam* dari. Quid aliud cuiquam in mentem veniat, niſi ex ipſis nihil unquam ad implenda præcepta neceſſarium à nobis abeſſe : præſertim cùm ipſos videas Jeſuitarum utilitatibus & artibus implicatos, quos ita *gratiam ſufficientem* interpretari notum eſt ? Enimverò vocum partiumque ſocietas vel invitis vobis ſenſuum quoque conjunctionem notat.

Quærunt è Theologis Chriſtiani, quæ ſit naturæ lapſæ conditio ? Reſpondet Auguſtinus, & qui ab eo ſunt, non omnibus, ſed iis tantùm *gratiam ſufficientem* adeſſe, quibus illam Deus ſingulari benignitate conceſſerit. Exiſtunt deinceps Jeſuitæ, qui omnibus gratias verè ſufficientes largiuntur. Adhibentur huic controverſiæ diſceptatores Dominicani. Quid igitur illi? Ad Jeſuitas ſe conferunt : hoc pacto numeroſiorem efficiunt cœtum, ab illis gratiæ ſufficientis inficiatoribus ſe ſegregant, omnibus illam liberaliſſimè concedunt. Quid putes, niſi illos à Jeſuitis ſtare ? Subjiciunt tandem, hanc gratiam ſine efficaci quæ non omnibus

detur, ſemper inertem & inutilem eſſe. O tanti vulneris leve remedium!

Vin tibi in hâc ſenſuum diſtractione Eccleſiæ formam exhiberi? Hominem cogita, quem peregrè profectum latrones excipiant, & malè mulctatum, multiſque ſaucium vulneribus ſemivivum relinquant. Hic tres medicos è propinquis locis accerſit. Primus exploratis vulneribus ea judicat lethalia, adeòque ſaucio denunciat opem ipſi divinam implorandam, nec aliam recipiendæ ſalutis viam eſſe. Poſt hunc alter aſſentandi animo: Macte, inquit; vires ſufficientiſſimas habes ut ad domum tuam ſalvus pervenias; tum ſuperiori medico ſedulò deterrenti mala & precatur & parat. Fluctuabat æger in hoc opinionum divortio: itaque ut tertium medicum venientem aſpexit, manum porrigit, illius ope ſperans in certo conſilio conſiſtere. Ille primò ſcrutari vulnera; mox de priorum ſententiis certior factus, blandiori medico ſe aggregat; & coïtione cum eo factâ, primum ambo ignominiosè ejiciunt; numero enim præſtabant. Inde utriuſque eandem eſſe ſententiam colligebat æger: ſed quò certiùs noſſet, de noviſſimo quærit quid de viribus ſuis ſentiret? Ille autem aſſeveranter vires ipſius ad iter perficiendum ſufficientiſſimas affirmat. Sentiebat æger debilitatem ſuam: ergo ad medicum: Cur ita, inquit, de viribus meis judicas? Tum ille: Quia tibias, inquit, integras habes; illæ autem ad ambulandum ſuâpte naturâ ſufficiunt. Optimè, inquit ſaucius; ſed numnam habeo quicquid virium neceſſarium eſt ut tibiis incedam? Nam quò mihi tibiæ ſine viribus? Tum medicus: Minimè verò, inquit; reipsâ nunquam incedes, niſi te ſuſcitet & confirmet Deus. Quid ais, inquit: non igitur eas vires habeo, quibus nihil deſit neceſſarium ad rectè incedendum? Multum, inquit, abeſt quo minùs habeas. Ibi tum æger: Non ergo tibi cum illo tuo ſocio convenit, quantùm mihi virium adſit. Nequaquam, inquit.

Hîc tu quid putes illi ſaucio animi fuiſſe? Ultimi medici

abſurdam

abſurdam rationem, & ambiguam orationem graviter incuſavit, conjunctionem ipſius cum altero, quicum re pugnabat, verbo conveniebat, vehementer culpavit; quod priorem expulſiſſent, valde queſtus eſt. Mox vires ſuas expertus quàm debiles eſſent, his quidem aſſentatoribus valedicit, primum revocat, & ei ſe dedit: ex illius conſilio virium ſuarum infirmitatem ingenuè faſſus, ad Deum confugit, & quod poſcit impetrat: ſic Dei opitulatione incolumis rediit domum.

Perculſerat hæc parabola Dominicanum meum: itaque obticuit. At ego quî paulùm ipſum erigerem: Obſecro, inquam, mi Pater, quid vobis voluiſtis cùm iſtam *gratiam ſufficientem* appellare libuit, quam ut credam non ſufficere, jubet fides? Quam facilè, inquit, iſta lenti & otioſi diſſeritis! Tu ſolutus, ego religioſus: tu privatus, ego ſocietati obſtrictus. Neſcis quantùm hæc inter ſe diſtent? Pendemus è Præpoſitis; ipſi aliunde: ſuffragia noſtra pollicentur: ſi obluctor, quid me fiet? Miſeritum eſt, nam quid vellet jam intelligebam. Ex quo in memoriam rediimus cujuſdam ex ſociis ipſius Abbavillæ exulantis, quòd ſe alicubi forticulum præſtare voluiſſet. Sed quid, inquam, veſtram ſocietatem adduxit, ut hoc gratiæ genus in ſcholam ſuam invehi pateretur? Alia res eſt, inquit; tu hæc in præſentia paucis accipe.

Sancti Thomæ de gratia efficaci doctrinam acerrimè noſter Ordo tutatus eſt quoad potuit. Quàm ardenter ille prodeunti in lucem Molinæ dogmati ſe oppoſuit! Quos labores in ſtabiliendâ verâ & efficaci Chriſti gratiâ cepit! An tu quæ ſub Clemente VIII. & Paulo V. geſta ſunt, ignoras? Quorum alter à damnando Molinâ morte præpeditus eſt: hic ab evulgandâ Bullâ, quam in ipſum paraverat, Italiæ turbis retractus. Exinde arma noſtra in Vaticanis ſcriniis clauſa manſerunt. At Jeſuitæ, qui jam inde ab initio Lutheranæ & Calvinianæ hæreſeos multùm invaluerant, quòd populorum imperitiâ in Hæreticorum erroribus à

verâ Sancti Thomæ doctrinâ ſecernendis abuterentur, non multo tempore ſic dogmata ſua diſſiparunt, ut populorum fides brevi in ipſorum dominatum venerit. Hic nos prope adeſſe vidimus, ut pro Calviniſtis traduceremur, aut ſic vexaremur ut nunc Janſeniſtæ; niſi rigidum gratiæ efficacis dogma, *ſufficientis* in ſpeciem gratiæ temperamento dilueremus. In his anguſtiis quid fieri à nobis potuit conſultius, quam ut veritati ſimul & exiſtimationi noſtræ caveremus? utrumque ut aſſequeremur, hanc *gratiæ ſufficientis* vocem admiſimus, ipſam reverà ſufficere negavimus. Habes quâ ratione iſtuc contigerit.

Equidem cùm hæc diceret, hominis miſerebar, ita triſtis & demiſſus videbatur. At ille comes meus nihil de ſeveritate remittens: Nolite, inquit, nolite hoc vobis ſumere, quaſi hoc artificio veſtro veritati conſultum ſit: jamdiu illa ni firmiores habuiſſet tutores, tam imbecillis ſuſtentata manibus corruiſſet. Cùm hoſtile nomen in Eccleſiam intruſiſtis, quid aliud quàm ipſum hoſtem accepiſtis? Divelli à rebus verba non poſſunt. Ubi hæc *gratiæ ſufficientis* vox radicem egerit, fruſtra vos inclamabitis, quandam intelligendam eſſe quæ non ſufficiat. Quis enim vos audiat aut ferat? Inviſa cæteris hominibus interpretatio veſtra: ſimpliciùs illi loquuntur etiam in leviſſimis rebus. Interim cauſam vicerint Jeſuitæ, & ſancita putabitur ipſorum verè *ſufficiens gratia*, non illa veſtra quæ ſufficit nomine tenus. Sic adverſa ſcholæ veſtræ doctrina in fidei caput abibit. Tum Pater: Omnes, inquit, omnes in equuleum potiùs ibimus, quàm *ſufficiens* Jeſuitico ſenſu gratia ſanciatur; talem enim omnino reſpicit S. Thomas, cujus doctrinæ defendendæ ſolemni ſacramento nos obſtrinximus.

Sed ille meus amicus: Immortalem, inquit, laudem veſter Ordo repererat, vos illam peſſimè dilabi ſinitis. Gratiam illam abjicitis tutelæ veſtræ concreditam, quam à mundi primordio nullus abjecit. Hanc victricem dico gratiam, quam ſperarunt Patriarchæ, Prophetæ prædixerunt,

attulit

attulit Chriſtus; quam prædicavit Paulus, illuſtravit maximus Patrum Auguſtinus, cæteri deinceps poſt Auguſtinum, & maximè poſtremus Patrum Bernardus aſſeruit; quam validiſſimè defendit ille ſcholarum Angelus Thomas, quam ab ipſo Ordini veſtro tranſmiſſam, tot deinde ex familiâ veſtrâ religioſi, præſertim coram Clemente VIII. & Paulo V. Apoſtolicæ ſedis antiſtitibus, tantâ gloriâ propugnarunt: hanc ob viliſſima commoda gratiam deſeritis, quæ vobis tanquam cœleſte depoſitum commiſſa fuerat, ut in Sancti Ordinis perpetuitate perpetuos haberet prædicatores & propagatores ſui. Nunc alias in ipſius tutelam manus armari decet. Nunc interritos Auguſtini diſcipulos exoriri par eſt, qui ſeculi vinculis exoluti uni Deo ſerviant, unum in animo Deum habeant. Poteſt gratia Dominicanis defenſoribus carere, defenſoribus carere non poteſt. Ipſa ſibi milites omnipotenti virtute fingit & format. Expeditos illa quærit animos: ſed ipſa expedit, ac terrenis cupidinibus liberat veritatis lucem repellentibus: puros poſcit, & puros facit. His impendentibus malis veſtri maturè, mi Pater, occurrant, caveantque ne veritatis hujus, quam jam diu orbi prætulêre, face ſibi detractâ, ipſi coronæ ac lucis expertes in tenebris relinquantur.

Adornabat etiam plura dicere: incaluerat enim vehementiùs. At ego conſurgens interpellavi. Certè, inquam, mi Pater, ſi quid in Gallia poſſem, hoc curarem publicè à præconibus prædicari: NOTUM OMNIBUS ESTO, CÙM OMNIBUS ADESSE GRATIAM SUFFICIENTEM DOMINICANI DICUNT, ID EOS SIGNIFICARE VELLE, NON OMNIBUS ADESSE GRATIAM QUÆ REVERA SUFFICIAT. Hoc facto tum vobis *ſufficientis gratiæ* buccinandæ poteſtas fieret: at priùs, nullo modò.

Hic noſtræ diſputationis finis: ex quâ facilè cernes hanc gratiam politicè tantùm *ſufficientem* eſſe, proximæ poteſtatis planè gemellam: de utrâque qui Dominicanus non ſit, ſine periculo dubitet.

Necdum hanc epiſtolam clauſeram, cùm ad me perfectæ Cenſuræ nuncius allatus eſt: ſed quibus concepta ſit verbis nondum comperi; nam illa poſt Februarij decimam quintam diem tantùm vulgabitur. Ergo de illâ per proximos tabellarios expecta. *Vale.*

IN SECUNDAM EPISTOLAM
NOTA PRIMA.
DE VOCABVLO GRATIÆ SVFFICIENTIS.

Quoſnam Dominicanos exagitet hac Epiſtola.

Vt prior Epiſtola *Poteſtatis proximæ* voces exagitat, ſic iſta *ſufficientis gratiæ* nomen explodit. Nomen dico; nam hîc nomen à re ſignificatâ diligenter ſejunge. *Sufficientem* gratiam interpretantur Moliniſtæ eam, præter quam nihil aliud neceſſarium eſt; quæ ſine alio auxilio aliquando ſortitur effectum. Hanc ſimul cum nomine notionem funditus rejicit ſcriptor Epiſtolæ; in quo Thomiſtas omnes aſſentientes habet. Itaque cum Moliniſtis & de re & de nomine pugnat. Diſſimilis luctatio eſt ipſi adverſus recentiores Thomiſtas; ſi quidem cum iis de re parum admodum, de nomine ſolùm litigat.

Sufficiens apud illos gratia eſt, non quæ nihil aliud requirat ad agendum: non quæ nonnunquam in actum prodire ſola poſſit; ſed quæ ſubminiſtret virtutem quandam interiorem, quæ imperfectos actus excitet, quæ voluntatem alliciat ad bonum, nec tamen flectat, niſi adſit gratiæ efficacioris inſtinctus. Hanc gratiam quis in juſtis, vel etiam peccantibus, non ſæpe reperiri fateatur? Neque id negat Autor Epiſtolæ: ultrò etiam ejuſmodi gratiam in juſtis volentibus & conantibus admittet. Verùm utrum iſta gratia ſit dicenda *ſufficiens*, id ambigitur. Mera nominis quæſtio, Græculâ levitate quam Theologicâ gravitate dignior, niſi neceſſitas excuſarit. Quid enim refert iſtam gratiam *ſufficientem* appellem, nec ne; dum nihil de iſtius gratiæ virtute detraham? Volo *ſufficiens* id demum appellare, quod omnibus modis ſufficiens ſit, quod ſe ſolo ſufficiat: hoc cùm illi gratiæ convenire non videam, ſufficientis gratiæ nomen illi abjudico. Cur id gravatè Thomiſtæ ferunt? An ad ipſos ſermonis imperium delatum eſt? At fortè nominum notiones immuto: videant ne id in ipſos potiùs cadat. Mecum enim populus omnis, vocum & nominum arbiter facit.

At à Theologorum trito ſermone diſcedo. Quæro quinam ſint illi Theologi? Nam neque Scripturas, neque Concilia, neque Patres, neque antiquos Theologos, verbum *ſufficiens* hâc notione uſurpaſſe unquam probabunt. Cum his ut ſentire, ita loqui quis vetet? Nimis ergo

ergo imperioſum eſt hujus verbi uſum præcipere quod nullâ autoritate præceptum eſt. Hoc illud eſt quo totâ hac Epiſtolâ agit & verſat eruditus ſcriptor: non ut rem ipſam *ſufficientis gratiæ* nomine à Thomiſtis ſignificatam planè repudiet; ſed ut nomen periculoſum, & popularem errorem fovens, pravè à quibuſdam in quotidianum ſermonem inferri, & Theologis indici doceat. Non prohibet porrò quin eo utatur qui voluerit intra Scholarum anguſtias, ubi Profeſſor adeſt qui illud Molinianâ ſignificatione exuat: at promiſcuè apud imperitam plebem & mulierculas jactari meritò indignatur; quod nunquam fecerunt ne illi quidem, qui hoc verbum nobis pepererunt.

Cæterùm, quod magnopere annotandum eſt, non univerſos Dominicanos, quorum maxima pars huic ſociorum ſuorum ignaviæ ſuccenſuit: ſed tantùm privatam quandam ex Pariſienſi familiâ factionem à Patre Nicolai conflatam carpit, quæ neglectâ Ordinis ſui doctrinâ, ad delendam Sancti Thomæ doctrinam cum Jeſuitis conjuraverat.

NOTA II.

De Clepſydra.

Perſtringit acutè & eleganter malitioſam Moliniſtarum ſolertiam: qui cùm ſe viderent in quæſtione juris à Doctoribus Arnaldi defenſoribus validiſſimè urgeri, & magnâ teſtimoniorum obrui copiâ, ad illorum impetum frangendum, advocato etiam Illuſtriſſimo Galliæ Cancellario, effecerunt ne cui ultra dimidiam horam loqui fas eſſet, quam illi arenariâ clepſydrâ metiebantur. Hoc verò eò abſurdius fuit, quòd in facti quæſtione, quæ longè exilior, & nullius penè momenti erat, nemini certum loquendi ſpatium fuerat præfinitum: quod idem in juris quæſtione ſervari eò æquius fuit, quod hìc tota explicanda Traditio, infinitæ erant redarguendæ calumniæ, innumeræ cavillationes diluendæ. Sed hoc ipſum erat quod metuebant Moliniſtæ: quare ut illud incommodum amolirentur, inauditum & pernicioſum ſervitium in Sorbonam invexerunt; & ſic ſocios, qui ſibi præreptam libertatem ferre non poterant, nec debebant, à comitiis expulerunt.

NOTA III.

Quo pacto Ieſuitæ Calviniſmi Thomiſtas inſimulent.

Qui videre voluerit quomodò Thomiſtas pro Calviniſtis Jeſuitæ traducant, legat Theoph. Rainaudum, ſub aſſumptitiâ larvâ *De la Riviere*, in libello cui titulus, *Calviniſmus Religio beſtiarum*; & Annatum ejus ſodalem in libro *de ſcientiâ mediâ*, capite ultimo. Sed accuſationis iſtius veram originem ingenuè fatetur Ripalda, tom. 2. diſp. 113. ſect. 9. n. 53. *Bannez*, inquit, *& plerique ejus diſcipuli, in publicis diſputationibus, privatiſque ſermonibus & ſcriptis cœperunt notare ſententiam illam* (Molinæ) *Pelagianam ..... Contrà noſtri ut notam Pelagianiſmi ſuæ ſententiæ vitarent, objiciebant oppoſitæ notam Calviniſmi.* Sic illi veterum illorum Donatiſtarum

inſtitutum referunt, de quibus Auguſtinus Epiſt. 162. *Crimina ſua infamatis aliis tegere cupiebant, ut homines ab inquiſitione veritatis averterentur, falſis rumoribus avocati.*

Idem Ripalda Tom. 2. diſp. 113. ſect. 9. n. 55. fatetur ſexaginta Molinæ propoſitiones Romæ in Congregatione de Auxiliis fuiſſe damnatas. Videndus etiam de ea re Pereiretii Apparatus, ne ſuſpectos allegem teſtes.

AMICI PROVINCIALIS

AD

LUDOVICUM MONTALTIUM

de ſuperioribus litteris Epiſtola

IV. *Nonas Feb. 1656.*

Si priores Litteras ad unum me ſcripſiſſe arbitraris, erras. Ad omnes ſcripſiſti: nemo non illas legit, nemo non intelligit. Quid multa? Nemo non probat. Cave putes ſolis illas Theologis acceptas eſſe: etiam politioribus aulæ ingeniis jucundæ ſunt, nec abhorrent à fœminarum captu.

En quibus illas verbis commendet nobilis Academicus in illo luſtri cœtu perilluſtris, qui ex duabus nonniſi unas adhuc viderat. *Quam vellem*, inquit, *ut Sorbona Cardinali Richelio tot nominibus aſtricta, Academiæ Gallicæ ab eodem inſtitutæ arbitrium ne defugeret; næ ſuam epiſtolæ ſcriptor cauſam vicerit. Nam pro Academici jure proximam illam poteſtatem tot turbas ſine causâ cientem, & quid ſibi velit ignorantem, omnibus interdictis expellerem, proſcriberem, &, penè dixerim, profligarem: ſed illud incommodum, quod Academica poteſtas nimis anguſta, ſive, ut loquuntur, nimis remota eſt. Equidem iſtud non leviter doleo; nec minùs illud ægrè eſt, quòd quantulacunque poteſtas mea nimiùm ab eo remota eſt, ut tuorum in me meritorum partem aliquam aſſequatur.*

At verò inſignis fœmina, cujus nomen ex me non audies, his verbis ob eandem Epiſtolam ad ſe miſſam amicæ mulieri gratias agit: *Dici non poteſt de illis ad Provincialem litteris quantùm te amem. Nil ingenioſius illis fieri poteſt, nil elegan-*

elegantius: narrant planè, ſed ita ut narrari non ſentias: res implicatiſſimas explicant: rident, irridentque, ſed aſtutè: rerum iſtarum rudes ſolertiſſimè docent: doctis novam afferunt voluptatem: apologiam eſſe verè dixeris vel præſtantiſſimam: Cenſuram meritò vocaveris, ſed illam mollem & innoxiam. Ne multis morer, tantum in illis litteris artis eſt, tantum ingenii, tantum denique judicii, ut non mediocriter aveam cognoſcere cui nam ſcriptori tam politum opuſculum debeamus. Nec tu quidem, ſat ſcio, mediocriter aves cognoſcere, cui tantum de tuis Litteris teſtimonium debeas: at tu nunc ignotam colere ſatis habeto; cognitam multò impenſiùs veneraberis.

Perge igitur, & novas me autore Litteras ad nos mitte. Veniat Cenſura ubi volet, ad ipſam pro merito accipiendam non imparatos offendet: nihil nos movebunt *proximæ poteſtatis*, & *ſufficientis gratiæ* terricula. Plùs ſatis enim à Jeſuitis, à Dominicanis, ab ipſo Doctore Moynio didicimus, quàm varios in ſenſus detorqueantur, quamque nihil in recentibus illis verbis ſolidi, ſed mera ſubſit inanitas.

EPISTOLA TERTIA
AD
PROVINCIALEM.

v. *idus Febr.* 1656.

Cùm mihi litteræ tuæ redderentur, ecce tibi Cenſuræ manuſcriptum exemplar accepi. Quam blandæ illæ adverſum me, tam aſpera illa in Arnaldum. Vereor in utroque ne quid nimis, & ne parum ambo judicibus noſtris perſpecti ſimus. Nam ni id eſſet, laudes à Sorbona auferret Arnaldus, ego ab Academia Cenſuram; Ita prorſus aliud mihi expedit, aliud ipſi: nec ignoratus ille probari poteſt, nec ego cognitus. Sic illi optanda lux, ut innocentiam ſuam tuetur; mihi tenebræ, ut famam retineam. Vides quàm

mihi latere neceſſe ſit. Curabis igitur, ſi me amas, adverſus inſignes laudatores meos ne videar ingratus; ego de toto Cenſuræ negotio, ne quid ignores, elaborabo.

Illa verò expectationem meam planè deſtituit. Sic cogitabam fore ut quædam hæreſum portenta ſuffocaret, at tu mecum demiraberis quo pacto tanti apparatus in ipsâ fabulæ clauſulâ neſcio quo modo evanuerint.

Quo magis iſtud percipias, in memoriam redi, quàm tetræ nobis de Janſeniſtis opiniones inſtillarentur: quàm gravia in illos congererentur crimina coïtionis, factionis, errorum, ſchiſmatis: quàm acerbè in libellis, in concionibus paſſim conciderentur; quantumque his poſtremis annis increviſſet hic torrens, qui jam diu magnâ vi aquarum in ipſos ferebatur. Erant qui jam illos non occultè, ſed palam hæreſeos & ſchiſmatis arguerent: erant qui pro apoſtatis, pro Chriſtiani nominis hoſtibus traducerent: erant qui negatum ab ipſis Tranſubſtantiationis myſterium, & ipſum Euangelium abdicatum jactarent.

Poſt tot ac tam atroces criminationes undique diſſipatas, tandem libris ipſorum excutiendis judicium conſtituitur. Hoc conſilio ſecunda Arnaldi Epiſtola ſeligitur, quam nefandis erroribus totam ſcatere clamitabant. Illis Doctoribus mandatur inquiſitio, qui veteres & apertas cum ipſo inimicitias exercerent. Hi diligentiam omnem, omnem induſtriam adhibent, ut aliquid in ipſa dignum reprehenſione rimentur. Vix tandem unam eruunt periodum, quam Cenſuræ ſubjiciant.

Eccui poſſet aliud in mentem venire, niſi hâc periodo tantis ſtudiis artibuſque delectâ peſtilentiſſimarum hæreſum virus contineri? Et tamen illa ejuſmodi eſt, ut in eâ nihil animadvertas, quod à Patribus ab Arnaldo citatis ad verbum non ſit exſcriptum. Itaque qui Patrum ſententiam ab Arnaldi ſententiâ internoſceret, neminem reperi. Immenſum tamen & horribile quoddam diſcrimen intereſſe ſuſpicabantur. Patrum enim verba utique catholica ſunt, adeòque

adeòque ab iis Arnaldi periodus, ut hæretica ſit, incredibiliter diſtet neceſſe eſt.

In his tenebris lumen à Sorbona expectabatur, arrectique erant totius Chriſtiani orbis animi, ut Cenſurâ præluccnte illam hæreſim deprehenderent, quæ vulgarium hominum aciem captumque fallebat. Interim apologias ſcribit Arnaldus: ibi tum ſua, tum ſanctorum Patrum verba è regione repræſentat, ut vel à rudioribus ſua cum illis conſenſio cerneretur.

Profert Auguſtinum uno loco dicentem, *Chriſtum in Petro demonſtraſſe non in ſe quemquam* JUSTUM *debere præſumere.* Profert alium ejuſdem locum, in quo *Petrum ideò deſertum* aſſerit, *ut in illo totum hominum genus poſſet cognoſcere* NIHIL SE SINE DEI GRATIA PRÆVALERE. Chryſoſtomum inducit ita loquentem: *Caſus Petri non frigiditate, ſed divini auxilii derelictu contigit.* Et alibi: *Negatio Petri non tam erat ſocordiæ & negligentiæ, quàm ex eo quod Deus eum deſeruerat, ut ſciret quod* ABSQUE DEO NIHIL POTEST FIERI. Ac demum apponit vexatam propoſitionem: *Patres in Petro juſtum oſtendunt, cui gratia defuit, ſine quâ nihil poſſumus, in eâ occaſione in quâ à peccató excuſari non poteſt.*

Hîc verò fruſtra laboratur in dignoſcendâ illâ diſcrepantiâ, quâ fit ut Arnaldi verba non minùs à Patrum verbis diſcrepent, quàm veritas ab errore, hæreſis à fide. Ubinam enim illam invenias? *An quod à Patribus juſtum in Petro demonſtrari affirmat Arnaldus?* At hæc non ipſius, ſed Auguſtini verba ſunt. *An quod Petro gratiam aſſerit defuiſſe?* At idem Auguſtinus, à quo Petrus dicitur juſtus, eundem in tentatione ſine gratiâ fuiſſe teſtatur. *An porrò ibi quærenda eſt, quòd ſine gratia nihil poſſe fieri dicit?* Quaſi non iſtud eodem loco dicat Auguſtinus, & ante ipſum Chryſoſtomus, eo ſolùm ab Arnaldo diſcrepans, quod durioribus verbis eamdem ſententiam extulit. *Caſus Petri*, inquit: *non frigiditate, ſed divini auxilii derelictu contigit.*

In-

Incredibile eſt quanta cupiditas, quanta expectatio omnes haberet pernoſcendi illius diſcriminis, cùm ecce poſt tot conventus celeberrima illa Cenſura tandem apparuit. Me miſerum! Quantum illa ſpes noſtras, quantùm cogitationes eluſit! Sive boni illi Moliniſtæ ad nos erudiendos gravitatem ſuam demittere dedignati ſunt; ſive cauſæ aliud quidquam fuit occultioris. Hæc demum illi Cenſores verba gravi autoritate pronuntiarunt: *Hæc propoſitio eſt temeraria, impia, blaſphema, anathemate damnata, hæretica.*

Quid quæris? Poſtquam ſe homines ad hunc modum illuſos eſſe ſenſerunt, omnium animos tacita quædam ſubiit offenſio, adeòque Cenſoribus ipſis vulgò jam iraſcuntur. Ex totius rei geſtæ ſerie mira quædam ad Arnaldum purgandum argumenta colligunt.

Huccine, ajunt, redit quicquid tot Doctorum ad unum opprimendum incumbens malevolentia potuit efficere, ut ex tot illius libris tres tantùm verſus, eoſque ex Græcæ ac Latinæ Eccleſiæ præcipuis Patribus exſcriptos in crimen vocarent? Cujus tandem ſcriptoris verba non probabiliorem Cenſuræ cauſam ſuppeditant, ſi modò in ejus perniciem inimica factio conſenſerit. Quid tandem quod ad inſignis illius Rei fidem probandam afferri poſſit illuſtrius?

At quâ mente Cenſores tot diras evomunt, tot horribilia verba congerunt, *venenum, peſtis, horror, temeritas, impietas, blaſphemia, abominatio, execratio, anathema, hæreſis?* Quid gravius illi in Arrium intorquerent, imò in Antichriſtum? Quo pertinuit ſic hæreſim inſectari, quæ omnium fugit oculos, quam ipſi nobis aperire non auſi ſunt?

Si hæc in Patrum verba jaciuntur, ubi honos, ubi fides Traditionis? Si autem in Arnaldi periodum, ſaltem indicent illi Cenſores quid à Patribus illa differat. Nobis enim nihil aliud apparet, niſi perfecta conſenſio. Statim ac illius venenum innotuerit, continuò illam deteſtabimur: at quandiu latebit, nec aliud in ipsâ niſi Patrum ſententiam

Patrum

Patrum verbis cernemus expreſſam, quî poſſumus non illam religiosè venerari?

Sic illi quidem ſtomachantur: ſed iſtos omittamus nimis perſpicaces; nos tardiores de his rebus in utramque aurem. An magiſtris noſtris plus ſapere volumus? Ridiculum. Quod igitur non audent, nec nos audeamus, alioquin certus nobis error malè curioſis. Tantillum progredere, jam ipſa Cenſura fuerit hæretica.

Inter fidem, & hanc Arnaldi periodum individuus quidam limes ſic oculis inconſpicuus, ut meritò veritus ſim, ne Doctoribus Eccleſiæ adverſarer, dum Sorbonæ Doctoribus nimis obſequi ſtudeo.

Hoc metuens unum ex illis adii, qui ſequeſtres in facti quæſtione fuerant. Ab hoc utpote rerum iſtarum peritiſſimo diſcrimen illud exquiſivi, quod à me deprehendi non poſſe, ingenuè profeſſus ſum.

Ille verò quaſi ſimplicitate meâ delectatus: Quam tu, inquit, minimè malus es, qui ſubeſſe aliquod arbitrare. Unde-nam iſtud erui poſſit? Quaſi verò ſi ullum inveniſſent, non continuò palam indicarent, & ante populi oculos expanderent, apud quem Arnaldo invidiam conflare omnibus modis agunt? Ex his verbis facilè intellexi, non omnes qui in facti quæſtione neutri ſe parti addixerant, eodem modo in juris quæſtione temperaturos: tamen ut rationes ejus cognoſcerem: Quâ mente igitur, inquam, hanc ſententiam invaſerunt? Tum ille: Neſcis quod nec iſtarum rerum incurioſis latet; & caviſſe ſemper Arnaldum ne quid ab ipſo manaret in publicum, quod non Traditionis autoritate undique fultum eſſet; & ipſius inimicis id eſſe propoſitum, ut eum quo jure, quâque injuriâ ab Eccleſiâ exturbent. Cùm ergo illius ſcripta nullam calumniandi cauſam ſufficiant, quid aliud agerent, dum parêre malevolentiæ ſuæ volunt, niſi ut qualemcumque ſententiam arriperent, & quid in illâ vitii ſit nobis divinandum relinquentes, eam nihilominus proſcriberent. An tu illud ignoras, ut

ipſis Janſeniani ſemper immineant, ut ſollicitos habeant, ut acriter premant? Vix aliquid Moliniſtis à Patrum ſenſibus alienum excidit, continuò totis voluminibus obruuntur. Itaque infirmitatem ſuam ſæpius experti, è re ſuâ magis eſſe putarunt, Cenſuras quàm reſponſiones edere. Architectantur Monachi Cenſuras, libri rationibus conſtant: monachos autem invenire promptum eſt, rationes non item.

Atqui, inquam, ſi ita res habet, quis erit tandem Cenſuræ fructus? aut quis illi fidem habeat, quam fluxam per ſe tot deinde reſponſiones disjicient? Haud ita dicas, inquit, ſi vulgi animum ſatis noris. Cenſura iſta, quamvis cenſurâ digniſſima, tantùm valebit ad tempus, quantùm ſperant: decurſu quidem temporis crebris impulſa ſcriptis ſubruetur, omnibuſque ejus tandem nudabitur inanitas. At ſub initia multorum animos haud minùs percellet, quàm graviſſima quæque Cenſura, modò ſint qui in triviis decantent: *En Cenſuram Arnaldi En Ianſeniſtarum damnationem.* Triumphabunt tantiſper Jeſuitæ. Quotusquiſque enim illam vel leget? Quotusquiſque legentium intelliget? Quotusquiſque nihil illam definire percipiet? Ad hæc quàm non multis iſta cordi ſunt! quàm pauci res excutere accuratiùs ſtudent! Viden' quot ex eâ Janſeniſtarum inimicis utilitates accedant? Parta illis & parata, de more quidem futilis, at qualiſcumque tamen victoria paucos ad menſes. Magnum hoc ipſis: pòſt, aliud ſubſidium quærent. In diem enim vivunt. Sic illi adhuc uſque ſteterunt: nunc ſcenico Catechiſmo ubi puerili voce proterunt adverſarios: tum publicâ puerorum pompâ, in quâ ſufficiens gratia efficacem catenatam deducit: mox Comœdiâ, ubi Janſenium dæmones abripiunt: aliquando picto calendario, ſive, ut loquuntur, Almanacho; ac demum hâc Cenſurâ.

Tum ego: Enim verò Moliniſtarum conſilia modò reprehendebam, nunc illorum prudentiam calliditatemque demiror. Quid enim aut ſolertiùs agerent, aut tutiùs?

Rectè

Rectè accipis, inquit ille; nempe ſilêre ipſis ſemper tutiſſimum fuit: ex quo natum eſt eruditi Theologi non illepidum dictum: *Moliniſtarum conſultiſſimos eſſe, qui aſtu multa tractent, parum loquantur, nihil ſcribant.*

Hoc ſpectabant, cùm ab ipſo comitiorum initio decreverunt, ut ſi in Sorbonam veniret Arnaldus, *mentem ſuam aperturus* veniret, *non diſputaturus.* Inquiſitoribus verò malè ceſſit, quòd ex hac orbitâ nonnihil deflexerunt, ita ſecundo Arnaldi Apologetico acriter repulſi ſunt. Eòdem pertinuit novum quidem, at egregium clepſydræ inventum: ſcilicet hoc ſemihoræ artificio modeſtos illos Doctores à ſe removerunt, qui ratiunculas ipſorum refellere, libris in medium prolatis ipſos falſi convincere, ad reſpondendum provocare, ad ſilentium adigere gaudebant.

Non ignorarunt viri acuti quantum ponderis Cenſuræ detractura eſſet tot doctorum è comitiis præreptâ libertate ſeceſſio, parumque opportunam ad favorem huic Decreto conciliandum præambulam Arnaldi interceſſionem fore. Nec verò dubitabant quin apud homines non omnino rudes longè pluris futurum eſſet ſeptuaginta Doctorum judicium, quibus Arnaldi defenſio nihil commodi poſſet afferre, quàm centum aliorum, quibus nihil ex ipſius damnatione incommodi poſſet accidere: ſed tamen bene rem geſſiſſe ſe arbitrati ſunt, ſi quamcunque demum Cenſuræ imaginem exſculperent, quamvis in eam non univerſum corpus, ſed nonnulli tantùm ex corpore conſenſerint: quamvis ereptâ libertate, aliiſque non ita legitimis viis illam extorſerint: quamvis illa nullum controverſiæ caput explicet; nec ubi ſita ſit hæreſis edoceat; verbiſque admodum parca ſit prolapſionis metu. Aſtutè omnia. Silentium enim ipſum apud ſimpliciores myſterium eſt; Cenſuræque ex eo ſingularis utilitas accedet, quòd ne acutiſſimi quidem ullam in eâ vitioſam rationem poterunt deprehendere.

Fac igitur ut quieto animo ſis; nec ſi damnatam propoſitionem uſurpes, hæreſim eâ re metueris. Extra Arnaldi epiſto-

epiſtolam hæretica non eſt: ſi minùs mihi, at Doctori Moynio crede Inquiſitorum incitatiſſimo. Quæſivit hodie ex ipſo familiaris mihi Doctor, in quo tandem poſitum eſſet illud diſcrimen de quo tantopere certatur; & utrùm jam Patrum verba proferre nefas eſſet? Ille autem graviter ac ſapienter: *Damnata eſt*, inquit, *illa periodus, ſed in uno Arnaldo: à quovis alio prolata, orthodoxa fuerit.* Hoc loco Moliniſmi machinas nonne miraris, quæ tantas ac tam ſubitas mutationes in Eccleſia moliuntur? Quod in Patrum ſcriptis catholicum eſt, in Arnaldi epiſtola fit hæreticum: quod in Semipelagianis olim proſcriptum, nunc in Jeſuitis ſacro ſanctum eſt. Antiqua Auguſtinianæ doctrinæ veritas, tanquam intoleranda novitas exploditur; nupera verò quædam dogmata, nobis inſpectantibus procuſa, pro Eccleſiæ fide venditantur.

Hæc cùm dixiſſet ille, diſceſſimus. Mihi verò illius oratio offuſam hactenus caliginem diſpulit. Intellexi novum hoc hæreſeos genus eſſe. Non enim Arnaldi doctrina hæretica eſt, ſed ipſe Arnaldus: in perſona hæreſis eſt ſita, non in dogmate: nec hæreticus eſt ille, quia hoc aut illud ſcripſit; ſed tantùm propterea quòd Arnaldus eſt. Hoc ſolùm ipſi culpæ datur: nec catholicus erit unquam, niſi vivere deſierit: tandiu adulterina erit Auguſtiniana gratia, quandiu ab eâ ſtabit Arnaldus: ſi deſciſceret, è veſtigio illa omnibus tanquam germana Chriſti gratia probabitur. Hæc certa, atque haud ſcio an unica ratio fuerit ſtabiliendæ gratiæ, ſubruendique Moliniſmi; tantùm ille infelici nomine iis quas tuetur ſententiis nocet.

Omittamus igitur has contentiones. Theologorum illæ ſunt, ſed Theologiam non attingunt. Quid eſt ergo cur Doctorum pugnæ nos inſeramus minimè Doctores? Habes ſententiam meam: nunc tuum eſt negotium, ut omnes noſtros de Cenſura facias certiores, ac me tantùm ames, quantùm à me amaris. *Vale.*

NOTA

IN TERTIAM EPISTOLAM NOTA PRIMA.

Explicantur nonnulla ad hujus Epiſtolæ intelligentiam neceſſaria.

Cenſuræ Moliniſticæ varias iniquitates & inſulſitates eleganter exponit & ridet hæc tertia fortiter etiam, ut his temporibus, & in Galliâ; cæterùm ſi tantam Eccleſiæ injuriam ſpectes, mitiùs omnino quàm oportuit.

Nonnulla ſunt autem in his litteris quæ à noſtratibus intelligi niſi explicata non poſſunt, ut pote res in Gallia notas, noſtris ignotas obſcuriùs attingentia. Tale eſt quod hîc dicit Montaltius elegantiſſimè. *In diem vivunt Ieſuitæ: ſic illi adhuc uſque ſteterunt; nunc ſcenico Catechiſmo, ubi puerili voce proterunt adverſarios: tum publicâ puerorum pompâ, in quâ gratia ſufficiens efficacem vinctam & catenatam triumpho deducit: mox comœdia, ubi Ianſenium dæmones abripiunt: aliquando picto Calendario, ſive, ut loquuntur,* ALMANACHO; *ac demum hâc Cenſurâ.* Hâc periodo quatuor concluſit ſcurriles Jeſuitarum ineptias.

Prima eſt hiſtrionicus ille Catechiſmus quem illi Pariſiis in ſuperba illa ſancti Ludovici Eccleſia populi exſtructa ſpoliis habere ſolent. In eo enim puerili voce adverſariis ſuis ſæpè maledicunt, nec tam ad fidem pueros & puellas, quam ad calumniam erudiunt. Meminit etiam ejus Jeſuitici Catechiſmi Montaltius Epiſtola 17.

Secunda eſt ſolemnis illa adoleſcentulorum pompa, vel potiùs concurſatio, quam in civitate Matiſconenſi anno 1651. bacchanalibus inſtruxerant. In hac elegans adoleſcens habitu puellari, omni excultus mundo muliebri, contortis crinibus & auro revinctis, triſtem quendam Epiſcopum poſt ſe religatum trahebat; huic nigrum velamen faciem infuſcabat, mitra papyracea caput ad ludibrium ornabat. Ne quis ignoraret triumphatricem illam puellam, addita inſcriptio, ſufficientem hanc eſſe gratiam indicabat. Sequebantur adoleſcentum greges alterius triumphum celebrantium, alterius calamitati inſultantium. Mirabantur imperiti, gemebant ſaniores: illi Jeſuitarum in inſtruendis bacchanalibus ſolertiam laudantes; hi Religioſis bacchanalium magiſtris graviter ſuccenſentes.

Hujus generis etiam eſt tertia, quâ in Collegii Claromontani tragœdia Janſenium à dæmonibus abreptum in tartarum exhibuerunt.

Verùm quarta illa fabula, quam *Almanachum* Montaltius vocat, magno Jeſuitis conſtitit, nec ſemel illos hujus incepti pœnituit. Solet Calendis Januariis per totam Galliam magnus pictarum Ephemeridum, ſive Calendariorum, quos *Almanachos* vocant, numerus vænire: hæc via viſa eſt Jeſuitis opportuna, ut calumnias ſuas per oculos in animum rudiorum inſinuarent. Ergo hoc conſilio *Almanachum* quendam exculi curarunt, quo in Janſenium alis dæmonis indutum,

dutum, errore, ignorantiâ, & fraude ſtipatum, hinc Summus Pontifex Religione & Eccleſiæ poteſtate circumdatus fulmina vibrabat; illinc Rex Chriſtianiſſimus zelo, pietate, concordiâ, juſtitiâ ſeptus, & ſceptro & juſtitiæ enſe ſæviebat: miſeri Janſeniſtæ larvali habitu undique fugati ad Calvinum ſe ſe recipiebant. Hæc tabella in vulgus ſparſa grandem ſalſamentariis & laniis ſermonem dabat, cùm ecce non multò pòſt libellus in vulgus editus eſt, aliquot millibus verſuum comprehenſus, qui tabellam Jeſuiticam illuſtrioribus coloribus ornabat; huic gallicè titulus: *Les Enluminures du fameux Almanach des Peres Ieſuites.* Nihil adhuc in hoc genere elegantius Gallia viderat, nec uſquam Jeſuitæ veris magis & nativis coloribus depicti ſunt. Ergo Jeſuiticum riſum magnus de Jeſuitis riſus conſecutus eſt; ſcenâque ſubitò mutatâ qui præ tumore intolerabiles erant, vix os ſuum populo audebant oſtendere: hunc enim libellum ab infimis ad ſummos omnes in manibus habebant; erat enim ejuſmodi qui vel rudes & imperitos oblectaret, & tamen vel politiſſimis ſatisfaceret. Nec verò hæc ſcriptio in jocularium Satyrarum numero habenda eſt, quæ nihil frugi poſſit afferre. Multa in illa feliciſſimo impetu adverſus Caſuiſtarum corruptelas, multa de autoritate Auguſtini, multa de ipsâ gratiâ, non modò venuſtè, ſed etiam doctè & ſolidè diſputantur. Quamobrem nullus iſto dignior liber, qui à noſtratibus gallicæ non modò poëſeos ſtudioſis, ſed etiam, ut cum Auguſtino loquar, rerum avidis ſtudioſè tractetur, quem propterea ipſis hoc loco indicare operæ pretium eſſe duxi.

EPISTO-

EPISTOLA QUARTA AD PROVINCIALEM.

Lutetiæ Pariſ. v. Kal. Mart. An. 1656.

Dominicanos vidi, vidi Doctores, alioſque de genere hoc; omnes illi nihil ad Jeſuitas. Parum erat quod antè didiceram, niſi hos conveniſſem. Illos cæteri tantummodò ſimulant. Nihil non in ipſo fonte hauritur melius. Unum igitur, at ex peritiſſimis adii, illo ipſo quicum apud Dominicanos unà fueram, comite Janſeniſtâ. At cùm de eo averem liquidiùs audire, quid ipſos inter & Janſeniſtas concertetur de gratiâ, ut vocant, actuali, quid iſtuc eſſet ex Patre quærere: humaniter facturum ſi aperire non gravaretur; neque enim ſatis percipere me quid illa vox ſibi vellet. Tum ille: Ego verò, inquit, ac lubens; curioſis enim obſequi ſtudeo. Accipe definitionem. *Gratiam actualem dicimus inſpirationem Dei quæ nobis divinæ voluntatis notitiam, & ejus implendæ deſiderium affert.* Quid eſt igitur, inquam, in quo à Janſeniſtis diſſidetis? Illud, inquit: Nos gratiam actualem in quâvis tentatione præſto eſſe volumus. Nam cùm hâc unâ peccata vitari poſſint homines quibus deſit in peccatis culpandos fore pernegamus. Contrà Janſeniſtæ defendunt peccata vel ſine actuali gratiâ commiſſa meritò culpæ dari: verùm illi ſomniant. Quid ille diceret ſuſpicabar: tamen ut idem planiùs evolveret: Mi Pater, inquam, vox illa, *gratia actualis*, me implicat nondum aſſuetum: idem amabo aliis verbis expedi; tam erit mihi gratum, quàm quod maximè. Teneo, inquit; nempe vis pro definito definitionem ſubjici. Placet; manet enim ſemper eadem ſententia. Hoc igitur ſentimus: Neminem in peccato jure culpari poſſe, niſi qui de illius pravitate

vitate divinitus ſit admonitus, & ad illud fugiendum excitatus. Intellexiſtin?

Perculit me hæc oratio. Ex ea enim & quæ per imprudentiam,& quæ Deo penitus oblito peccantur, vitii expertia judicari videbam. Reſpexi igitur ad Janſeniſtam, qui nihil ita credere ſatis vultu præ ſe ferebat: at ut ille nil reſpondebat, ego Jeſuitam appellans; Quam vellem, inquam, mi Pater, ut quæ modò dixiſti, hæc mihi certis argumentis ad veritatem perſuaderes. Vin tu, inquit. Jam hæc tibi inventa reddam, at exquiſita: quieſcas. Exin ille continuò ad libros pergit.

Ego intereà ad amicum: Obſecro, inquam, aliquot ne autores habet iſta ſententia præter ipſum? Rogas, inquit ille: ſic igitur habeto, nec Patres, nec Concilia, nec librum piè ſcriptum, vel his temporibus ita locutum. Caſuiſtas verò & Scholaſticos acervatim tibi congeret. Atqui, inquam, autores iſtos nihil moror, ſiquidem à Traditione diſſident. Bene ſentis, inquit. Nec plura. Pater advênit libris bene onuſtus; ablatoque quem præ manibus gerebat: En tibi peccatorum ſummam ſcriptore Patre Baunio,quin editionis quintæ,ut hujus libri pretium noris. Malè factum, clam mihi in aurem Janſeniſta, talem hunc Romæ, & ab Epiſcopis Galliæ cenſurâ inuſtum. Vide, inquit Pater, pag. 906. Legi igitur hæc verba: *Quò quis peccet, & ſe peccata reum apud Deum ſtatuat, noverit oportet pravum eſſe quod facere decernit, aut de eo ſaltem addubitans ac timens, vel judicans Deo diſplicere quod acturus eſt, nihilominus iſtud facere pergat, præceptumque tranſiliens cupiditati ſuæ pareat.* Pulchrè, inquam, initium dedit. Tum ille: At vide invidia quid facit. Hoc erat in quo Patrem Baunium Hallerius, non ille tum noſter, invaderet, & in ipſum hæc Scripturæ verba jaceret: *Ecce qui tollit peccata mundi.* Non inſcitè, inquam. Novam enim planè veſter hic Baunius redimendorum hominum rationem excogitavit.

Vin

Vin tibi, inquit ille, graviorem autoritatem dari? Ecce tibi Patris Annati librum quem in Arnaldum poſtremum ſcripſit: viden tu, quas hîc minio diſtinxi lineas? Has dixeris aureas. Vidi igitur hunc locum: *Qui nullam de Deo vel peccatis cogitationem habet, & nullomodò apprehendit*, id eſt, ut Pater interpretatus eſt, nullomodò cognoſcit, *amoris Dei vel contritionis actus ſibi ex præcepto exercendos, nullam hic habet gratiam actualem. Sed iſtud non minùs verum eſt, horum actuum omiſſione nullum ab ipſo peccatum admitti: nec ſi damnetur, propterèa damnari poſſe.* Ac paulò infra: *Quod idem de culpabili commiſſione dici poteſt.* Videſne inquit, ut omnia peccata complectatur, ſeu malum committas, ſeu bonum omittas? Vah, nihil prætermittit. Tu verò quid ad hæc? Beaſti, inquam. Eia quàm præclara inde auguror. Cerno jam animo quàm pulchra ſeries inde nectatur. Quot mihi ſe ſe myſteria offerunt! Hujus quidem ut video, ignorantiæ operâ Deique oblivione multò plures abſolventur, quàm gratiâ & ſacramentis. Verùm, obſecro mi Pater, num vanâ me ludis lætitiâ. An hîc aliquid latet huic ſufficienti gratiæ ſimile, quæ non ſufficit? Diſtinctiunculas miſerè timeo: non ſemel illæ me illuſerunt: Sed amabo te, ſeriòne iſta? Hîc Pater nonnihil concaleſcens: Non eſt cur rideas, inquit; nihil hîc ambiguum. Ego verò, inquam, non rideo; ſed quò magis cupio, eò vereor magis.

Age igitur, ne quis hæreat ſcrupulus, accipe ſcripta Doctoris Moynii. Id enim ille in mediâ Sorbonâ docuit. Hauſerat iſtud quidem à nobis; at pulcherrimè explanavit & confirmavit. *Non committitur*, inquit, *peccatum, ſaltem propriè dictum, & imputabile ad culpam, ſine libero voluntatis conſenſu: antequàm verò voluntas conſentiat vel in legem peccati, vel in legem Dei, hæc geruntur in anima: hinc infunditur illi dilectionis aliquid à Deo, per quod inclinetur in rem quæ præcipitur: hinc ſollicitatur in contrarium per rebellem concupiſcentiæ motum: inſpiratur ipſi à Deo notitia infirmitatis, notitia medici, deſiderium ſanitatis, affectus implorandi auxilii: ſi ani-*

mus propter ſuperbiam negligat orare, & ad medicum confugere, deſeretur, & in peccatum ruet tranſgrediendo præceptum. Hæc omnia niſi in animo peragantur, actio non eſt verè peccatum, ſaltem imputabile ad culpam; ut hic Doctor & in reliquis uberiùs tradit. Præſto ſunt alia teſtimonia, ſi poſtulas. At nullum niſi recens (inſuſurrat mihi Ianſeniſta.) Video, inquam. Tum ego ad Patrem.

Quàm commoda iſtæc, mi Pater, quibuſdam mihi notis accident. Enimverò oportet ut illos huc adducam, paucos fortaſſe videris innocentiores: abeſt ab illorum mentibus ſemper Deus: rationis uſum vitia præverterunt: de infirmitate, de medico, de poſcendâ ſanitate, de exorando precibus Deo cogitaverunt nunquam: adeòque ex Doctore tuo baptiſmi adhuc integritatem retinent. Nunquam ipſis vel Deum amare, vel peccata deteſtari ſubiit: igitur ſi Annato tuo fides eſt, nihil omnino ab illis peccatum eſt, vel charitatis vel pœnitentiæ officiis omittendis. In captandis undique voluptatibus tota abit vita, quarum impetus ne minimus quidem ſcrupulus unquam repreſſit; propterea de ipſorum ſalute deſperabam. At tu eadem hæc certa ad ſalutem ſigna eſſe doces. Amo te, qui ſic homines abſolvis. Animas alii auſterè ac duriter curandas prædicant: tu quantò benignior, qui vel eas quarum deſperatior ſalus, rectè ſe habere oſtendis! O regiam prorſus viam, quam ſi ineas & in hâc & in futurâ vitâ ſis felix! Ego quidem adhuc ita putaram, quò magis Deus ex mente excidiſſet, eò graviùs ac frequentiùs peccari. At, ut video, ſi quis ſemel ex ſe impetraverit ut Deum prorſus obliviſcatur, omnia illi pura in poſterum. Abeant ſemipeccatores illi, quibus aliquod virtutis ſtudium ſupereſt; de eorum ſalute penitus actum eſt: at illos integros, perfectos, plenos, inveteratos peccatores vah nondum tartarus tenet, dum ſe diabolo totos tradunt, ludos ipſum fecerunt.

Hæc cùm Patri à ſuâ ſententiâ bellè deducta viderentur, ſic tamen ipſe cautè ſe ſubduxit, nihil offenſionis præ

ſe

ſe ferens, ſive inſitâ manſuetudine, ſive prudentiâ. Ut intelligas, inquit, quo pacto hos ſcopulos effugiamus, ſic tecum puta nos quidem ita ſentire, illos de quibus dicis impios, ſine crimine futuros, ſi nulla ipſos mutandæ in melius vitæ cogitatio inceſſerit: at neminem ex illis his cogitationibus & deſideriis carere aſſerimus; atque adeò nullum unquam Deo ſinente in peccatum eſſe prolapſum, quin priùs tum iſtius peccati notitiâ cœlitus donatus ſit, tum illius vitandi deſiderio, vel implorandi certè ſuperni auxilii inſtinctu. Hæc qui neget, præter Janſeniſtas eſt nemo.

Tum ego: Hæccine eſt, inquam, mi Pater, Janſeniſtarum hæreſis, quòd abſurdum cenſeant, quotieſcunque peccetur adeſſe ſemper iſtum conſcientiæ morſum, *quo neglecto progrediamur tamen, & lineas tranſiliamus*, ut Patrem Baunium differentem induxiſti. Feſtivam quidem hæreſim, ſi quis eâ re hereticus habeatur. Ego quidem multos propterea damnari cenſebam, quòd nullas cogitationes bonas haberent: at quenquam ideò damnatum, quòd illas omnibus neget præſto eſſe, enimverò non putabam. Cæterùm ut hunc tibi errorem eripiam, religio jubet. Sexcenti ſunt, mi Pater, qui iſtiuſmodi deſideriis prorſus carent: peccant illi non modò ſine dolore, ſed etiam cum gaudio, imò cum gloriatione quâdam. Hæc tute omnium, nonne optimè noſti? Fieri enim aliter non poteſt, quin alicujus ex iſtis quos dico Confeſſionem exceperis: tales enim inter nobiles & primarios facilè reperias. At vide ex tuâ illâ ſententiâ quæ conſequantur. Sentiſne quomodò hæc à licentioribus animis accipientur, quibus nihil magis cordi eſt, quàm ut Religionis fidem apud ſe & alios labefactent. Quantam tu ipſis dubitandi cauſam ſufficis, dum hoc tanquam fidei dogma proponis, in ſingulis ipſos peccatis divinos monitus, divinos inſtinctus experiri? Eccui enim dubium eſt, quin cùm tuum illud fidei captu falſum eſſe ſenſerint, idem de cæteris exiſtimaturi ſint; ac vobis, quos in uno fallaces compererint, in omnibus fidem abrogaturi? adeòque

alterutrum certò colligent; aut falſam eſſe totam Religionem, aut vos ejus ignaros eſſe.

Ibi tum Janſeniſta orationis meæ ſuccedaneus; Meliùs, inquit, Pater, doctrinæ tuæ conſultum à te foret, ſi quid gratiæ actualis nomine intelligendum ſit, non ita dilucidè explanaſſes. Ecquid enim vobis fidei reliquum fore putas, ſi hoc ſemel prædicetis, neminem peccare, niſi qui divino munere antè ſit adeptus tum notitiam infirmitatis ſuæ, tum ſanitatis deſiderium, tum illius à Deo exorandæ votum? Quiſquam-ne tibi affirmanti credat, homines in omnium libidinum cœno demerſos, duelli, vindictæ, latrocinii cupiditatibus implicatos, interim tamen caſtitatis, humilitatis, ac cæterarum virtutum deſideriis ſæpisſimè tangi? Quis Philoſophos, qui naturæ vires ſic extulerunt, quidquam de ejus vel morbo vel medico ſuſpicatos putet? An hoc dicere ſuſtinebis, illos ipſos qui hoc quaſi certiſſimum effatum pronuntiarunt: *Divinum munus non eſſe virtutem, nec pro ipsâ quemquam Deo ſupplicaſſe*, eoſdem tamen de eâ precibus efflagitandâ ſæpius cogitaſſe?

Quid Epicurei, qui mundum negabant providentiâ regi? An illi etiam hæc orandi deſideria ſentiebant, cùm injuriâ Deum affici dicerent, ſi quis ejus opem imploret, quaſi in ipſum ulla rerum noſtrarum ſollicitudo & procuratio cadat?

Poſtremò quis ſibi in animum inducat, idolorum cultores, vel atheos, quoties ipſos ad peccandum cupiditas illexit, illexit autem infinities, toties hæc experiri deſideria deprecandi verum quem ignorant Deum, ut ab ipſo veras quas item ignorant virtutes accipiant.

Tum Pater fidenter ſanè: Nos, nos, inquit, hoc prædicabimus; & potiùs quàm iſtud fateamur, ſine peccati conſcientiâ, vel oppoſitæ virtutis amore peccari, nullis omninò nec impiis nec infidelibus hos inſtinctus deeſſe defendemus. Neque enim quidquam ex Scripturis afferre potes cur ita non ſit. Hic ego: Itáne, inquam, Scriptura

nobis

nobis advocanda eſt, ut rem probemus per ſe manifeſtam. Nullæ hîc fidei partes: factum agitur quod videmus, quod tenemus, quod intimo ſenſu percipimus.

At ille meus familiaris acceptâ quam Pater tulerat conditione: Nempe vis, inquit, ſoli demum Scripturæ concedere? Placet. At illi ſaltem cave repugnes; & cùm ipſa doceat *nationibus Dei judicia minime manifeſtata, omneſque gentes à Deo dimiſſas eſſe ut vias ſuas ingrederentur*, noli illis divinum lumen impertire, quos Scriptura *in tenebris & in umbra mortis habitaſſe & ſediſſe* teſtatur.

Parumne tibi eſt ad iſtud tuum dogma revincendum, quod Apoſtolus propter illud peccatum principem ſe peccatorum dicat, quod imprudens ac cæco Dei zelo commiſerat? Parumne tibi eſt quod ex Euangelio diſcis, his qui Chriſtum cruci ſuffigebant veniam quam pro ipſis orabat opus fuiſſe, quamvis tantum illud ſcelus ignari admitterent, non admiſſuri Paulo teſte ſi noviſſent?

Parumne eſt quod admonet Chriſtus, futuros qui cùm maximè ad Eccleſiæ perniciem incumbent, Deum ſe demereri putabunt? Ex quo intelligere eſt omnium peccatorum ſummum ab iis admitti poſſe, qui ſi ſe aliter gerant, peccaturos ſe arbitrentur? Parum denique eſt quod à Chriſto ipſo didicimus, prudentes alios, alios imprudentes peccare, utriſque paratam pœnam, imparem tamen?

Ibi tum Pater tot Scripturæ ad quam confugerat teſtimoniis evictus, de gradu dimoveri cœpit, & infideles ac impios liberè ſine inſtinctu peccare ſinens, ſaltem, inquit, illud non abnuetis quin juſtis omnibus. At ego: Pedem refers, inquam, Pater, gradumque deſeris: cardinem quæſtionis omittis, perſpectâque dogmatis tui in impiis inanitate, jam compoſitione factâ illud ſaltem in juſtis retinere ſtudes. At ſi ita res eſt, jam ad paucos uſus illius redierit, nec eſt ferè cur de eo litigemus.

At ille meus comes qui hæc ipſa videbatur ipſo manè didiciſſe, adeò omnia habebat in promptu; Hoc illud eſt,

inquit, extremum vallum quò ſe veſtri recipiunt, cæteris depulſi munimentis. At in eo nihilo tutiores ſunt : non enim plus à vobis facit juſtorum exemplum. Quis enim illos ſæpius ita per incogitantiam peccare dubitet, ut ſe peccare non advertant? Quàm multis & quàm occultis concupiſcentiæ laqueis aſſiduè ſe irretiri ſancti querun-tur! Quàm ſæpè vel maximè ſobrii gemunt ſe voluptati ſervire, dum ſervire valetudini putant, ut de ſe Auguſtinus in Confeſſionibus lamentatur. Quàm frequenter etiam veritatis amantiſſimi ſuâ, non veritatis causâ commotiùs altercantur, dum nihil aliud niſi veritatem ſibi videntur habere propoſitam, quem errorem ſuum non niſi multò pòſt animadvertunt! Quid porro de illis ſentiemus, qui ardenter ad nonnulla feruntur quæ mala neſciunt, licet re-ipsà ſint? Hujuſmodi multa exempla in Eccleſiæ monu-mentis extant, nec tamen à Patribus tales peccato libe-rantur.

Alioquin quæ tandem eſſent in juſtis occulta delicta? Quo pacto illæ retinebuntur Chriſtianæ ſententiæ, pec-catorum & numerum & magnitudinem ſoli Deo notam? Utrùm amore an odio ſit dignus ſcire neminem; omneſque ſanctos quamvis nihil ſibi malè conſcios, in timore tamen & tremore ſalutem ſuam operari debere, ut de ſeipſo Pau-lus affirmat?

Videſne igitur illam peccati notitiam, illud oppoſitæ virtutis ſtudium, quæ tu neceſſaria aſtruis ad peccandum, non impiorum modò, ſed pietate præſtantiæ exemplis dis-jici; in illis ardens vitiorum libido nullum virtutis amorem eſſe teſtatur: in his vehemens virtutis ſtudium non ſemper adeſſe demonſtrat eorum conſcientiam delictorum, quæ teſte Scripturâ quotidie multa committunt.

Peccant igitur aliquando per ignorantiam juſti, imò excellenti ſanctitate prædìti vix aliter quàm per ignoran-tiam peccant. Nihil eſt quo vel leviter Deum offenſum iri putent puriſſimæ illæ animæ, quod non ipſæ ſummo

ſtudio,

ſtudio, ſummâ cautione declinent; multa tamen quotidie peccata ſuſcipiunt. An tibi igitur tam incommodè placet de illis ſentire, ut nullam ab ipſis admitti culpam putes, quin infirmitatis & medici cognitione priùs illuſtratæ & ad orandum Deum illectæ, divinos illos monitus contempſerint?

Quid ex iſtis omnibus efficitur, Pater? Illud nimirum, neque ſceleratos, neque pios quoties peccant, hanc notitiam habere, hæc deſideria, hos inſtinctus; id eſt, ſi verbis tuis utendum eſt, non ſemper habere gratiam actualem. Non igitur cum illâ recentiorum turbâ dixeris, peccari non poſſe ſi ignoretur juſtitia; at cum Auguſtino potiùs & antiquis, *neceſſe eſſe ut peccet, à quo ignoratur juſtitia.*

Non minus in juſtis hærebat Pater, quàm in impiis: neque tamen animo cecidit; ſed neſcio quid ſecum commentatus: Hem, inquit, habeo quo vos teneam; ac Baunii librum repetens, & eundem quem ſupra locum oſtendens: Videte, inquit, quibus nitatur argumentis, & certè validis; ipſum rationibus non egere noveram: legite quem ex Ariſtotele profert locum: alterutrum certè dabitis, vel cremandos Ariſtotelis libros, vel nobiſcum eſſe ſentiendum.

Attendite enim quæ principia conſtituat. *Non poteſt actio*, inquit, *vitio verti, ſi ſit involuntaria.* Fateor, inquit Janſeniſta. Ego vero: Nunc primùm, inquam, vos video concordes: Hic, ſi me audis, Pater, reſiſte. Nil agerem, inquit; explicandæ ſunt illæ conditiones quas requirit actio voluntaria. Quàm vereor, inquam, ne rurſus rixandi cauſa ſuboriatur. Nihil eſt, inquit, quod timeas: certa res eſt; meus eſt Ariſtoteles. audite Baunium: *Vt actio ſit voluntaria, oportet ut proficiſcatur ab eo qui videat, qui norit, qui introſpiciat quid in ea ſit boni vel mali. Voluntarium eſt, ut cum Philoſopho vulgò dicitur* (non ignoras, inquit leviter mihi digitos aſtringens, ſic Ariſtotelem appellari) *quod ſit à principio cognoſcente ſingula in quibus eſt actio: ita cùm voluntas*

imprudens

imprudens & ſine maturâ conſideratione aliquid vel amplectitur vel refugit, facit vel omittit, antequam intellectus animadverterit utrùm in eo proſequendo vel fugiendo, faciendo vel omittendo aliquid inſit mali, hæc actio nec bona eſt nec mala: quia ante illam conſiderationem & inquiſitionem bonitatis vel pravitatis ejus rei in qua animus occupatur, actio non eſt voluntaria. Habeſne, inquit, ampliùs quos requiras? Nihil, inquam: veſtro Baunio ſuccinere videtur Ariſtoteles; miror tamen. Itane, inquam Pater, ut voluntarium quid agas, non ſatis eſt ſcire quid agas, nec ob aliud facere, niſi quia velis; requiritur ne ampliùs, ut quis videat, ſciat, pernoſcat quid boni malive in illâ inſit actione? Hoc ſi ita eſt, quàm pauca voluntariè fiunt! Vix eſt enim qui de his cogitet. Quot inter ludendum juramenta; quot, quantæque aleæ, ganearum, & bacchanalium inſaniæ voluntariis actibus eximentur, & ideò peccatis, quòd adjunctas non habeant commentationes illas de rerum iſtarum vel malitiâ vel bonitate? Hæccine, mi Pater, Ariſtotelis ſententia? Mirum; nam doctus vulgò & intelligens perhibetur.

Jam ſcies, inquit Janſeniſta: ſimul volumen Ariſtotelis de moribus à Patre poſtulavit, idque tertii libri initio aperuit, unde ſuum illum locum Baunius deſumpſerat: mox ad Patrem: Facilè patior, inquit, quòd aſſerenti tuo ſodali hanc eſſe Ariſtotelis mentem credideris; ſi legiſſes, aliter profectò ſentires. Docet quidem ille, quò voluntariè quis agat, noſſe illum debere ſingula in quibus eſt actio: ſed quid tandem intelligit, niſi accidentia noſtris actibus circumfuſa? Luculenter id demonſtrant quæ Ariſtoteles ſubjungit exempla. Non enim alia profert, niſi ea in quibus aliquod actionis adjunctum ignoratur. Tale eſt illius hominis exemplum, qui machinam oſtentans, imprudens illam diſplodit, hominemque vulnerat. Tale eſt illud Meropes, quæ hoſtis loco filium interfecit; & ſimilia. Hinc diſce cujuſmodi ſit ea ignorantia quæ noſtras actiones involuntarias efficit: diſce, inquam, non aliam eſſe niſi cir-

cumjectorum accidentium, quæ à Theologis, ut tute optimè noſti, *ignorantia facti* dicitur. At de illâ *juris ignorantiâ*, id eſt, bonitatis illius vel pravitatis quæ in ipſa ineſt actione, videamus utrùm Ariſtoteles Baunio veſtro conſentiat. En ipſius verba: *Quæ agenda, quæ fugienda nullus improbus non ignorat; & hoc ipſo vitio improbi & injuſti ſiunt. Non igitur ideò quiſque involuntariè agere dicitur, quia quid expediat neſcit. Omnino enim illa ignorantia, quâ quis eligit certum aliquod malum, non efficit ut involuntaria ſit actio, ſed ut ſit mala: quod idem de eâ dici poteſt, quâ quis præcepta bene vivendi generatim ignorat. Talem enim ignorantiam vitio vertimus. Quæ verò involuntarias facit actiones, ac veniâ vel miſericordiâ dignas, circa ſingulares rerum circumſtantias tota verſatur; & tunc propriè veniæ locus.* Quid ais, mi Pater? An tecum adhuc Ariſtotelem facere dixeris? Quis porro non miretur ethnicum Philoſophum meliùs & intelligentiùs quàm veſtri Doctores, conditiones illas explicaſſe, quibus actiones noſtræ voluntariæ fiunt, excuſantur vel non excuſantur à noxâ; quæ doctrina ad totam morum diſciplinam & animarum rectionem maximi momenti eſt?

Quamobrem, mi Pater, nihil jam in illo Philoſophorum principe vobis eſſe præſidii putes; & Theologorum potiùs principi concedite, qui totam hanc controverſiam ita dirimit lib. 1. Retr. cap. 15. *Qui neſciens peccavit, quia voluit fecit, etiamſi non quia voluit peccavit, neſciens peccatum eſſe quod fecit: ita nec tale peccatum ſine voluntate eſſe potuit; ſed voluntate facti, non voluntate peccati: quod tamen factum peccatum fuit; hoc enim factum eſt quod fieri non debuit.*

Conturbatus aliquantulùm nobis viſus eſt Jeſuita; magis adeò propter Ariſtotelis, quàm propter Auguſtini teſtimonium: ſed ut ſe ad reſpondendum comparabat, Mareſchallam N. & Marchioniſſam N. adeſſe, & ipſum conventum velle nuntiatur. Ibi tum ille feſtinus: Referam, inquit, ad Patres: aliquamne dubita reſponſionem excogitabunt: hîc enim quoſdam habemus acutiſſimos. Sic ille; & continuò

continuò digreſſus eſt. Senſimus cur ita properaret. At poſtquam ſoli fuimus, ego ad amicum: Enimverò, inquam, majorem in modum ſtupeo quantam perturbationem hæc doctrina in morum ſcientiam invehat. Ille autem: Ego verò, inquit, magis etiam ſtuporem tuum ſtupeo. Neſcis nuſquam illos licentiùs & flagitioſiùs quàm in morum doctrinâ peccaſſe? Deinde horrenda quædam exempla ſubjecit; cætera in aliud rejecit tempus. Hæc poſtquam ex ipſo cognovero, ea proximis litteris ad te deferam. *Vale.*

IN QUARTAM EPISTOLAM
NOTA PRIMA.

Ieſuitarum doctrina de bonis cogitationibus ſemper præſentibus, à Sorbonâ & Lovanienſi Facultate damnata.

Ieſuiticam bonarum cogitationum in omnibus peccatis ſe ſe ingerentium doctrinam, non unus Montaltius, non uni Janſenii defenſores; ſed tota olim & libera Sorbona in Patre Baunio gravi Cenſurâ coërcuit. Nam cùm hic docuiſſet in loco ab Epiſtolæ ſcriptore citato, *Nunquam peccari, niſi præviâ peccati cognitione animus illuſtretur, ejuſque vitandi deſiderio extimuletur*; HANC PROPOSITIONEM FALSAM ESSE, ET VIAM APERIRE AD EXCUSANDAS EXCUSATIONES IN PECCATIS Doctores omnes cenſuerunt die 1. Aug. An. Do. 1641.

Quin etiam eximii illi Pariſienſes & Rothomagenſes Parochi, qui excutiendis & excerpendis Caſuiſtarum libris immortale ſibi decus pepererunt, hanc inprimis doctrinam in egregio præloquio, excerptis ſuis præfixo, inſectantur; ejuſque Cenſuram ab Epiſcopis flagitant.

Poſtremò nuper admodum Lovanienſis Facultas die 4. Maii 1657. eandem Baunii ſententiam hac Cenſurâ perſtrinxit: *Et contra communia Chriſtianæ Theologiæ principia; & innumera etiam immaniſſima hominum peccata excuſat cum pernicie animarum.* En quid autoritatis habeat etiam nunc hæc opinio, quam Molinianæ doctrinæ cardinem verè dixeris: à præſtantiſſimis & doctiſſimis totius orbis Parochis accuſatur; à præſtantiſſimis Facultatibus Cenſurâ inuritur. Sed de re ipsâ quoniam latè diſſeruit Montaltius, nos breviores erimus, quædam tantùm annotaſſe contenti.

In primis notandum: cùm Catholici ignorantiam juris naturalis à peccato non excuſare defendunt, non ideò eos velle illam ignorantiam

tiam eſſe peccatum, ſi nihil ex ipsâ perpetretur. Aliud eſt enim ipſam per ſe ignorantiam eſſe peccatum, quod nemo de ignorantiâ invincibili dicit: aliud à peccato non excuſare, ſi quis per illam aliquid flagitii deſignet. Quamobrem apertè calumniatur recentior Caſuiſtarum Apologiſta, dum hanc ſententiam: *Ignorantiam invincibilem eſſe peccatum*, illis quos vocat Janſenianos, impingit: quam calumniam debuit dediſcere ex ſecundâ Apologiâ Janſenii, quæ criminationem illam conterit lib. 3. cap. 9.

2. Notandum eſt, Baunii ſententiâ non ea modò, quæ ex ignorantiâ invincibili fiunt, peccatis eximi; ſed omnino quicquid per ignorantiam peccatur, ſive vincibilem ſive invincibilem. Attentio enim illa & commentatio animi ſuper actionis pravitate, quam in ſingulis peccatis neceſſariam docet, omnem omnino ignorantiam, tam vincibilem quàm invincibilem excludit. Prorſus igitur ex ipſo nullum ignorantiæ peccatum eſt; delendæque ex Scripturâ omnes illæ orationes, quibus pro peccatis ignorantiæ Deum deprecamur.

Notandum 3. mitiùs agere cum Baunio Theologos, qui ejus ſententiam errorem modò appellant. Jure enim poterant hæreſim appellare; quia aliqua eſſe peccata ignorantiæ fide conſtat, cùm id tam expreſsè in Scripturis habeatur, & præterea à Concilio Dioſpolitano definitum ſit, in quo ipſe Pelagius ad ejurandam illam Celeſtii ſententiam coactus eſt: *Oblivionem & ignorantiam non ſubjacere peccato, quoniam non ſecundum voluntatem eveniunt; ſed ſecundum neceſſitatem.* Poſtremò totius Traditionis ſenſu confirmatur, à quâ tam abhorret Baunii ſententia, ut neſciam an nullum ejus autorem proferre poſſint Jeſuitæ, niſi fortè anonymum quendam, cujus meminit Bernardus, & pro meritò caſtigat Epiſt. ad Hugonem de ſancto Victore, cap. 4. quem locum hîc aſcribam, ut ex viro ſanctiſſimo diſcat Apologiſta, quanto in errore Jeſuitæ verſentur. *Iam*, inquit, *contra aſſertionem tertiam non multùm nobis arbitror laborandum: quòd manifeſtam nimis præferat falſitatem.* . . . . *Verendum tamen, ne ſi vel breviter non reſpondetur ſtulto juxta ſtultitiam ſuam, putans fortè ſapientiam, ſecuriùs ſpargat ſeminarium vecordiæ in auribus inſipientium, & ita jam inſipientiæ ejus non ſit numerus. Veritatis proinde teſtimoniis paucis & manifeſtis, manifeſtum mendacium confutetur. Is forſitan qui aſſerit non poſſe peccari per ignorantiam, nunquam pro ſuis ignorantiis deprecatur; ſed potiùs Prophetam irrideat deprecantem & dicentem: Delicta juventutis meæ & ignorantias meas ne memineris. Forſitan & reprehendet Deum exigentem pro peccato ignorantiæ ſatisfactionem.* . . . .

Si ignorantia nunquam peccatum eſt, cur dictum eſt in Epiſtolâ ad Hebræos, quia in ſecundo tabernaculo ſemel in anno ſolus Pontifex intraret, non ſine ſanguine, quem offerret pro ſui & populi ignorantiâ? Si peccatum ignorantiæ nullum eſt, non ergo peccavit Saulus, quòd perſecutus eſt Eccleſiam Dei, quoniam quidem ignorans hoc fecit, manens in incredulitate. Bene itaque faciebat quod erat blaſphemus, & perſecutor, & contumelioſus; quòd erat ſpirans minarum & cædis in diſcipulos Domini; in hoc ipſo quippe abundanter æmulator exiſtens paternarum ſuarum traditionum. Non ergo debuit dicere, miſericordiam conſecutus ſum; ſed mercedem

dem recepi: quippe quem ignorantia à peccato reddebat immunem, inſuper & æmulatio remunerabilem judicabat. Si, inquam, ignorantiâ nunquam peccatur, quid ergo cauſamur adverſus occiſores Apoſtolorum; quoniam quidem non ſolùm malum eſſe neſcierunt interficere illos, ſed inſuper quoque id faciendo arbitrati ſunt obſequium ſe præſtare Deo? Sed & fruſtra in Cruce Salvator pro ſuis orabat crucifixoribus, quippe neſcientibus (ipſo teſte) quid facerent; & ita nequaquam peccantibus. Neque enim fas eſt ullatenus ſuſpicari mentitum fuiſſe Dominum Ieſum, apertè perhibentem eos ignorare quid facerent; etſi fortè de Apoſtolo dubitet quis, quòd carnem ſuam æmulans, ſicut homo, mentiri potuerit, ubi ait: Si enim cognoviſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent. Nunquid non ex his ſatis apparet, in quantis jaceat ignorantiæ tenebris qui ignorat peccari poſſe interdum per ignorantiam? Hactenus Bernardus, non ſuâ tantùm autoritate, ſed certiſſimis Scripturæ teſtimoniis Jeſuitarum errorem profligans.

NOTA II.

Refellitur cogitationum de quibus non cogitetur, inane commentum.

Recentior Caſuiſtarum Apologiſta cùm cæteros Jeſuitas ut maledicentiâ, ſic ſtultitiâ ſuperare inſtituiſſet, abſurdam Baunii de bonis cogitationibus ad peccandum neceſſariis ſententiam abſurdiore defenſione cumulavit. Nam cùm tot impiorum urgeretur exemplis, qui iſtos conſcientiæ morſus nullos experiuntur; & multa nefanda perpetrant quæ omnino pro nefandis non habent, eò confûgit ut diceret ejuſmodi homines non carere quidem iſtis cogitationibus cælitus immiſſis, non carere iſtis morſibus, iſtis bonis deſideriis, in quibus vulgò gratiam ſufficientem locant; ſed ea non advertere nec percipere. *Malo credere*, inquit pag. 36. *bonas cogitationes iſtiuſmodi hominibus non deeſſe; ſed illos nec naturæ lumen attendere, nec gratias ſufficientes quas à Deo accipiunt, etiam cùm ſe libidinibus dedunt. Sæpe, inquit, nos fugiunt etiam quæ per corpus gerimus; quantò faciliùs mentis & imaginationis actus, qui toti ſpiritales ſunt, mentem latere poſſunt?*

Nolo acriùs vitioſam illam Philoſophiam inſectari: ſatis illam rejiciet quiſquis noverit cogitationem neceſſariè involvere ſui conſcientiam. Unde Bellarminus De Grat. & lib. Arb. l. 2. c. 6. hanc ineptiam abigens: *Dicunt aliqui*, inquit, *Deum quidem perpetuò pulſare ad oſtium cordis & peccatores vocare; ſed eos aliis rebus intentos non percipere vocationem Dei. At hæc reſponſio cum ipſo experimento apertiſſimè pugnat. Nam cùm vocatio, pulſus, tractus, excitatio illa Dei, ſit actio noſtra, quamvis non libera, nempe bona cogitatio bonumque deſiderium repentè ac divinitus immiſſum; quomodò poteſt fieri ut non ſentiatur in nobis, ſi ſit non ſolùm in nobis, ſed etiam à nobis? Præterea ſi ſemper adeſſet talis gratia præveniens, ſemper actu bona cogitaremus & vellemus.*

Illud dico: commentum hoc qualecunque ſit, nihil ad Baunium excuſandum facere; imò nec ad tuendam gratiam illam ſufficientem, quam in omnibus peccatis quidam ingerunt. Non excuſat, inquam,

iam, Baunium: non enim ille aliquâ ignotâ nobis cogitatione con-ntus eſt: *attentionem, perceptionem* requirit; & ut ille loquitur, *flexionem. Non poteſt*, inquit, *aliquid culpæ tribui, niſi ſit voluntarium: n eſt autem voluntarium, niſi ab eo procedat homine qui ſciat, videat, enetret quid in eâ actione inſit mali. Nam cùm voluntas temere & in-ogitanter aliquid cupit aut refugit, antequam potuerit intellectus inſpi-ere, rectène illud appetatur aut fugiatur, hæc actio neque bona eſt, neque nala; cùm ante illam advertentiam ſeu inquiſitionem actio non ſit voluntaria.*

Nec magis excuſat Doctorem Moynium, qui antequam actio pec-catum dici poſſit, vult hæc omnia in animâ geri: *Primùm aliquid ſuavitatis à Deo immitti in præceptum: mox rebellem concupiſcentiæ motum excitari: deinde admoneri hominem infirmitatis ſuæ: tum inſeri cognitionem medici: orandi deſiderium & cogitationem inſtillari.* Hæc ſine attentione fieri poſſe non dicet ipſe Moynius, qui præclaram hanc catenam contexuit.

Sed longè adhuc minor eſt occultarum illarum cogitationum uſus ad eum finem propter quem inventæ ſunt. Quorſum enim ad illam ineptiam confugerunt Jeſuitæ? Nimirum ut vel ſic nulli de-eſſe ſufficientem & actualem gratiam defenderent: hæc cùm in co-gitatione & actu quodam voluntatis poſita ſit, nulli adeſſe dici po-teſt, cui non adſit cogitatio & amor boni. Sed hîc cùm occurreret tam multos ejuſmodi inſtinctus, ejuſmodi monitus in flagitiis non advertere; potius quàm malè ſanam opinionem abjicerent, latentes cogitationes comminiſci coacti ſunt, & in iis gratiam ſufficientem locare.

Verùm illi imprudentes dum uno ſe laqueo expediunt, in alium incidunt impeditiorem. Quis enim non videat quàm ſit abſurdum ad peccatum vitandum ſufficientem dici eam cogitationem, quam menti meæ ineſſe neſciam? Iſto modo ſufficienter de aliquo peri-culo monitus dici poteſt, cui dormienti & non audienti denuntia-tum fuerit. Nam ea cogitatio quam non adverto, planè ſimilis eſt voci quam non exaudiam. Hæccine ſalutis ſubſidia nobis afferunt, & tantopere venditant Jeſuitæ? Hæccine peccantibus erepta tam invidiosè quiritantur? Audiant hoc quicunque ſufficientis illius gratiæ nomine alliciuntur; & Moliniſtici doni inanitatem ac frau-dem tandem perſpiciant. Magnum quiddam ſibi promitti rentur, cùm paratam ipſis ſemper ſuâ operâ gratiam ſufficientem ſpondent Moliniſtæ. Sed ſi paulò curioſiùs inſtiterint, ac ſe ejuſmodi inſtin-ctus non quotieſcunque peccant experiri teſtentur; tum reſponde-bunt illi motus quidem iſtos in anima fuiſſe, ſed ab ipſis non eſſe perceptos; cùm nihil prodeſſe poſſent niſi perciperentur.

Verùm quàm audacter & quàm benignè volent tacitas illas cogi-tationes largiantur, per me licet. Hoc dico; ad bene agendum illas non ſufficere, eâ ſcilicet ſufficientiâ cui nihil deſit. Nemo enim ten-tationem actu ſuperat ſine voluntate & cogitatione ejuſmodi tenta-tionis vincendæ. Ergo cui deeſt illa cogitatio, ut ita loquar, conſpi-cua, quantum libet adſit tacita illa quæ non advertitur, nondum

tamen ſatis inſtructus eſt ad tentationem ſuperandam, & bonum agendum.

Ergo nodum difficultatis nullomodò attingunt occultæ cogitationis autores, nec quicquam Auguſtinianorum doctrinam labefactant, quæ non tacitas illas cogitationes, quæ inſint necne in animo neſcimus, impugnat: ſed illas tantùm expreſſas & apertas, quarum conſcii ſumus; quas non adeſſe in ſingulis peccatis, & evidentiſſimâ Scripturarum Patrumque autoritate, & compellatâ cujuſque conſcientiâ & experientiâ probant.

Cæterùm quòd hoc invento querelæ hominum defuiſſe ſibi gratiam quiritantium, occurrere ſe Jeſuitæ dictitant longiſſimè falluntur. Sic enim novas potiùs querelas excitant eorum, qui cùm Moliniſtis autoribus, poſito præcepto, jure ſibi debitam eſſe gratiam credunt, Deum injuriæ accuſabunt, qui debitam ſibi gratiam ſic exolvat, ut eam non advertere valeant. Jam verò pios in quantos conjiciet hæc doctrina ſcrupulos, ne fortè occultis illis cogitationibus non conſenſerint? Ita ubique vitium facit malè compacta ſententia: bonis gravis & moleſta eſt, peccantibus odioſa, ad approbandam ipſius Dei juſtitiam, ad fugandam deſidiam, quibus cauſis prætexitur, prorſus inutilis.

Obiter hîc in clauſulâ annotabo, Apologiſtam non tectè, ſed propalam purum putum ſe Pelagianum profiteri, dum ſic loquitur pag. 37. *Etſi darent Caſuiſtæ Ianſeniſtis, perfectos illos peccatores carere conſcientiæ morſibus; tamen inde non ſequitur ignorari ab illis quæ committunt crimina, & gratiam ſufficientem deeſſe.* Detractis conſcientiæ morſibus quid ſupereſt, niſi cognitio peccati? In hac locare gratiam ſufficientem, quid aliud eſt, quàm apertè Pelagianiſmum exſuſcitare, cujus vel præcipuum dogma: *Ad vitandum peccatum, legem, cognitionemque peccati ſufficere, nec veram & interiorem gratiam voluntatis requiri:* ut omittam quòd iſtos morſus, quos ſemper non adeſſe confitentur, etiam cùm adſunt, in quibuſdam formidinibus collocat iſte Apologiſta, quas pro verâ illâ gratiâ, quâ præcepta implentur & peccata vitantur, obtrudit: quod ab Auguſtino & cæteris gratiæ Doctoribus centies exploſum eſt.

NOTÆ PRÆAMBULÆ

in ſequentes Epiſtolas, ad Theologiam moralem ſpectantes.

NOTA PRIMA.

Quod ſit iſtarum notarum conſilium.

Initium Moralis Jeſuitarum diſciplinæ quinta Epiſtola continet, ab ipſo cardine & totius corruptionis fonte, PROBABILITATIS ſcilicet doctrinâ, repetitum. Sed quoniam quædam loca falſi arguunt, quædam defendunt Jeſuitæ, operæ pretium erit depulſis eorum cavillationibus, obtritis defenſionibus, fidem Autoris

ac doctrinam in omnibus ſanctam integramque præſtare. Ne tamen ſingulis argutationibus eorum repellendis fruſtra tempus teramus, breviter generales quaſdam eorum querimonias proponemus, & propoſitas refellemus.

Nota II.

PRIMA QUERELA JESUITARUM,

Exprobari ſibi à Montaltio, quæ Eccleſiæ ab hæreticis exprobrentur.

Univerſas Montaltii accuſationes generali quâdam exceptione depellere Jeſuitæ conati ſunt; non alia ſuis Doctoribus objici cauſantes, quàm quæ à Miniſtris Calvinianis, præſertimque à Molinæo, Eccleſiæ catholicæ objici ſolent. Hinc illi Montaltium haud obſcurè hæreticorum ſocium, nec aliam quàm Eccleſiæ catholicæ doctrinam in Caſuiſtis violari, invidioſiſſimè clamitant. Tantopere autem ipſis placuit hæc defenſio, ut eâ millies lectorum animos obtundant. Jure igitur illam cæteris ipſorum querelis præmittendam, & in limine conterendam cenſuimus, ut ſtatim ab Eccleſiâ catholicâ removeatur tam nefandorum dogmatum ſuſpicio; intelligaturque ab omnibus & nihil eſſe ipſi cum Jeſuitarum corruptelis, & nihil Montaltio cum hæreticis.

Quanquam quid opus eſt argumenta in eâ re ſtudioſè conquiri, cujus per ſe patet abſurditas? Eccui enim probatum iri ſperant Jeſuitæ, è Molinæi fontibus hauſta quæ Montaltius ex Caſuiſtis profert; cùm illi quibus frequentius utitur, Amicus, Baunius, Eſcobarius, Cellotius, Sirmundus, haud paulò poſt Molinæum ſcripſerit?

An porro in Molinæo tot vidit flagitioſa Jeſuitarum decreta, quæ omnino ibi non extant; in illorum libris ea videre non potuit, ubi tam facilè inveniuntur? Ego verò non aliud ad os occludendum Jeſuitis velim mihi dari, quàm illud ipſum, quod inter Montaltii & Molinæi criminationes παράλληλον inſtituerunt. Ita omnia diſſimilia ſunt, ut nemini qui illum viderit, dubium ſit futurum, tam non uſum Molinæo Montaltium in ſcribendis Epiſtolis, quàm Montaltio non uſus eſt in ſuâ ſcriptione Molinæus.

Verùm hæc facti quæſtio & minuta per ſe, & inutilis prorſus ad ſummam eſt. Demus enim quoſdam Jeſuitis errores à Montaltito objectos, quos impiè Molinæus in totam refundat Eccleſiam; quid aliud ſequitur, niſi Caſuiſtas illos Eccleſiæ dedecus, hæreticorum offenſionem eſſe? Quid ſequitur, niſi ab illis alios ab Ecclesiâ alienari, alios in ipsâ Eccleſiâ corrumpi, ut in ipſos jure iiſdem uti verbis poſſet ſanctiſſima mater, quibus olim ſanctus Patriarcha filiorum offenſus ſævitiâ uſus eſt: *Turbaſtis me, & odioſum feciſtis Chananæis & Phereſæis habitatoribus terræ hujus?*

Non ſatis tamen eſt Jeſuitis nihil de contumaciâ ſuâ remittere, quòd opinionum ſuarum licentiâ tantam hæreticis materiam dederint Dei viventis agminibus inſultandi: etiam inde gloriantur: inde ſe efferunt: inde aliis inſultant; & quaſi ad confirmandam ſuam do-

ctrinam non minoris eſſet ponderis hæretici reprehenſio, quàm Concilii œcumenici ſanctio, jam palam pro hæreticis inſectantur quotquot Caſuiſtis ſuis infenſos vident: nec modò illos errores, quos invaſerunt hæretici, hoc ipſo in tuto poſitos arbitrantur; ſed omnia generatim Caſuiſtarum flagitia, quæ nuſquam ab hæreticis Eccleſiæ exprobrata ſunt. Itaque ſi hæc ratio valeat, nil jam habent quod vereantur Jeſuitæ: impunè poſſunt omnem Chriſtianam diſciplinam evertere: nemini quicquam contrà muſſitare fas erit. Nuſquam enim non in promptu erit ipſis hæc defenſio adverſus reprehenſores ſuos: *Ab hæreticis Moralem Caſuiſtarum doctrinam carpi & reprehendi ſolere.*

Verùm doceri potuerant ab Auguſtino, canibus quidem Lazari ulcera lingentibus hæreticos eſſe ſimiles; quòd ut canes in ulceribus, illi in Eccleſiæ vulneribus verſentur, ibique linguæ maledicentiam paſcant; atque illos quidem propterea ſemper injuſtos ac ſceleratos eſſe, quòd ex filiorum criminibus matri dedecus & infamiam quærant, totumque corpus infectum prædicent aliquorum contagione membrorum: ſed tamen ut ab iſtis canibus, ſic item ab hæreticis vera nonnunquam vulnera lingi, vera morderi flagitia. Quamobrem Eccleſia hæreticorum maledicta, eorum quæ incuſant non defenſione, ſed damnatione repellit: oſtendit quàm non illa ſibi probentur: quàm non minùs illa quàm hæretici imò longè ampliùs veriùſque deteſtetur?

Sic Auguſtinus Manichæos quidem reprimit privatorum corruptelas in totam Eccleſiam congerentes: ſed illas tamen ipſe non minùs ſeverè quàm Manichæi, damnat, & ab Eccleſia damnari demonſtrat. *Nolite* (inquit de moribus Eccleſiæ lib. 1. cap. 34.) *mihi colligere profeſſores nominis Chriſtiani, nec profeſſionis ſuæ vim aut ſcientes, aut exhibentes. Nolite conſectari turbas imperitorum, qui vel in ipsâ verâ Religione ſuperſtitioſi ſunt, vel ita libidinibus dediti, ut obliti ſint quicquid promiſerint Deo. Novi multos eſſe ſepulchrorum & picturarum adoratores: novi multos eſſe qui luxurioſiſſimè ſuper mortuos bibant; & epulas cadaveribus exhibentes, ſuper ſepultos ſeipſos ſepeliant, & voracitates ebrietateſque deputent religioni. Novi multos eſſe qui renuntiaverunt verbis huic ſeculo, & ſe omnibus hujus ſeculi molibus opprimi velint, oppreſſique lætentur....... Nunc vos illud admoneo, ut aliquando Eccleſiæ catholicæ maledicere deſinatis, vituperando mores hominum quos & ipſa condemnat, & quos quotidie tanquam malos filios corrigere ſtudet.*

Talis eſſet Montaltii oratio: talis omnium catholicorum debet eſſe adverſus hæreticos, cùm privatæ Societatis labes toti Eccleſiæ intendunt; quas illa ſemper tum Conciliis ſuis repreſſit, tum Patrum ſcriptis & voce damnavit, tum maximè bonorum vitâ quotidie, & quodam communi pietatis ſenſu Chriſtianorum animis impreſſo damnat & improbat.

Quid enim aliud cauſæ fuit, cur illæ Caſuiſtarum opiniones apud populum evulgatæ, plùs invidiæ odiique Jeſuitis conflarint, quàm ulla inimicorum convitia; niſi quòd alienos ab iſtis corruptelis populorum animos offenderunt? Nec ignorant ipſi quantùm his litte-

ris

ris exiſtimationi Societatis vulnus impoſitum ſit: præcipuè verò ſolitudinem ſuam, omniumque à ſe hâc in causâ defectionem lugubri queſtu lamentantur recentioris Apologiſtæ voce. *Non dubito*, inquit ille, *quin Ieſuitis multò tolerabiliora fuerint exilia & martyria, ſolitudine illâ & deſertione quam Societas experta eſt. Exules ipſos honor olim & populorum gratia ſequebantur: nunc verò quemcunque vultum ſibi fingant, malè accipiuntur. Si tacent, ridentur; ſi reſpondent, objurgantur; quaſi patientiæ autores aliis, irrideri ſe impatienter ferant.* O Miſeros qui non animadvertant totam hanc invidiam, quâ tam acerbè anguntur, ex ipſarum opinionum pravitate profectam quæ horrori omnibus & execrationi ſunt.

Atque illa quidem populi Chriſtiani in ſcelerata dogmata liberrima indignatio ſatis hæreticorum criminationes repelleret, ſi quis ea toti Eccleſiæ auderet tribuere. Sed tamen ut is illuſtriùs etiam emineat Eccleſiæ ſenſus, optimè comparatum eſt, ut pleraque dogmata eorum quæ carpit Montaltius, publicè vel à Facultatibus proſcripta ſint, vel ab Epiſcopis Galliæ damnata, anno 1642. Baunii de Morali Theologiâ libros gravi Cenſurâ inuſſerunt, *tanquam qui ad mollitiem & diſſolutionem morum homines inducerent: æquitati naturali juri gentium adverſarentur; blaſphemias, uſuras, ſimonias quaſi leviora peccata nequiſſimè excuſarent.* Solus quidem Baunii liber tum pœnas dedit, & Cenſorium hoc ſtigma ſuſtinuit; ſed tamen in Baunio omnes pene Jeſuitarum Caſuiſtæ eâdem notâ ſuggillati dici poſſunt. Peſſimus enim quidem iſte eſt Baunius, verùm cæteris non deterior. Omnes ferè ſimiles; ut qui unum norit, omnes noverit.

Eaſdem Baunii labes ſigillatim quoque damnavit Sorbona Anno 1641. quæ Cenſura, tametſi in publicum, Jeſuitarum gratiâ compreſſa non manavit; tamen in Facultatis Tabulariis habetur.

Nec minùs zelum ſuum nobilitavit Facultas Lovanienſis, quæ duorum Eccleſiæ luminum, Mechlinienſis ſcilicet, & Gandavenſis Epiſcopi rogatu, omnes ferè Caſuiſtarum opiniones quas in his litteris inſectatur Montaltius, ſigillatim aut conjunctim improbavit.

Sed nihil clariùs quam Pariſienſium, Rothomagenſiumque Parochorum, pro Chriſtianâ morum inſtitutione adverſus Jeſuitas propugnandâ, tanta contentio; cui ſe bona pars Parochorum totius Regni Galliæ ad eorum dogmatum damnationem depoſcendam adjunxit.

Ipſe denique poſtremus Cleri Gallicani conventus, quem totum Jeſuitæ ſuum putabant, tamen in hâc causâ hoc tantùm Jeſuitis indulſit, ut eorum nomen taceret, ipſas verò opiniones quas hic inſectamur, graviſſimis verbis proſcripſit, quæ nos integra in ipſo limine repræſentavimus. Quòd ſi ſigillatim ſuam non inflixit ſingulis propoſitionibus notam, temporis anguſtiis, non voluntati ſuæ tribuendum conteſtatur. Sed quæ non potuit iſte, præſtabit proximus, præſtabunt fortè ſinguli Epiſcopi. Interim non ſibi temperabunt catholici Theologi, quin illam luem in Eccleſiam ſubeuntem & voce & ſcriptis inſectentur: nec vaniſſimam reprehenſionem formidabunt, quòd quædam ab hæreticis culpata

reprehendere cogantur: imò animi verè catholici præclarum ſe indicium dare putabunt, ſi falſum nuſquam non oderint, ac ſuccreſcentes morbos in Eccleſiæ membris ignavâ diſſimulatione non foveant. Hæreticorum eſt ſuorum contumaciter errores defendere: catholicorum eſt contra, errores damnare vel in ſuis. Veritatis templum Eccleſia eſt, non hominum ad ſcelus coïtio. Non minùs illa violatur filiorum ſuorum injuriis, quàm inimicorum contumeliis. *Gemit*, inquit Auguſtinus, *columba inter alienos & intrinſecùs inſidiantes, & extrinſecùs oblatrantes.*

At cùm catholici nonnullas in quibuſdam divini corporis membris labes reprehendunt, quæ itidem ab hæreticis reprehenduntur, in ſimilitudine operum diſſimillimis utuntur conſiliis. Hi filiorum dedecus in matrem refundunt; illi matrem defendunt à filiorum dedecore. Hi ſtudent revelare ignominiam Jacob & ſanctuarium Domini polluere; illi diligunt decorem domus Dei, & expurgare ſanctuarium quærunt. Abeſſe ab Eccleſiâ Deum ex catholicorum vitiis probare contendunt hæretici; contrà catholici adeſſe in Eccleſiâ inde confirmant, quòd ſola Eccleſia catholica omnes errores, omnia ſcelera deteſtatur.

Ridicula igitur prorſus, & puerilis Jeſuitarum cantilena, dum ſibi objici toties queritantur quæ Eccleſiæ hæretici objiciunt. Tantò enim hæc ipſis vehementiùs exprobranda fuerunt, ne Eccleſiæ catholicæ ab hæreticis exprobrari poſſent. Amovenda prorſus fuit ab Eccleſiâ teterrima ſuſpicio, & neceſſaria privatæ Societatis infamiâ totius corporis decus redimendum. Quanquam quòd iſtorum patefactione infamatam Societatem ſuam putant, perverſæ teneritudinis eſt. Verum dedecus in ſuſcipiendis ſceleribus, in fovendis erroribus ſitum: contrà nefarias opiniones abjicere glorioſum ac prædicandum eſt. Hoc veriſſimum decus ſemper in Jeſuitarum manibus erit; hoc ipſis optat Montaltius: ad hoc ipſos quantùm potuit hortatus eſt, nunc jocis & ſalibus iſtorum dogmatum abſurditatem exagitans, nunc Jeſuitas durioribus, cùm opus fuit, increpationibus pungens: ubique tamen ipſis, ubique Eccleſiæ conſulens. Cujus veritatem cùm tueretur, etiam unitati ſtuduit; & cùm in Jeſuitis multas paſſim hæreſes notarit, cavit tamen ne uſquam illos hæreticos appellaret: totum hoc audaciæ ipſorum reliquit, qui quoſcunque Societati ſuæ adverſos norunt, tametſi aliunde Eccleſiæ addictiſſimi ſint, pro hæreticis in ſcriptis ſuis inſolentiſſimè traducunt. Idem quoque in his notis inſtitutum tenebo. Multas coarguam Jeſuitarum hæreſes; nuſquam tamen illos hæreticos dicam: non enim pro hæreticis habeo. Novi tamdiu malos à ſingulis ferendos, quamdiu ab Eccleſiâ tolerantur. Videant ipſi utrùm de Eccleſiâ ſint, & ſe ex illis Auguſtini vocibus expendant, de Baptiſmo contra Donatiſtas l. 3. c. 9. *Hujus autem fraternæ charitatis inimici, ſivè apertè foris ſint, ſivè intus eſſe videantur, pſeudochriſtiani ſunt & Antichriſti.*

NOTA III.

Refellitur alia querela Ieſuitarum ; Quòd ipſis tribuantur quæ ipſi ab aliis hauſerint.

Queruntur deinde ſibi tribui quod ab aliis ipſi acceperint.

Reſpondetur. Aliquid ad augendam virtutis laudem facit, non habere conſortes : nihil ad vitium excuſandum , delicti ſocios habere. Sufficit ut hæc Jeſuitæ docuerint , ut meritò Jeſuitis tribui poſſint : nec neceſſe habuit Montaltius libros ineptos undique conquirere & ſcrutari, ut illud cognoſceret,an ſoli Jeſuitæ flagitioſi fuerint.Non is modò opinionis alicujus autor dicitur,qui illam primus extulit ; nonnunquam etiam qui majori ſtudio & autoritate propugnavit. Donatiſtarum princeps dictus Donatus , nec tamen ille princeps illius ſchiſmatis fuit. Simillimè Jeſuitæ , etiamſi hinc inde corruptelas varias ex quibuſdam aliis arripuerint , tamen illarum autores meritò dicuntur, quia illas undique diſſeminant, & ſuæ per orbem ſparſæ Societatis operâ omnium animis inſtillant. Alii ſcriptores ferè ſibi peccant , aut certè non multis : Jeſuitæ toti Eccleſiæ peccant , quam ubique ſuis novitatibus inficiunt. Latebant hæc dogmata in bibliothecarum angulis : paucis nota, paucis nocebant. At ipſa Jeſuitæ ſuper tecta prædicarunt , in aulas Regum , in familias privatorum, in curias Magiſtratuum invexerunt.

Nota IV.

De omiſſis Scriptorum nominibus querela retunditur. S. Thomas inſigniter à Ieſuitis falſatus.

Queruntur tertiò prætermiſſa multis in locis variorum ſcriptorum nomina, quorum congeſtu doctrinæ ſuæ autoritatem Caſuiſtæ conciliant.

Reſpondetur, ejuſmodi decreta his litteris exhiberi,ut quicunque illa ſuo calculo comprobet, ſuam potiùs indicet pravitatem , quàm ipſis aliquid roboris addat. Nihil ergo detraxit Jeſuitis noſter hic ſcriptor , dum paginas ſuas barbarorum nominum congerie fœdare & onerare noluit , tantùm otio & tædio legentium conſuluit.

Acceſſit alia gravior cauſa. In autoribus citandis magna Jeſuitarum indiligentia & exigua fides. Ergo ſcriptores propterea nefandorum dogmatum patronos credere, quia ſic aſſerunt Jeſuitæ , injurium erat. Excutienda igitur illorum loca , purgandi à Jeſuitarum calumniâ multi , cæteri rejiciendi. Id quàm longum , quàm tædii plenum, quàm ab Epiſtolarum brevitate, elegantiâ, incitatione alienum ? Itane, ut in exquirendo Ioannis Sancii vel Dianæ,aut hujuſmodi hominum ſenſu tempus conſumeret ? Sentiant illi quicquid voluerint ; nihilo quidem fit ponderoſior cauſa quam tuentur : tantùm infamiæ illorum parcitum eſt ; ſiquidem ita ſenſerunt , nihil injuriæ factum, ſi non ſenſerunt.

At omiſſus etiam D. Thomas, inquit Annatus *Bonæ fidei pag.* 13. *&* 20. *ne Ianſeniſtas puderet eam doctrinam illudere , quæ tanti & tam*

ſancti viri autoritate munita eſſet. Si ita eſt, mi Annate, meritò quereris, meritò Montaltium malæ fidei inſimulas. Sed obſecro, ubinam id flagitii admiſit? *In Leſſio*, inquis, *& in Sanctio.* Utrumque igitur videamus. Sed vereor ut hoc lutum commovere Annatinæ fuerit calliditatis. Nimis enim graviter ſpirat.

Sic igitur loquitur Leſſius de juſt. l. 2. cap. 14. dub. 8. n. 52. *Dico* 1. *Si ſolum jus naturæ ſpectetur, acceptum ob turpem cauſam, ſeu propter opus quod eſt peccatum, opere impleto non neceſſariò reſtituendum, ſive opus illud ſit contra juſtitiam, ſive non. Colligitur ex S. Thoma* 2. 2. *q.* 32. *art.* 7. *in corp. & q.* 62. *art.* 5. *ad* 2. *ubi docet poſſe retineri id quod propter opus malum eſt acceptum; nec diſtinguit ſit ne opus illud contra juſtitiam, an non.* Ergo illud inſpiciendum, utrùm id non diſtinguat D. Thomas. Si non diſtinguit, peccavit Montaltius qui hoc omiſerit: ſi diſtinguit, graviſſimè peccat Leſſius, qui ſancti Thomæ mentem corruperit: graviter peccat Annatus, qui hoc ſibi condonatum non gratulatur, ſed ultro expoſtulat. Audiendus ergo D. Thomas 2. 2. q. 32. art. 7. *Injuſtè acquiſita, quæ quis per ſimoniam, aut ſubverſionem juſtitiæ accepit, in eleemoſynas elargiri tenetur: turpe lucrum verò & juſtè retinere, & rectè in eleemoſynam impendi poteſt*; turpe lucrum autem in corpore articuli propriè meretricium eſſe docet. Quid ais, Annate? Etiamne exprobrabis hunc ſancti Thomæ locum à Montaltio omiſſum? nec id propterea factum intelliges, quod referri nefas erat ſancti Thomæ locum, quin hæc calumnia ab ipſo depelleretur: quod quia niſi multis verbis fieri non poterat, opportuniori tempori reſervatum eſt?

Ob eandem cauſam cùm exſcriberet Montaltius hunc Sanctii locum: *Dubitabis an autoritas unius Doctoris probi & docti reddat opinionem probabilem; Reſpondetur reddere*: omiſit quod attexit Sanctius de S. Thomâ: *Favet D. Thomas quodl.* 3. *art.* 10. *ubi ait poſſe quemque ſequi opinionem quam à magiſtro audivit, in iis quæ ad mores pertinent.* Hoc prætermiſſum graviter conqueritur Annatus. Audiemus igitur quid eo loci dicat S. Thomas. *Reſpondeo dicendum, quòd diverſæ opiniones Doctorum ſacræ ſcripturæ, ſiquidem non pertineant ad fidem & bonos mores, abſque periculo auditores utramque opinionem ſequi poſſunt. In his verò quæ pertinent ad fidem & bonos mores, nullus excuſatur,* SI SEQUATUR ERRONEAM OPINIONEM ALICUJUS MAGISTRI: IN TALIBUS ENIM IGNORANTIA NON EXCUSAT. Hîc videre eſt ex diſertis verbis à ſancto Thomâ negari, quod illum aſſerentem Sanctius induxit. Habet lector Annatinæ querelæ æquitatem; mirabiturque certè Ieſuitarum imprudentiam, qui quaſi non ſatis vapulaſſent, ultro querelarum ſuarum ineptiâ graviores etiam plagas accerſunt. Sed tamen quæ animi mei mollities eſt, quò querulos illos compeſcam, ut plurimùm adſcriptos à Jeſuitis ſcriptores recenſui: tantùm admoneo Jeſuitarum à me non præſtari fidem. Plerumque enim dum aliquem quaſi ſententiæ ſuæ aſtipulatorem proferunt, ipſi falſam aliquam & alienam ab ejus mente ſententiam tribuunt.

Nota V.

De locis collatis atque contextis.

Quarta querela eſt, quòd nonnunquam nonnulla verba connectit ex variis locis ſimul, & ſic unum locum contexit ex pluribus. Gravis querela, ſiquidem hæc verba ſuo loco alium efficiebant ſenſum; inanis & ridicula, ſi ad eandem ſententiam pertinebant. An ille ingentes verborum tractus exſcriberet, & ineptis næniis Epiſtolarum ſuarum nitorem deturparet? Non plus debuit Jeſuitis, quàm ut nihil illis falſi adſcriberet, & hoc ſtudioſiſſimè præſtitit: at ne injucundâ verborum farragine lectores oneraret, debuit hoc judicio ſuo, debuit lectoribus. Verùm quis non miretur hoc Montaltio vitio dare Jeſuitas, quod ipſi in Montaltium tam ſæpe uſurpant? Singulis enim pene *impoſturis* ejus doctrinam in ſummam contrahunt, & ſparſam variis locis colligunt, non raro fallaciter ac ſubdolè: nos tamen ut æquitatem & fidem noſtram probemus Jeſuitis, diſtinctiùs hîc ea loca deſcribemus, quæ ipſi ex pluribus contexta querebantur. Sic patebit à ſcriptore Epiſtolarum hoc contextu additum aliquid decori, nil detractum eſſe veritati.

Nota VI.

De circumſtantiis omiſſis.

Queruntur quinto omiſſas nonnunquam circumſtantias nonnullas & exceptiones, quibus adjectis ſententiæ ſuæ multò molliores & innocentiores videri poſſunt.

Reſpondetur: circumſtantias omitti quæ nihil ad rem pertinent, adeò non vitium eſt, ut potiùs virtus ſit. Rurſus nec omnes circumſtantias aliquo modo ad rem pertinentes commemorare neceſſe eſt, ſed tantùm eas quibus mutatur quæſtionis ſtatus: verbi gratiâ; pugnant Jeſuitæ, pro honoris defenſione licitam cædem: varias tamen exceptiones apponunt; nempe ſi ſit vir honoratus, ſi injuriam aliter ſarcire non poſſit: contrà Scriptor Epiſtolæ generatim negat propter honoris defenſionem hominem interfici poſſe: ergo cùm Jeſuitarum doctrinam universè damnet, non neceſſe habet exquirere quas illi exceptiones apponant: rectè poteſt generalem illorum ſententiam invadere; quia nullo eam caſu veram eſſe contendit. Nec aliter ſe gerunt Caſuiſtæ, qui tot ſua invicem teſtimonia proferunt. Legatur Baunius, Diana, Caramuel; nemo illorum cùm generalem alterius ſententiam impugnat, omnes exceptiones ab illo ſcriptore adhibitâs recenſet. Quamobrem ſi falſi arguendus ſit noſter hic ſcriptor ob leviuſculas circumſtantias nonnunquam omiſſas, omnes omnino Caſuiſtæ eodem crimine damnandi ſunt; imò omnes Jeſuitæ, ac præcipuè Eſcobarius Jeſuitarum falſarius habendus eſt. Nullus enim iſtorum unquam in iſtis circumſtantiis omittendis reſtrictior & religioſior quàm Montaltius fuit.

Illud etiam in omiſſis circumſtantiis attendet prudens & æquus æſtimator, an ideò accuſata ſit ſententia, quia detractâ quâdam circumſtantiâ nocens facta eſt: an verò etiam additâ illâ circumſtan-

tiâ nihilominùs accuſanda ſit: primum vitioſum; alterum ſæpè culpâ, ſemper fraude vacat: atqui poſtremi ſunt generis quæcunque Ieſuitæ omiſſa queruntur: nam his additis nihilominùs Cenſurâ dignæ ſunt illorum ſententiæ; ut, verbi gratiâ, hanc Leſſio ſententiam adſcribit Montaltius Epiſt. 7. *Licet Eccleſiaſticis, aut etiam Religioſis occidere, non ſolùm ad defenſionem vitæ; ſed etiam bonorum, aut ſuorum aut ſuæ Societatis.* Hâc accuſatione excandeſcit Annatus, falſi inſimulans Montaltium: *non enim generatim*, inquit, *Leſsius quemvis Religioſis permittit occidere; ſed tantùm furem:* quaſi verò hoc de aliis quàm de furibus aut Montaltius aut quiſquam intelligere potuerit. Ejuſmodi ſunt quæ illi quiritantur omiſſa, quorum tamen clamoribus hoc dedi, ut omnia illa verba quæ avulſa dictitabant in ſuum quæque locum reponerem. Si quid præter voluntatem adhuc exciderit, admoneant modò, hæc quoque me reſtituturum eſſe polliceor. Prorſus enim hac in parte illis omnem querelæ locum præreptum volo. Verùm ut noverint quàm inania ſint iſta, & à quæſtione aliena; quàm meritò à Montaltio prætermiſſa, vel neglecta ſint, eadem illa loca quæ integra profero, iiſdem notis digna contendo, quibus illa Montaltius inuſſit. Sic quidem multùm decori video deceſſiſſe; verùm Ieſuitarum importunas quiritationes compeſcere tanti fuit.

EPISTO-

EPISTOLA QUINTA AD PROVINCIALEM.

Lutetiæ Pariſ. XIII. *Kal. Apr.* 1656.

Hem tibi promiſſa comparent. En moralem Jeſuitarum diſciplinam primis lineis informatam. Jeſuitas illos loquor, *pari doctrinæ ac ſapientiæ laude præſtantes*; *quos omnes divina regit ſapientia, humanâ Philoſophiâ dux longè certior, longè ſecurior.* Rides, inquis: enimverò iſtæc ego ſeriò, vel ipſi potiùs. Ipſorum enim verba deſcripſi, & nunc etiam in iſtius elogii ſerie deſcribam: *Societas eſt hominum, ſeu potiùs Angelorum, quam ſic prænuntiavit Iſaias: Ite Angeli veloces.* Potuitne ipſos clariùs deſignare Propheta? *Aquilæ ſunt ingenio, turbam phœnicum verè dixeris: plures enim eſſe phœnices quidam ſcriptor nuper oſtendit. Denique Chriſtiani orbis faciem immutarunt.* Hæc ipſis de ſe affirmantibus credas licet. Quin præclara horum tibi argumenta dabit hæc epiſtola, moralem ipſorum inſtitutionem explicatura.

Cave putes aliqua me tantum perfunctoriè quæſita huc afferre: nil potuit indagari diligentiùs. Amici ſermonibus nihil credidi. Ipſos adii fontes; ipſos, inquam, Jeſuitas. Quid quæris? Verum in omnibus amicum reperi: nunquam ille, credo, mentitur: ſcies, ubi hæc perlegeris. Ille verò in eo ſermone quem de rebus iſtis mecum habuit, tam jocularia mihi Jeſuitarum dogmata memoravit, ut multum à me riſus eliceret, fidei parum. Ille autem eadem iſta ſyllabatim in Jeſuitarum libris oſtendit. Hærere ego, & id demum pro ipſorum defenſione proloqui: Sic quidem ex ipſis deliraſſe nonnullos; ſed ut paucorum inſaniæ toti corpori aſcriberentur, injurium eſſe. Et certè, inquam, quoſdam ex ipſis novi tam ſeveros, quàm illi tui diſſoluti videntur. Ille verò arreptâ inde occaſione, paucis

cognitum

cognitum totius Societatis ingenium aperuit: quod tu, credo, non illibenter quoque ex me cognoſces. Sic ergo exorſus eſt.

Tu quidem Jeſuitas multùm ſublevare tibi videris, cùm aliquos ex ipſis Evangelicæ doctrinæ tam conſonos probas, quàm ab illâ plerique diſſoni convincuntur. Hinc efficis laxas illas ſententias toti Societati malè tribui. Rectè putas; aliter enim aſperioribus locus in Societate nullus eſſet. Sed quoniam tam molles & tam fractos morum magiſtros habent, hinc viciſſim elice Societatis ingenium à ſeveritate Chriſtianâ longè divorſum. Aliter enim ſuos tam longè ab illâ deſciſcere nunquam paterentur.

Quænam igitur, inquam, totius corporis mens? Quod conſilium? Nullum fortaſſe certum ac ſtabile; ſed ſinguli quæ libuit, & ut libuit effutiunt? Minimè gentium, inquit: cohærere & contineri non poſſet tanta moles, ſi cœcâ temeritate, non ab unâ mente ſingularum partium motus moderante regeretur: præthereà lege cautum apud ipſos eſt, ne quid Præpoſitorum injuſſu in vulgus ſpargant. Quid illi, inquam, Præpoſiti? Quo pacto poſſunt tam disjunctis inter ſe opinionibus ſubſcribere?

Hoc tibi, inquit, jam expediam; atque id primùm in eâ re prædico tibi, non id ſpectare ipſos ut arctiorem diſciplinam reſolvant: cave hoc ipſis propoſitum tribuas. Sed nec illud unicè ſtudent, ut ſolutam aſtringant: vetat enim id politica calliditas. Hæc igitur ipſorum cogitatio eſt. Sat commodè de ſe ſentiunt, ut hoc utile, ne dicam neceſſarium Religioni eſſe arbitrentur, Societatis ſuæ magnam apud omnes gratiam, magnam autoritatem eſſe, omniumque conſcientiam à ſuis potiſſimùm regi. Ergo quia certis hominibus regendis idonea eſt Euangelica ſeveritas, hanc illi aſciſcere non refugiunt ubicunque conſiliis ſuis oportuna eſt. At quia longè plurimis eadem illa ſeveritas exoſa eſt, ideò illam ubi cum iſtis agendum, miſſam faciunt: ita fit ut omnibus ſatisfaciant.

Hinc

Hinc adeò factum eſt, ut pro variis hominum ſtudiis quaſi verſicolores Caſuiſtas haberent; quam neceſſitatem attulit tanta hominum, dignitatum, nationumque varietas, pro cujuſque ingenio à Societate tractanda. Hinc ſatis tute jam perſpicis, nil alienius ab illorum rationibus eſſe, quàm ut benignos tantùm ac indulgentes animarum rectores habeant. Quî poſſent enim (quod unicè tendunt) omnes Societati ſuæ agglutinare, cùm omnes pii ſecuriorem, atque adeò ſeveriorem diſciplinam exquirant? Sed ut illi non bene multi ſunt, ſic non bene multos Societas habet ſeveritatis amantes: paucis pauci abundè ſufficiunt: cæteræ multitudini in diſſolutam indulgentiam propenſæ remiſſi & diſſoluti rectores ſeſe paſſim offerunt.

Hac *tam comi*, ut ait Petavius, *& flexibili ratione* omnes amplectuntur; neminem ſubmovent. Afferat conſultor propoſitum malè parta reſtituendi, deterrebuntne Jeſuitæ? Ah noli vereri, laudabunt potiùs, & ſe iſtius propoſiti autores offerent. Ecce alius abſolutione donari vult, nec tamen illata damna reſarcire; næ difficile illud & arduum negotium fuerit, niſi omittendæ reſtitutionis aliquam ſuppeditent viam, eamque ſecuram autoritate ſuâ præſtent.

Hac arte amicos retinenti inimicos repellunt. Exprobrat aliquis mollitiem ipſis & indulgentiam: continuò rigidos illos Doctores opponunt, itemque quoſdam libros ab ipſis de Chriſtianâ vitâ ſeveriùs ſcriptos. Hoc homines minimè mali ſimpliciter accipiunt, nec alia ſibi dari argumenta poſtulant. Sic nullum eſt hominum genus qui non accommodatum ſibi Doctorem apud illos inveniat; adeò ut in illis oris ubi Deus crucifixus ſtultitia eſt, de ſcandalo crucis ſilere, nec patientem & humilem Chriſtum; ſed glorioſum tantùm prædicare non dubitent. Hoc & in Indiâ & apud Sinas factitarunt; & quod gravius, Chriſtianis ipſam idololatriam callido quodam artificio licitam effecerunt. Docuerunt enim illarum terrarum incolas idola *Cacin choan* & *Keum fucum* poſſe in ſpeciem adorari, modò

dò cultum illum ad latentem ſub veſte Chriſti imaginem referrent. Hoc Jeſuitis exprobat Gravina Dominicanus: hoc libellus Fratrum Minorum in Philippinis degentium, Philippo IV. Hiſpaniarum Regi oblatus, & à Tho. Hurtado deſcriptus in libro de Martyrio fidei pag. 427. Quæ res uſque eò percrebruit, ut Cardinalium cœtus de propagandâ fide Jeſuitis ſub excommunicationis pœnâ interdixerit, ne idololatriam ullâ demum ex cauſâ permitterent; neve iis qui Religionis noſtræ dogmatis imbuuntur crucis myſterium occulerent; ac ſeveriſſimè præceperit, tum ut ne quem omninò hujus myſterii rudem baptiſmo dignarentur, tum ut Crucifixi imaginem de more in ſublimi Eccleſiæ loco collocarent. Hæc omnia illo quod dixi decreto 9. Julii anno 1646 dato, ſubſcriptore Capponi Cardinali ſciſcuntur.

Ad hunc modum probabilium opinionum operâ totum in orbem ſeſe Societas infudit: inde tanquam ex vitiato fonte cætera doctrinæ flagitia fluxerunt. Ad hoc ut de ipſis cognoſcas, melius erit. Omnibus enim hoc probabilitatis artificium ultro retegunt, tantùm terrenæ ſuæ verſutiæ, divinæ prudentiæ ſpeciem obtendere conantur: quaſi quovis loco, quovis tempore non una ſit & inconcuſſa fides, & quæ fidem traditio ſervat: quaſi ut rebus ad regulam dirigendis congruat, ipſa debeat regula detorqueri: quaſi denique ad eluendas animi ſordes, non jam ille ad æternam illam legem, quæ *ſancta, immaculata, convertens animas* à Scripturâ dicitur, conformari oporteat; ſed ipſam potiùs legem ad cupiditates noſtras inflecti.

Jeſuitas igitur quamprimùm adito, me autore: hoc ſpondeo futurum, ut in illorum morali diſciplinâ tam corruptâ tamque luculentâ, Moliniſticæ de gratiâ doctrinæ fontem reperias 1. Videbis ſtupendam Chriſtianæ virtutis ignorantiam: videbis pro verâ ſolidâque virtute neſcio quæ tantum circumferri ſimulachra virtutum, ſpiritu ac ſenſu, id eſt, charitate carentia: videbis innumera crimi-

na quæſitis prætexi coloribus : videbis innumeras morum labes ignavâ quâdam indulgentiâ tolerari : nec jam ſtupebis cur ſemper ad iſtam quam ſibi fingunt pietatem ſufficientiſſimam gratiam adeſſe contendant. Prorſus ad virtutem philoſophicam, & ethnicam, qualis illorum ſcriptis adumbratur, natura ſufficit. Nos quidem efficacis gratiæ auxilium ad virtutis opera neceſſarium contendimus ; ſed aliuſmodi virtutes cogitamus : nec id modò volumus ut vitiis vitia ſuperentur, aut ut externa demum Religionis impleantur officia: veram, nec fucatam virtutem exigimus, à quâ longiſſimè abſit & fallax Phariſæorum virtus, & vana Gentilium ſapientia. Huic Jeſuiticæ virtuti conſequendæ lege adjuta ratio ſufficiens gratia eſt. Verùm ut amore ſeculi expediatur animus, ut ſibi moriens uni Deo vivat, illique indivulſo nexu cohæreat, hoc verò ſola demum omnipotens gratia præſtat : ut perinde abſurdi ſint, qui Chriſtianas virtutes ſemper collocent in hominum nutu, & qui virtutes illas charitatis inanes, quas pro Chriſtianis obtrudunt Jeſuitæ, in noſtro ſemper arbitrio poſitas negent.

Hæc ille multo cum gemitu. Capit enim ex iſtis Chriſtianæ doctrinæ corruptelis verum dolorem. Ego verò demiratus Jeſuiticas artes, ſingularemque Societatis ſolertiam, ex amici conſilio rectà ad ipſorum domum ire perrexi. Ibi quemdam evoco Caſuiſtam, jampridem quidem illum mihi notum; ſed tum de induſtriâ intermiſſam conſuetudinem renovavi : atque ut probè edoctus adveneram quâ ratione iſti homines tractandi eſſent, illum meum in eum quem volebam ſermonem non ægrè perduxi. Accepit ille me multis cum blanditiis; nam me ut cum maximè diligit; ac primò quædam ut fit nihil ad rem pertinentia diximus : mox ut molliter ac ſenſim in expetitum ſermonem delaberetur, continuò quæſtionem de jejunio injeci, ductâ occaſione ex hâc tempeſtate jejuniis conſecratâ.

Dici non poteſt, inquam, mi Pater, quantæ mihi moleſtiæ

ſtiæ jejunium ſit. Ille autem: Ejicienda, inquit, illa mollities, ac vis tibi potiùs adhibenda. Sed ut queri non deſiſtebam, miſeritum eſt; variaſque illico diſpenſationis cauſas quæſivit, quæſitaſque propoſuit: at ut nullæ in me conveniebant, poſtremò ſcitatus eſt an non incœnatus ægrè dormirem. Certè, inquam, mi Pater: itaque ſæpe ob eam cauſam jentaculo ſub meridiem ſumpto, prandium in cœnam rejicio. Beaſti, inquit, quando mihi viam aperis, quâ te hoc onere levem ſine peccato: Abi, jejunii lege ſolutus es: nolo fidem habeas mihi; mecum quæſo in bibliothecam. Vbi huc ventum eſt librum quemdam in manus ſumit; mox: En tibi, inquit, probationem, Deus bone quàm firmam! Ipſe Eſcobarius. Quis, malùm, iſte Eſcobarius, inquam, mi Pater? Ille autem: Eho; tune, inquit, Eſcobarium ignoras, Socium illum noſtrum, qui ex viginti quatuor Societatis ſcriptoribus moralem Theologiam congeſſit: unde librum ſuum cùm illo Apocalypſeos volumine ſeptem ſigillis obſignato præclarâ allegoriâ comparat: addit etiam illum ſic obſignatum ab Agno porrigi quatuor animalibus, Suarezio, Vaſquezio, Molinæ, Valentiæ; coram vigintiquatuor Jeſuitis, quos viginti quatuor ſeniores ſignificabant? Hîc Pater totam allegoriam alacriter decurrit, ut ſibi quidem videbatur, appoſitiſſimam & idoneam, quæ mihi ſummam iſtius libri opinionem inſereret. Mox ut illum quem quærebat de jejunio locum invenit: Hem tibi, inquit, vide ſis tr. 1. ex 13. n. 67. *Dormire quis nequit, niſi ſumptâ veſperi cœnâ; teneturne jejunare? Minimè.* Ecquid ſatis habes? Non omnino, inquam: nam jejunium non ægrè tolero, dummodò cibo ſub meridiem leviter ſumpto, veſperi cœnem. Age, inquit, attende quæ ſequuntur. Vah omnia provident. *Si ſufficit manè collatiunculam ſumere, & veſperi cœnare, tenetur-ne ad id?* Nimirum, inquam, is ego ſum. *Non tenetur: quia nemo tenetur pervertere ordinem refectionum. Ita Filiucius.* O bellam, inquam, rationem! Tum ille: Dic ſodes, inquit; an tu vino largiùs uteris?

uteris? Minimè verò, inquam; quin vinum omnino non fero niſi dilutum. Quærebam, inquit, ut monerem, poſſe te quantum velles vini, nihil violato jejunio, manè & cùm voles adhibere: roboris inde non minimum & vigoris accedit. Ecce tibi decretum, n. 75. *An vinum aſſumi poteſt quotiesquis voluerit, licet in magnâ quantitate? Poteſt. Nam quicquid potus eſt, jejunium non ſolvit: unde nec potus ex vino, qui vocatur apud nos clarea, ſeu hypocras.*

Vah, exciderat mihi, inquit, hæc *clarea*: at jam illam in commentarium referam, ne excidat. Mirificum hominem, inquam, mi Pater, iſtum Eſcobarium. Nulli, inquit, non in amoribus eſt, ita lepidas quæſtiones proponit: vel hæc quam ibidem reperias, n. 38. quam feſtiva eſt. *Dubito an compleverim viginti unum annos, teneorne? Non teneris, pro te ſtante poſſeſſione. Quid, ſi quis ætatem illam horâ poſt meridiem primâ compleverit? Non tenetur totâ die jejunare; quia præceptum totum diem reſpicit.* At ille primâ horâ non tenetur, & poteſt manducare quantum libuerit: ergo nec tenetur reliquo die. O lepidum caput, inquam, mi Pater! Divelli, inquit, ab ipſo nequeas, ita capit lectores ſuos: ego quidem in illo legendo continuatas diebus noctes tero, nec ſatiari poſſum. Hîc ille ubi me delinitum ſenſit, multùm lætatus: Inſpice, inquit, illum Filiucii locum t. 1. tr. 27. n. 123. eſt hic unus è viginti quatuor ſenioribus. *Quæres ſecundo an qui malo ſine laboraret, ut ad inſequendam amicam, vel quid ſimile; teneretur ne ad jejunium? Reſpondeo talem peccaturum quidem ex malo fine; at ſecutâ defatigatione excuſaretur à jejunio. Med. in Inſt. excipit; niſi fieret in fraudem. Sed meliùs alii: culpam quidem eſſe in apponendâ causâ fractionis jejunii; at eâ poſitâ, excuſari à jejunio.* Quid tu, credidiſſeſne? Imò verò, inquam, mi Pater, vix etiam credo. Eho non peccatum eſt, jejunium omittere cùm poſſis implere: An non illicitum, peccandi occaſiones non dico captare, ſed non ſtudioſè vitare? Commodum iſtud quidem fuerit; at vereor ut liceat. Non uſquequaque id illicitum, inquit; ha-

benda enim ratio multarum rerum. Quarumnam, inquam? Rogas, inquit? Quid ſi illa occaſionum fuga aliquid ſecum incommodi traheret? An ſic quoque illam nobis præceptam dixeris? Non dicet certè P. Baunius, cujus hæc verba ſunt, Sum. pec. p. 1084. *Non neganda abſolutio eſt iis qui in proximâ peccandi occaſione remanent, ſi eam deſerere aliter non poſſunt, quin vel ſermonem dent populo, vel aliquid ipſi inde incommodi capiant.*

Bene eſt, inquam: ex vobis non declinare peccandi occaſiones licet: id demum reſtat ut eas de induſtriâ conſectari liceat. Enimverò, inquit, eſt ubi id liceat. Vide enim quid ſtatuat Baſilius Pontius Caſuiſta percelebris, quem laudat & ſequitur noſter Baunius tráct. de pœn. q. 4. p. 94. *Licet quærere occaſionem peccandi primò & per ſe ob bonum ſpirituale vel temporale, vel noſtrum vel proximi.* Ibi tum ego: Somnianſne, inquam, an vigilans, mi Pater, Religioſos ita loquentes audiam, vix ſatis teneo. Quid ais? An tu ſicut loqueris, ita ſentis? Nequaquam, inquit: Ergo, inquam, quod improbat conſcientia, verbis probas? Imò, inquit, quod Baunii, quod Pontii conſcientia probat, hæc loquor; quos tu duces ſequens nihil errabis: docti enim habentur. Tum ego: Quid narras, inquam, mi Pater? An quia ſcriptores illi pauca quæ retuliſti verba ſuis in ſcriptis inculcaverunt, ideò effecerunt ut peccandi occaſiones conſectari liceret? Atqui ſic adhuc perſuaſum habui, mores ad Scripturæ & Traditionis autoritatem, non ad Caſuiſtarum opinationes exigi oportere. Bone Deus, inquit, redit mihi in memoriam Janſeniſtarum, cùm te ſic audio fabulantem. An tu id juris Baunio & Pontio abjudicabis, ut opinionibus ſuis probabilitatem concilient? Probabilia, inquam, nihil moror, ſecura poſtulo. Hîc Pater: Ut video, inquit, in opinionum probabilium doctrinâ peregrinus es; ubi eam cognitam habueris aliter locuturus. Hanc tibi explanare volo: pulchrè tibi navatam operam dixeris. Nam illam ni probè teneas, digitum in Moralibus progredi non potes;

poteſ: hoc iſtius diſciplinæ fundamentum, hoc elementum.

Gaudere ego cùm illum in eum quem volebam ſermonem ſenſi delapſum; idque præ me ferens: Hoc primum igitur, mi Pater, definito opus eſt, quam tu opinionem probabilem voces? Nihil me roges, inquit; præſto ſunt ſodales mei qui pro me reſpondeant. Omnes illi uno ore ſic habent, præſertimque viginti quatuor ſeniores apud Eſcob. in Princ. Exam. 3. n. 8. *Probabilis ea opinio dicitur, quæ rationibus innititur alicujus momenti. Vnde aliquando unus tantùm Doctor gravis admodum opinionem probabilem poteſt efficere.* Rationem adjungit. *Quia vir doctrinæ ſpecialiter addictus, haud adhærebit ſententiæ cuilibet, niſi præſtantis ſive ſufficientis rationis vi allectus.* Ergo, inquam, vel unus Doctor omnium conſcientias ſuſque deque vertet, & quò volet inflectet. Ille autem: Cave, inquit, ne tu hanc doctrinam vel rideas, vel impugnes: Janſeniſtis malè res ceſſit neſcio quid tale molitis: nimis firmas illa radices egit. Sanctium audi è Patribus non poſtremum. Sum. l. 1. c. 9. n. 7.

Sed dubitatis an autoritas unius Doctoris probi & docti reddat opinionem probabilem? Reſpondetur reddere. Ita tenent Angelus, Sylvius, Navarr. Em. Sa. &c. Probatur: quia opinio probabilis eſt quæ non levi nititur fundamento: at autoritas viri docti & pii non eſt leve fundamentum. Si enim (attende egregiam rationem) *non eſt levis momenti, ſed magni potiùs, ut aliquid Romæ contigiſſe credamus, id virum pium aſſerere; cur non magni erit in re morali dubiâ, quòd vir pius & in eâ materiâ doctus cenſuerit?* Tum ego: Quam lepidè, inquam, veſtri Scriptores cum rebus Religionem & conſcientiam attingentibus humana negotia componunt! Mane, inquit; quæ tu hîc opponis, verſu ſequenti confutat Sanctius. *Nec placet,* inquit, *limitatio Adriani & Cordubæ,* &c. *ut hoc intelligatur ſi ſit error juris humani; ſecus ſi divini: quippe in utriſque eſt magni ponderis & momenti viri gravis & pii autoritas.*

Ibi tum ego: Cum bonâ veniâ quæſo me audias, mi Pater: at diſſimulare non poſſum quàm hoc mihi Doctorum tuorum præceptum parum placeat. Cùm enim licenter Doctores iſti humanæ rationis potiùs quàm divinæ fidei operâ in rebus iſtis dijudicandis utantur, quis ſpondeat quod uni tutum ac ſecurum viſum fuerit, tale omnibus viſum iri? Neſcis quàm diſpar hominum judicium? Hîc Pater interfatus: Non rectè accipis, inquit. Sæpè quidem illi in varios abeunt ſenſus: ſed diſſentiant an conſentiant, nihil ad rem: ſingulorum autoritate ſingulæ quas tuentur ſententiæ probabiles fiunt: quaſi quis ipſos neſciat eſſe ſæpè diſcordes. At hoc ipſum multò commodiùs, atque adeò vix ipſos invenias congruentes. Quamvis elige controverſiam: quod unus affirmabit, negabit alius; & tunc diverſarum opinionum utraque probabilis eſt. Hinc Diana Part. 3. Tr. 4. Reſol. 244. *Hæc omnia Pontius adverſus Sanchez; ſed quia fuerunt viri doctiſſimi, ſaltem ex principio extrinſeco unuſquiſque ſuam opinionem efficit probabilem, & tutam in praxi.*

Sed iſtarum, inquam, mi Pater, anceps credo ac periculoſus delectus eſt. Nihil minùs, inquit, quæ ſententia magis arriſerit, hanc tu delige. Etiamne, inquam, ſi altera ſit probabilior? Etiam, inquit. Etiamne ſi ſit altera tutior? Etiam, inquit. Pulchrè hoc explanavit Emanuel Sa è noſtra familia in Aphoriſmis, verbo, *Dubium. Poteſt quis facère quod probabili ratione vel autoritate putat licere, etiamſi oppoſitum tutius ſit: ſufficit autem opinio alicujus gravis autoris, aut bonorum exemplum.*

Quid ſi, inquam, eadem opinio & minùs probabilis ſit, & minùs tuta; an tum quoque illam ſequi fas erit, omiſsâ & ſecuriori & probabiliori? Etiam ſic licebit. Audi Filiutium, magnum illum Romanum Jeſuitam, Tr. 21. c. 4. n. 128. *Licitum eſt ſequi opinionem minùs probabilem, etiamſi minùs tuta ſit. Eſt communis recentiorum.* Ecquid dubitationis ſupereſt? O facilem, inquam, mi Pater, nec jam anguſtam

ſtam ſalutis viam! Hujus veſtræ probabilitatis gratiâ,præclaram, ut video, conſcientiæ libertatem nacti ſumus. Quid vos? An eadem vobis in reſpondendo libertas? Sic eſt,inquit: nam pro arbitrio conſulentibus reſpondemus, vel potiùs ad conſulentium arbitrium. Accipe enim Societatis hâc de re præcepta à Laimano, Vaſquezio, Sanctio tradita, quos ſequitur Eſcobarius in Princ. Ex. 3. n. 24. En Laimani verba Tom. 1. tract. 1. c. 5. §. 2. n. 7. *Doctor alteri conſulenti conſilium dare poteſt non ſolùm ex propriâ, ſed etiam ex oppoſitâ probabili aliorum ſententiâ, ſi fortè hæc illi favorabilior ſeu exoptatior ſit: quâ de re Vaſquez diſp. 62. c. 9. n. 47. Sanct. in Sum. lib. c. 9. n. 23. Lopez p. 1. inſt. c. 120. Imò arbitror nihil à ratione alienum fore, ſi Doctor conſultus ſignificet conſulenti opinionem à quibuſdam viris doctis tanquam probabilem defendi, quam proinde ſequi ipſi liceat, quamvis idem Doctor ejuſmodi ſententiam ſpeculatione falſam eſſe certò ſibi perſuadeat.*

Tum ego: Ita prorſus eſt, mi Pater: veſtrâ doctrinâ nihil commodius. Quantum eſt enim, *eſt vel non* reſpondere pro voluntate?

Omnino tantæ opportunitati ſatis digna laus tribui nequit. Jam cerno quid utilitatis poſſit ex diſcrepantibus Doctorum veſtrorum ſententiis: prodeſt illa quam ſequeris, non nocet illa quam rejicis: hæc à rationibus tuis alienior; ad aliam confugium patet; par utrobique ſecuritas. Rem ipſam dixiſti, inquit ille: ita nobis ſemper dicere fas eſt, quod Diana faventem ſibi Baunium amplexus contra Patrem Lugo: *Sæpe premente Deo fert Deus alter opem.*

Probè,inquam: unus tamen ſcrupulus etiamnum reſtat. Adierit quis è veſtris Doctoribus quempiam, atque ex eo laxiorem paulò ſententiam arripuerit; hic ſi deinde in Confeſſarium incidat aliter ſentientem, qui propterea neget ipſum niſi depoſitâ opinione abſolvi poſſe; quid quæſo illo homine futurum eſt? Ecquid tam grandi incommodo nullum remedium providiſtis? Ho, dubiumne id eſt, inquit?

quit? Juſſi ſunt Confeſſarii pœnitentes probabili opinione nixos abſolvere: ni faciant, lethali crimine mulctati ſunt. Quis hoc poſteà committere non reformidet? Iſtud verò præclarè noſtri, & è noſtris Baunius præclariſſimè docet de Pœnit. Tract. 4. qu. 13. p. 93. *Quando pœnitentis opinio eſt probabilis, abſolvi à ſacerdote debet, etſi ſecus opinante quàm ille ſentiat.* At non video, inquam, peccati illum mortalis damnari ni faciat. Ut tu, inquit Pater, præceps ac moræ impatiens; audi quid ſequatur; quod requiris ſingulari concluſione definit. *Negare abſolutionem operanti ex opinione probabili, culpa eſt ex genere ſuo mortalis.* Mox iſtius ſententiæ aſtipulatores adducit Vaſquezium, Suarezium, Sanctium, noſtræ Societatis lumina.

O mi Pater, inquam, quam prudenter iſta vobis conſtituta ſunt? Nihil eſt ampliùs quod vereamur. Quis enim hanc legem Confeſſarius attentet infringere? Nondum id vobis juris eſſe reſciveram, ut decretorum veſtrorum violatoribus mortalis criminis pœnam infligeretis. Magnam vobis noveram ad delenda peccata autoritatem eſſe, aliquam ad inducenda eſſe non noveram. Verùm, ut video, nihil poteſtati veſtræ ſubtractum eſt. Minùs aptè, inquit ille; & accuratè loqueris: indicantur à nobis peccata, non inducuntur: non ſemel animadverti in Scholaſticâ Theologiâ rudem te admodum ac peregrinum eſſe.

Ut ut ſit, mi Pater, planè tu quidem quem propoſui nodum diſſolviſti: ſed eſt tamen alius quem tibi exponam ſimiliter diſſolvendum. Quid enim ſi Patres veſtrorum Doctorum decretis adverſentur; obſecro tum quo pacto vos geritis? Næ tu, inquit, omnino cæcutis in iſtis rebus. Neſcis, formandis ſuorum temporum moribus accommodatos Patres fuiſſe, à noſtrorum temporum moribus longè abhorrere? Non igitur nunc ex illorum decretis, ſed ex recentium Caſuiſtarum legibus vivitur. Audi hac de re quid ſentiat Cellotius noſter de Hierarchia lib. 8. c. 16. p. 714. *Quæ circa fidem emergunt difficultates, è veteribus*

hau-

hauriendæ: doctrina morum à recentioribus ſumenda. In quo ille Reginaldi itidem ſocii noſtri veſtigia tantùm ſubſequitur, qui ſic loquitur in operis ſui præfatione: *In definiendis quidem circa credenda occurrentibus difficultatibus, quò antiquiores fuerint autores, eò majoris ponderis cenſentur ipſorum placita, tanquam viciniora traditioni, doctrinæque Apoſtolicæ. In dirimendis tamen controverſiis circa agenda enatis, potior ex adverſo habetur ratio Doctorum recentiorum, qui præſentium temporum, morumque conditiones perſpectas habent.* Quod ſecutus Diana, ita ſcribit Part.5. Tr. 8. Reſ. 31. *Beneficiarii tenenturne reſtituere proventus beneficiorum quibus malè uſi ſunt? Antiqui negabant, affirmant recentiores. Sed tu ne deſeras prædictam ſententiam liberantem ſupradictos ab onere reſtitutionis.* Præclara, inquam, verba; & quæ multis ſolatio ſint. Tum ille: His, inquit, Patres relinquimus qui poſitivam, ut ajunt, Theologiam tractant: nos quibus regendarum animarum cura commiſſa eſt, veteribus illis parum utimur, recentioribus contenti: hinc vix alios in ſcriptis noſtris laudari cernas. Exemplo erit meus Diana immenſorum voluminum confector. Hic ſcriptorum quorum in libris ſuis meminit, catalogum in limine præmittit, ducentos ſupra nonaginta ſex enumerat, quorum antiquiſſimus non plus octoginta abhinc annis ſcripſit.

Ergo, inquam, hæc Caſuiſtarum ſeges poſt conſtitutam Societatem veſtram fruticavit. Circiter, ait. Ut video, inquam, ſub adventum veſtrum Auguſtinus, Chryſoſtomus, Ambroſius, Hieronymus, mores hominum informare deſierunt. At ſaltem cedo eorum nomina, qui ſe in illorum locum intruſêre: cedo, quinam ſint recentiores illi? Eruditi, inquit, & celebres juxta fuere. Hem tibi: Villalobos, Conink, Llamas, Achokier, Dealkoſer, Dellacruz, Veracruz, Ugolin, Tambourin, Fernandez, Martinez, Suarez, Henriquez, Vaſquez, Lopez, Gomez, Sanchez, De Vechis, De Graſſis, de Graſſalis, De Pitigianis, De Graphaeis, Squilanti, Bizozeri, Barcola; De Bobadilla, Simancha, Perez

 de

de Lara, Aldretta, Lorca, De Scarcia, Quaranta, Scophra, Pedrezza, Cabrezza, Bisbe, Dias, De Clauaſio, Villagut, Adam à Mandem, Iribarne, Binsfeld, Volfangi à Verberg, Voſthery, Strevesdorf. Hîc ego vehementiùs perterrefactus: Obſecro, mi Pater; ſuntne illi Chriſtiani? Quid ais, Chriſtiani? imò, ut jam dixi, horum inſtitutis totum regimus orbem Chriſtianum.

Indolui hujus hominis cœcitati: repreſſi me tamen: tantùm quæſivi an omnes illi Jeſuitæ fuiſſent? Neutiquam verò, inquit; ſed quid refert dum præclara ſcripſerint, à nobis quidem ut plurimùm ſumpta aut expreſſa; at nos honos iſte non valde tangit. Prætereà Societatis Patres honorificè ſemper ſingulis penè verſibus appellant. Dianam vide qui ex Societate noſtrâ non eſt, quantum ille Vaſquezio tribuit? *Ingeniorum phœnicem* uno loco dicit: alio ſolum ſibi Vaſquezium *inſtar omnium* eſſe prædicat: hinc bono illo Dianâ noſtri Patres, gratiam credo relaturi, multùm utuntur. Quod ſi doctrinam probabilitatis benè cognitam habueris, intelliges profectò nihil intereſſe, ſitne anne ſit aliquis de Societate noſtrâ: imò ſapienter alienis jus illud probabilitatis conceſſimus, ne omnes nobis opiniones aſſignentur. Sic quiſquis demum commodam aliquam opinionem protulerit, nos eam pro jure noſtro ex probabilitatis doctrinâ noſtram facimus; nec tamen ipſam tanquam ejus autores præſtare tenemur.

Optimè, inquam; ſic vobis, ut video, præter antiquos Patres omnes accepti ſunt. Agite igitur, & habenas admittite, quando ſine metu in tam patenti campo liberè jam expatiari licet: ſed tamen tres aut quatuor obices proſpicio curſui veſtro oppoſitos. Ille autem miratus: Quos tu, inquit, mihi obices narras? Scriptura ſacra, inquam, mi Pater; ſummi Pontifices; Concilia, quibus refragari vos non audeatis: ab his tamen unica Evangelii ſemita docetur. Tum ille: Hoccine erat, inquit? Perterrueras. An tu rem tam obviam aut ignoratam à noſtris putas, aut præ-

prætermiſſam? Te miror, mi Ludovice, qui Scripturas, Concilia, ſummos Pontifices nobis cenſeas adverſari. Eripiam hodie tibi hunc errorem. Neque enim ferre poſſum tam incommodè te de nobis ſentire, ut adverſus Scripturas & ſummos Pontifices nos parum religioſos exiſtimes: quem in ſenſum te fortè quædam autorum noſtrorum decreta induxerunt, illis contraria, ſed in ſpeciem tantùm. At quo pacto illa cum noſtris præceptis concilientur, explicari niſi per otium non poteſt: vehementer aveo tam perverſam de nobis opinionem ex animo tuo deletam. Cras igitur, ſi redire volueris, efficiam ut tibi hæc omnia pateant. Hìc fuit noſtræ diſputationis finis, qui noſtris itidem litteris modum imponet, pro epiſtolari brevitate ſatis amplis. Hæc tibi non injucunda fore confido, nec minimam reliquarum diſputationum expectationem allatura. *Vale.*

IN QUINTAM EPISTOLAM
NOTA PRIMA.
SIVE
DISSERTATIO THEOLOGICA.
DE PROBABILITATE.

SECTIO PRIMA.

Controverſiæ ſtatus breviter exponitur.

§. 1.

Indicantur cavilli Ieſuitarum circa probabilitatis doctrinam. Laus Parochorum Pariſienſium.

Mirè turbant in probabilitatis doctrinâ Ieſuitæ: modò id defendunt quod non accuſatur: modò decreta ſua variis artificiis obſcurant: modò illud ipſum in quo objurgantur, flagitioſè tuentur.

Quaſdam in Moralibus rebus eſſe opiniones probabiles fuſè & in-

caſſum probant Impoſturâ 20. quaſi quis de hoc unquam dubitaverit. Ibidem ſuam de probabilitate ſententiam occultant variis reſtrictionibus additis ex Suarez, quas alii Jeſuitæ non admittunt, imò rejiciunt. Poſtremò audaciſſimè defendunt perverſiſſima ejus conſectaria Impoſturis 21. & 23.

Sed quoniam vix ſatis refelli poſſunt illorum errores, niſi certis priùs principiis conſtitutis, latiùs & diſtinctiùs paulò totum hoc argumentum perſequemur: mox inanes Jeſuitarum Cavillationes ſuâ ſponte diſſilient.

Facem verò nobis hâc in re præferent Pariſienſes Parochi pietate & eruditione præſtantes, qui non detegendis erroribus modò de re Chriſtianâ benè meriti ſunt; ſed multò plus etiam illuſtrandâ veritate & evolvendis hujus quæſtionis nodis. Nam in illâ egregiâ admonitione ad Epiſcopos, quam ſecundæ ſuæ collectioni præfixerunt, geminam humanarum actionum normam, divinam legem, & rectam conſcientiam à Caſuiſtis everſam reſtituunt, hoc duplici dogmate Scripturæ, Patrum, ſancti Thomæ autoritate fixo ac ſtabilito. Primum eſt: *Opinionem probabilem falſam, in jure naturali à peccato non excuſare.* Alterum: *Ex probabilium opinionum conflictu tutiorem ac probabiliorem partem eligendam.* Sed quoniam illi, ut in perpetuâ oratione fieri ſolet, doctrinam ſuam per totam hujus admonitionis ſeriem ſparſerunt, placet eam hîc in ſummam colligere, & novis inſuper argumentis confirmare, quorum copiam in illius ſcriptionis anguſtiis conſectari non potuerunt. Altiùs igitur paulò repetenda res, & variis quaſi articulis enodanda.

§. 2
Quid ſit opinio probabilis.

Quælibet de moribus ſententia aut generatim & per ſe, ſive, ut loquuntur, abſolutè ſpectatur: aut ad intellectum noſtrum cognitioniſque noſtræ modulum refertur.

Si ſententiæ morales per ſe ſpectentur & abſolutè, vel veræ ſunt, vel falſæ; nulla probabilis. Nam nec falſum probabile eſt, ſed improbabile; & verum pluſquam probabile eſt: eſt enim certum. Sic Deo, qui res ut in ſe ſunt videt, nihil probabile eſt, quemadmodum ſoli nihil eſt tenebroſum. At ſi eædem ſententiæ cum intellectu noſtro comparentur, tunc addendum eſt prorſus aliud genus, probabilium ſcilicet ſententiarum; quas qui neget ullas eſſe, non dicam arrogantiùs ſentiet, ſed planè deſipiet. Nam ut quædam ſententiæ ſunt, quarum certa veritas cognoſcitur, quædam quarum certa falſitas: ſic aliæ ſunt, quarum nec veritas nec falſitas certò percipitur; & hæ dicuntur dubiæ, aut probabiles.

Sed cùm illæ ſententiæ, quas neſciunt homines veræne, an falſæ ſint, reverà tamen & coram Deo, id eſt in æternâ veritate veræ ſint, aut falſæ: patet probabilium opinionum ortum ex mentis humanæ tenebris duci. Hinc enim fit ut quædam opiniones falſæ, videantur tamen probabiles: & contrà ut quædam opiniones veræ, & ideò per ſe certiſſimæ, dubiæ nobis & incertæ ſint. Verùm ſive animus huma-

humanus falsò probabilitatem addat, ſive perſpicuitatem veritati detrahat, patet utrobique eum inſcientiâ laborare. Non enim propter aliud probabile putat quod falſum eſt, niſi quia neſcit an falſum ſit; nec rurſus ob aliud quod verum eſt, cenſet probabile, niſi quia ignorat an verum ſit. Hic ergo quantâ luce ſit circumfuſa veritas non cernit: alioquin non jam ipſi probabilis, ſed planè certa eſſet: iſtic autem quàm non vero, ſed fucato tantùm colore falſum veſtiatur, deprehendere non poteſt: alioquin non jam illi quod falſum eſt, dubium; ſed falſum omnino videretur. Ex quo rectè Tertullianus lib. 2. de Nat. *Varietas opinionum venit ex ignorantiâ veritatis.* Ergo cùm probabiles illæ ſententiæ ex offuſa menti humanæ caligine naſcantur, manifeſtum eſt, quo major fuerit illius ignorantia, eò plura ipſi probabilia viſum iri; & contra quò mens hominum purgatior, & ſcientiâ veritatis inſtructior fuerit, hoc pauciora fore quæ probabilia putet.

Jam verò mirum quàm variæ, quàm inæquales ſint illæ tenebræ mentis humanæ, unde probabiles opiniones fluunt. Magna enim ingeniorum, magna doctrinæ, magna virtutis, magna cœlitus illapſi luminis diverſitas: quibus omnibus fit, ut quæ probabilia uni videntur, alter tanquam certa & explorata percipiat.

Hæc tamen omnia etiam in contrarium valent. Multi enim præ inſcitiâ fallacibus rationibus creduli, certum putant aliquando quod falſum eſt. Quam falſam perſuaſionem majus, non tamen plenum lumen diſcutiens, incertum aliquando eſſe demonſtrat, quod illi certum arbitrabantur. Sic fit ut perſpicacibus, bonis, doctis, ſanctis, multa ſint incerta, quæ tardis, indoctis, impiis certa videantur; ſed tamen iiſdem ſi perſpicaciores doctioreſque fierent, illa quæ videntur incerta, certa viderentur. Quarè ſemper illud verum manet, ideò quidque tantùm probabile judicari, quia veritas ignoratur.

Quanquam autem quod indocto & ſtolido probabile videtur, id reverâ ejus reſpectu probabile ſit; tamen vulgò probabile in moribus non dicitur, niſi quod tale videtur doctis, piis, & acutis: ſed de variis probabilitatum gradibus infra accuratiùs. Nunc ea expedienda, quæ generatim de probabilitate dici poſſunt.

Sect. II.

SECTIO II.

DE
I° PROBABILISTARUM AXIOMATE.

Probabilem omnem opinionem etiam falſam & legi divinæ contrariam à peccato coram Deo excuſare.

§. I.

Ejus falſitas ex ſancto Thoma demonſtratur.

In primis advertendum nullam opinionem eſſe probabilem, niſi ejus contradictoria ſit etiam probabilis. Nam ſi illa falſitatem aut veritatem certam haberet, inde certò liqueret quid eſſet de opinione oppoſitâ ſentiendum. Sed cùm ex duabus propoſitionibus ſibi contradicentibus, altera procul dubio ſit vera & altera falſa, hoc primùm à Parochis Pariſienſibus rectè conſtitutum eſt, *opinionem probabilem falſam neminem à peccato penitus excuſare.* Hanc doctrinam illi ex ſancto Thoma hauſerunt, & egregio illius loco confirmarunt, quem non pigebit hîc attexere. *Reſpondeo*, inquit Quodl. 8. art. 13. *dicendum quod duobus modis aliquis ad peccatum obligatur: uno modo, faciendo contra legem, ut cùm aliquis fornicatur: alio modo, faciendo contra conſcientiam, etiamſi non ſit contra legem; ut ſi conſcientia dictat alicui quòd levare feſtucam de terra ſit peccatum mortale. Ex conſcientiâ autem obligatur aliquis ad peccatum, ſive habeat certam fidem de contrario ejus quod agit, ſive etiam habeat opinionem cum aliqua dubitatione. Illud autem quod agitur contra legem, ſemper eſt malum; nec excuſatur per hoc quod eſt ſecundum conſcientiam: & ſimiliter quod eſt contra conſcientiam, eſt malum, quamvis non ſit contra legem. Quod autem nec contra conſcientiam, nec contra legem eſt, non poteſt eſſe peccatum. Dicendum eſt ergo, quòd quando duæ ſunt opiniones contrariæ de eodem, oportet eſſe alteram veram, & alteram falſam. Aut ergo ille qui facit contra opinionem Magiſtrorum, ut pote habendo plures præbendas, facit contra veram opinionem; & ſic cùm faciat contra legem Dei, non excuſatur à peccato, quamvis non faciat contra conſcientiam: ſic enim contra legem Dei facit. Aut illa opinio non eſt vera, ſed magis contraria quam iſte ſequitur, ita quòd verè licet habere plures præbendas; & tunc diſtinguendum eſt: quia aut talis habet conſcientiam de contrario; & ſic iterum peccat, contra conſcientiam faciens, quamvis non contra legem: aut non habet conſcientiam de contrario, ſed certitudinem; ſed tamen in quandam dubitationem inducitur contrarietate opinionum: & ſic ſi manente dubitatione plures præbendas habet, periculo ſe committit; & ſic procul dubio peccat, utpote magis amans beneficium temporale, quàm propriam ſalutem: aut ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem adducitur; & ſic non committit ſe diſcrimini, nec peccat.*

Nihil illo loco planius, nil evidentius. Loquitur enim de ea ſen-

tentiâ de quâ diſſidebant inter ſe Theologi. *Inveniuntur enim*, inquit quodlib. 9. art. 15. *de iſta quæſtione Theologi Theologis, & Iuriſtæ Iuriſtis contraria ſentire*: & tamen de hac quæſtione ſic controverſâ pronuntiat, non utramque opinionem eſſe ſecuram; ſed contrà, cùm ex duabus alterutra tantùm ſit vera, eum qui contra veram opinionem facit, quia facit contra legem Dei, certiſſimè peccare.

Idem quod dixerat quodlibeto 8. art. 13. repetit quodlib. 9. art. 15. Non minùs ſignificantibus verbis, nec minùs cum vulgari Caſuiſtarum doctrinâ pugnantibus. *Reſpondeo*, inquit, *dicendum quòd omnis quæſtio in quâ de peccato mortali quæritur, niſi expreſſe veritas habeatur, periculosè determinatur: quia error quo non creditur eſſe peccatum mortale quod eſt peccatum mortale, conſcientiam non excuſat à toto, licet fortè à tanto. Error verò quo creditur eſſe mortale quod non eſt mortale, ex conſcientiâ ligat ad peccatum mortale. Præcipuè autem periculoſum eſt, ubi veritas ambigua eſt, quod in hac quæſtione accidit.*

Poſtremò quodlib. 3. art. 10. eandem rurſus doctrinam tradit his verbis: *Reſpondeo dicendum quòd diverſæ opiniones Doctorum ſacræ Scripturæ, ſiquidem non pertineant ad fidem & bonos mores, abſque periculo auditores utramque opinionem ſequi poſſunt. Tunc enim habet locum quod Apoſtolus dicit ad Rom.* 14. *Vnuſquiſque in ſuo ſenſu abundet. In his verò quæ pertinent ad fidem & bonos mores*, NULLUS EXCUSATUR, SI SEQUATUR ERRONEAM OPINIONEM ALICUJUS MAGISTRI. *In talibus enim ignorantia non excuſat.* Quem locum non puduit Jeſuitas, ut ante notavimus inſigni perfidiâ adulterare, quaſi ſcripſiſſet: *In Moralibus quilibet excuſatur ſequens opinionem erroneam Magiſtri.*

§. 2.

Idem probatur ex Scripturis & Patribus.

Neque verò S. Thomas hanc doctrinam ex ingenio pepererat: ſed ex certiſſimis Scripturæ oraculis, ex clariſſimâ Traditionis voce, ex evidentiſſimo rationis judicio deprompſerat; ut valde mirandum ſit tam multos Caſuiſtas rem unam omnium certiſſimam ignoraſſe.

Quid enim clarius quàm illa Chriſti vox à Pariſienſibus Parochis allata: *Si cæcus cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadunt?* Quis enim neget cœcum eſſe, qui opinionem probabilem falſam ſequitur, cùm veritatem, id eſt, verum lumen non cernat? Corruet ergo ipſe in foveam, ſi ſecutus erit fallax illud lumen, quod ipſi falſitatem exhibet ſimilitudine veritatis indutam; ſecumque alios in eandem foveam trahet, ſi cœcus ipſe aliis pariter cœcis ducatum præſtiterit.

Quid validius quàm ille locus quem protulere iidem ex proverbiis: *Eſt via quæ videtur homini recta, & noviſſima illius ducunt ad mortem?* Quid enim aliud via quæ videtur recta & non eſt, niſi falſa probabilitas? Omnino enim conſcientia illa probabilis ab erronea nihil differt, cùm falſum amplectitur. Errat enim qui falſum probabile cenſet: errat qui ex falsâ regulâ mores dirigit. Sed ſunt errores qui faciliùs intelliguntur, & his nomen erroris relictum eſt; alii diffi-

difficiliùs deprehenduntur & à paucioribus, & hi probabilibus opinionibus ab iſtis aggregantur, non erroribus : ſed quocunque modo erretur, quælibet falſo adventitia adjungatur autoritas, quàmlibet multi in iſtum errorem conſentiant, peccat tamen quiſquis falſum ſequendo ab æternâ veritate diſſidet.

Illuſtre nobis hujus rei exemplum ſuppeditat Euangelium. Nulla unquam opinio falſa probabilior fuit, quàm ea quâ Judæi, quibus minùs bene cum uxoribus conveniebat, fas eſſe ſibi cenſebant dare illis libellum repudii : nullus id apud ipſos doctus vel ſuſpicabatur illicitum. Apertè id enim permiſerat Moyſes ; ad duritiam quidem cordis, ut ait Chriſtus, at id unde poterant elicere? Et tamen ex Chriſti verbis, qui repudium tantùm ad duritiam cordis declarat Judæis eſſe conceſſum, & dimiſſam ab aliquo uxorem ſine adulterio duci non poſſe, conſtans Patrum traditio concluſit nunquam Judæis repudium licuiſſe. Idem de lege talionis dici poteſt, quam Auguſtinus in Pſal. 108. juſtitiam injuſtorum vocat, & quâ non omnino excuſatos eſſe Judæos ſentit, cùm iſtius verba, & doctorum ſuorum interpretationem in ulciſcendis inimicis ſequebantur. Adeo ſecurum eſſe non poteſt quod æternâ lege damnatur.

Nec minùs Patres hoc probabilitatis commentum, quæ opinionem falſam & æternæ legi contrariam peccato liberat, manifeſtè ſubruunt, atque inprimis Tertullianus de ſpectaculis cap. 20. rem totam his verbis conficit. *Erramus : nuſquam, & nunquam excuſatur quod Deus damnat. Nuſquam & nunquam licet, quod ſemper & ubique non licet. Hæc eſt veritatis integritas, & quæ ei debetur diſciplinæ plenitudo, & æqualitas timoris, & fides obſequii ; non mutare ſententiam, nec variare judicium. Non poteſt aliud eſſe, quod verè quidem eſt bonum ſeu malum. Omnia autem penes veritatem Dei fixa ſunt. Ethnici quos penes nulla eſt veritatis plenitudo, quia nec Doctor veritatis Deus, malum ac bonum pro arbitrio ac libidine interpretantur ; alibi bonum quod alibi malum, & alibi malum quod alibi bonum* : videant novi Caſuiſtæ, ne hæc in ipſos non minùs bellè quàm in Ethnicos cadant.

Dabunt, credo, Jeſuitæ non minorem Auguſtino, ad opiniones probabilitate & ſecuritate donandas, autoritatem fuiſſe, quàm Leſſio, Vaſqueſio, aut demum cuicunque Caſuiſtæ : & tamen ipſe de ſe pronuntiat nihil valere ſecuritatem à ſe datam, ſi à lege divinâ diſſentiat. Sic enim loquitur hom. 12. *Ecce dat tibi ſecuritatem procurator. Quid tibi prodeſt ſi pater-familias non acceptet ? Procurator ſum : ſervus ſum : vis dicam tibi ; vive quomodo vis, Dominus te non perdet ? Securitatem tibi procurator dedit. Nihil valet ſecuritas procuratoris. Vtinam Dominus tibi ſecuritatem daret, & ego te ſolicitum facerem! Domini enim ſecuritas valet, etiamſi nolim ; mea verò nihil valet, ſi ille noluerit. Quæ eſt autem ſecuritas, fratres, vel mea, vel veſtra, niſi ut Domini juſſa intentè diligenterque audiamus, & promiſſa fideliter expectemus ?* Idem ſerm. 34. de diverſis, *diſpenſatores ſerpentis vocat, quicunque promittunt quod non promiſit Deus* : quo profectò nomine digni ſunt, qui falſam opinionem ſequentibus falſam ſecuritatem pollicentur : nunquam enim id promiſit Deus ; imò contrarium planè polli-

pollicitus eſt. At ſi minùs Auguſtino fidei tribuunt Caſuiſtæ, ſaltem Felici III. ſummo Pontifici credant, non eſſe in hominum poteſtate, contra legem æternam agentes peccato liberare; audiantque graviſſimas illius voces: *Sciat*, inquit Epiſt. 7. *quod ſe decipit ipſe qui fallit, nihilque per noſtram facilitatem tribunalis excelſi judicio derogari, cui illa ſunt rata quæ pia, quæ vera, quæ juſta ſunt.*

Poſtremò ut pluribus locis huc congerendis ſuperſedeam, præclarè Bernardus actiones ex falsâ opinione, quàmlibet probabili profectas, vitioſis accenſet, dum ad bonam actionem utrumque requiri docet, *charitatem in intentione, in electione veritatem*, quorum alterutrum ſi defuerit, vitioſam illam aliquatenus eſſe pronuntiat. Extat eximius hic locus lib. de præcept & diſpenſ. cap. 14. qui probabilitates falſas funditus disjicit: ſic autem habet: *Vt interior oculus verè ſit ſimplex, duo illi eſſe arbitror neceſſaria, charitatem in intentione, & in electione veritatem. Nam ſi bonum quidem deligat, ſed verum non eligat, habet quidem zelum Dei, ſed non ſecundum ſcientiam: & neſcio quemadmodum judicio veritatis vera eſſe poſſit cum falſitate ſimplicitas. Volens denique ad veram diſcipulos inſtruere ſimplicitatem magiſtra veritas: Eſtote, inquit, prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ. Præmiſit ergo prudentiam, ſine qua neminem ſatis eſſe poſſe ſimplicem ſciret. Quomodò denique verè ſimplex erit oculus cum ignorantiâ veritatis? Aut verò vera poteſt dici ſimplicitas, quam ſimplex ignorat veritas? Scriptum eſt enim: ignorans ignorabitur. Patet ergo laudabilem illam & à Domino laudatam ſimplicitatem abſque his duobus non eſſe bonis, benevolentiâ atque prudentiâ: ut oculus videlicet cordis non ſolùm pius, qui fallere nolit; ſed & cautus ſit, qui falli non poſſit.* Et paulò pòſt. *Sine malo quocunque non erit decepta ſimplicitas. Cur, inquis? Nunquid non ex fide? Prorſus ex fide, ſed falsâ, vel potiùs non ex fide; quia fides falſa, fides non eſt. Denique de fide verâ non falsâ puto dixiſſe Apoſtolum: Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt. Non autem ex fide verâ bonum creditur, quod malum eſt: eſt enim falſum: peccatum igitur eſt. Vtrumque proinde complectitur præſens capitulum: Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt &c. & cæcam videlicet malitiam, & deceptam innocentiam: quia quod à neſciente fit, & bonum prorſus condemnat intentio prava, & malum non penitus excuſat recta. Sive itaque malum putes bonum quod forte agis, ſivè bonum malum quod operaris, utrunque peccatum eſt; quia neutrum ex fide: licet ſanè leviùs admodum peccetur, ubi ſanâ intentione ſola reprehenſibilis actio foris apparet, quàm ubi maligna latet etiam in bonâ actione intentio. Verùm quod abſque vel minimo peccato non eſt, purum bonum minimè eſt.* Nihil huic loco addere neceſſe eſt: videtur enim Bernard. omnia iſtorum ſuffugia præcludere ſtuduiſſe.

§. 3.

Theologicis argumentis convellitur probabilitatis commentum.

Dabit veniam lector eruditus, ſi ad hoc probabilitatis dogma, cujus tantum eſt virus, ut omnem penè Theologiam infecerit, penitus evertendum, quædam hîc breviter indicemus Theologiæ & Scripturæ principia, quibus ejus falſitas demonſtratur.

I. Perin-

I. Perinde certum eſt, nec bonum opus fieri poſſe ſine gratiâ, & gratiâ ſemper in animum immitti cognitionem veritatis & charitatis ardorem. Utrunque expreſsè habet Concilium Tridentinum Seſſ. 6. Unde verè & breviter Jeſuitarum Apologiſta quodam loco: *Gratia*, inquit, *veritas eſt in animò, charitas in corde*. Ergo ſi qua actio ex regulâ fit falſa, ſive ex opinione probabili falsâ facta ſit, conſequens eſt ut ſine gratiâ facta ſit, quatenus ex illâ fit regulâ. Igitur ſaltem ex hac parte bona eſſe non poteſt, nec ſic à Spiritu Sancto oriri. Jam verò ſine Spiritu Sancto non modò nihil bonum eſſe, ſed nihil innoxium, Eccleſia profitetur: *Sine tuo numine nihil eſt in homine, nihil eſt innoxium*. Itaque decepta illa ſimplicitas, quam partim probat, partim improbat Bernardus loco ſupra citato, quatenus laudanda eſt, veritate non caret; Verum enim diligit bonum: quatenus fallitur & errat, omnino laudanda non eſt, ſed potiùs culpanda, ut ibidem ſignificat idem Doctor.

II. Idem probari poteſt ex naturâ peccati, quod Auguſtinus, & poſt illum Sanctus Thomas, ac tota deinceps Theologorum cohors ita definit: *Factum dictum, concupitum contra legem æternam*. Ergo ſi qua opinio quamlibet probabilis ab æternâ lege diſſideat, ut diſſidet ſemper illa quæ falſa eſt; qui eam ſequitur, agit utique contra legem æternam, & ſic propriè dictam peccati rationem ſuſcipit.

III. Idem clarè etiam demonſtrat natura virtutis & bonæ voluntatis, quam non aliud eſſe docet Auguſtinus, niſi æternæ legis, æternæ veritatis, æternæ juſtitiæ cognitionem & amorem. *Fit enim*, inquit ille lib. 2. de lib. arb. cap. 19. *homo juſtus, fortis, prudens, coaptando animum illis incommutabilibus regulis, luminibuſque virtutum*. Et in Pſal. 61. *Cùm ſis injuſtus, eſſe non potes juſtus, niſi convertendo te ad quandam juſtitiam, (id eſt Deum) à qua ſi recedis, injuſtus es; ad quam ſi accedis, juſtus es*. Et clariùs adhuc ſerm. 44. de diverſis. cap. 6. *Juſtitia præſto eſt juſtè viventi: ſecundum ejus regulam videt quemadmodum juſtè vivat; & ſicut juſti bene vivendo eam vident, ita injuſti malè vivendo eam non vident. Nam & ille juſtè vivit, cùm eam videt ut ſecundum eam actus ſuos dirigat; quia niſi ſecundum juſtitiæ regulam direxerit actus ſuos, in errorem iniquitatis impingitur*. Dicant nunc probabilitatis autores, an qui opinionem probabilem æternæ legi reipsà contrariam ſequitur, videat æternam juſtitiam; & ex eâ actus ſuos dirigat: hoc ſi dicere non audeant, agnoſcant igitur erroris ſui damnationem in illuſtribus illis Auguſtini verbis: *Niſi ſecundum juſtitiæ regulam direxerit actus ſuos, in errorem iniquitatis impingitur*. Quod idem ex doctrina ſancti Thomæ probari poteſt, qui 1. 2. q. 19. art. 4. docet *bonitatem voluntatis pendere ex lege æternâ*. Ex quo ſequitur voluntatem cum æternâ lege pugnantem, bonam non eſſe, ac proindè pravam eſſe.

IV. Nec diſſimile argumentum peti poteſt ex illis Scripturæ verbis. *Juſtus ex fide vivit*: &: *Omne quod non eſt ex fide; peccatum eſt*. Quibus ſignificatur tunc demum juſtas ac vivas hominis actiones, cum lumine fidei diriguntur; malas eſſe ſi non diriguntur. Alia enim vita rationis, alia fidei. Vitæ rationis prælucet ratio, vitæ fidei fides.

Illam

Illam invenit Chriſtus in mundo, hanc intulit Chriſtus in mundum. Rationis propria probabilitas, fidei conſtans ac certa veritas. Itaque qui probabilitatem errantem ac falſam ſequitur, ratione fortaſſe vivit, quæ erat gentilium vita: fide non vivit, quæ Chriſtianorum vita eſt. Ideò autem fide non vivit; quia *fides falſa, fides non eſt*; inquit Bernardus. Jam verò ex Apoſtolo: *Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt.* Quod de verâ & Chriſtianâ fide dictùm, & Bernardus loco citato, & ſexcenties Auguſtinus affirmat; aut ſi de conſcientiâ accipiatur, ut vult Sanctus Thomas, certè de conſcientiâ intelligendum eſt quam dirigit fides, ut idem ſignificat.

V. De ſe dicit in Evangelio Chriſtus: *Ego ſum via, veritas, & vita.* Quibus verbis ex conſentiente Traditionis ſenſu ad vitam perveniri non poſſe demonſtrat, niſi per veritatem. Ergo ad vitam non ducit opinio probabilis, quæ licere aſſerit quod reverà coram Deo non licet.

VI. Porrò tam crebro eandem ſententiam variis verbis Scriptura repetivit, ut nullam dubitandi cauſam relinquat. Cùm Incarnationis conſilium, ac Evangelicum cultum Judaïco oppoſitum docet in Evangelio Chriſtus: *Venit hora*, inquit, *& nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate.* Idem diſcipulis ſuis Spiritum veritatis pollicetur, ut quicquid ex falſo ortum ducet, ex Spiritu ſuo non oriri cognoſcant. At ne quis exiſtimaret falſitatis viam ad Deum ferre, clamat in Pſalmis Scriptura: *Omnes viæ tuæ veritas.* Unde ſcelerati & improbi à viâ veritatis erraſſe; contra boni *viam veritatis eligere, in veritate ambulare, veritatem facere* dicuntur.

VII. Bona opera in Scripturâ dicuntur opera lucis; mala, opera tenebrarum. Lux autem illa, ipſa eſt veritas, ipſe Chriſtus, qui de ſe dicit: *Ego lux veni in mundum.* Quæro igitur an actio ex probabili opinione æternæ contraria veritati facta, ſit opus lucis? Hoc ſi nemo dicere audeat, quid reſtat niſi ut ſit opus tenebrarùm?

VIII. In ſupremo illo judicio hominum actus ex Evangelio judicandos Chriſtus denuntiat: *Sermo quem locutus ſum vobis, ipſe vos judicabit in noviſſimo die:* ſic oſtendens non ad hominem ſermones aut opinationes; ſed ad ipſam Dei legem, & ad ipſius veritatis ſermonem exigendam hominum vitam. Quî poterit igitur ipsâ judicante veritate hominem defendere probabilitas falſa; quæ veritatis ſermoni reperietur adverſa?

IX. Idem probari poteſt ex illo apud Theologos in Patrum doctrinâ non ignaros, certiſſimo principio: Ignorantiam juris naturalis à peccato non excuſare. *Si quis*, inquit Auguſtinus Epiſt. 154. *bonum putaverit eſſe quod malum eſt, hoc putando utique peccat.* &: *Ea ſunt omnia peccata ignorantiæ, quando quiſque bene fieri putat, quod malè fit.* Unde Gratianus 1. q. 5. *Ignorantia juris naturalis omnibus adultis damnabilis eſt.* De quâ vide quæ ſupra in præcedentem Epiſtolam notavimus.

X. Spondent Caſuiſtæ probabilem opinionem etiam falſam ſequentibus, omnimodam ſecuritatem. Magnificum promiſſum; ſed

 quò

quò majus eſt, eò ſtudioſiùs inquiri debet quàm certum ac minimè vanum ſit. Nam ut nihil optatius vera ſecuritate, ita nil falsâ pernicioſius. Quæro igitur ex Caſuiſtis hoc ipſum dogma quo ſecurum aſſerunt, qui probabilem opinionem ſecutus eſt tametſi divinæ legi contrariam, an omnino certum ſit, an verò tantùm probabiliter verum? Certum eſſe ſi reſpondeant, pergam quærere undenam iſtam, ut ita loquar, certitudinem repetant? An ex Scripturâ? At multis Scripturæ locis impugnatur hoc dogma, nullo ſtabilitur. An ex Patribus? Quî poſſent hoc dicere Caſuiſtæ, cùm nullum unquam pro eo Patrum teſtimonium protulerint: cùm manifeſtè à ſancto Thomâ hoc commentum exploſum fuiſſe anteà patuerit.

Unde nam igitur petitur iſta ſecuritas, ſi nec ex Scripturâ, nec ex Patribus? Ad Rationem confugient, infirmam ſemper in moribus ſecuritatis magiſtram: ſed hîc etiam, ut ſupra demonſtravimus, Jeſuitis magiſtram.

Multùm eis ſudandum erit, ut hanc opinionem ratione ad probabilitatem uſque perducant: verùm ut ultra promoveant, & certam efficiant, vel ſperare ſtultitia eſt.

At ſi probabiliter tantùm ſecuri ſunt qui opinionem probabilem ſequuntur, poteſt hoc igitur eſſe falſum: & ſi falſum eſſe poteſt, prorſus periit & deleta eſt illa ſecuritas, qua mirificè lactatur humanum ingenium. Temerarium enim & ſtultum foret, illi opinioni confidere quæ poteſt eſſe falſa: imò verò fieri nequit ut cum illo judicio firmam quis in animo ſecuritatem concipiat. Prorſus igitur evanuit illa ſecuritas, cùm eam non ſolùm error manifeſtus, ſed etiam erroris metus penitus tollat.

Sectio III.

Idem probabilitatis commentum quibuſdam ejus conſectariis evertitur.

§. 1.

Conſectarium primum.

Si probabilis opinio falſa ad bene agendum ſufficeret, quid eſt cur ſancti tam ardentibus votis veritatis cognitionem à Deo petunt? Quantò meliùs probabilitates peterent, quæ nec veritate minùs ſecuræ eſſent, & fere ſemper ad exequendum faciliores? Prorſus igitur, ſi Caſuiſtas audiamus, immutandæ ſunt Chriſtianæ preces; nec jam cum Davide ſic orandum eſt: *Veritatem tuam doce me*; &: *Deduc me, Domine in via tua, & ingrediar in veritate tua*: ſed iſtis potiùs ad probabilitatis doctrinam compoſitis precibus utendum: *Probabilitatem tuam doce me. Deduc me Domine in via tua, & ingrediar in probabilitate tua.* Prorſus autem inſaniebat Auguſtinus, cum ſic Deum orabat: *Interfice in me quicquid eſt contrarium veritati.* Quàm-multas enim falſas probabilitates, & bonas actiones ex illis profectas interfici

terfici poſcebat, imprudens & incogitans, ſi nova Caſuiſtarum prudentia, prudentia eſt?

Minùs dixi, cùm non optandam dixi ex Probabiliſtarum doctrinâ veritatem: etiàm fugienda ac deprecanda eſt. Cognitæ enim veritatis ex iſtis nullus alius eſt uſus, niſi ut oppoſitum non liceat, cùm eâ latente & falſis probabilitatibus obſcuratâ, utrumque ex æquo licitum ſit. Quis autem velit ſine fructu ſibi ſalutis iter anguſtius fieri? Ex quo intelligi licet quantum in eâ doctrinâ veneni ſit, quæ veritatis cognitionem, non jam utilem, ſed pernicioſam facit: ac proinde in cordibus hominum veritatis amorem prorſus extinguit, ut eos fallacibus hominum opinationibus agglutinet.

§. 2.

Conſectarium ſecundum.

Si verum ſit quod ait Eſcobarius ex conſtanti Probabiliſtarum ſenſu, *opiniones primò diverſas, quarum una falſa ſit, alia vera, tamen ex æquo ſecuras eſſe*, ſequitur fruſtra litigare Theologos in ejuſmodi rebus controverſis, utrùm aliquid liceat vel non liceat. Certum eſt enim licere quidquid utrinque autores habeat; & qui illud licere negat, planè nugatur. Ita cùm v. g. Caſuiſtarum Apologiſta pag. 97. ſuper eâ quæſtione, utrùm liceat judici opinionem probabilem in judicando ſequi, relictâ probabiliori, ita loquitur: *Bonacina hanc opinionem probabilem exiſtimat, & pro illa profert Aragonium, & Salam: contrà ſentiunt Vaſquez, Becanus, Azor, Reginaldus, Valentia, Sanchez; quibus me adjungo*: cùm videatur aliquid dicere, nihil dicit. Nam cùm ſupra poſuerit, *claris Caſuiſtis non omninò ab aliorum autoritate deſertis, tutò quemque adhæreſcere poſſe*; quid juvat ſi propter rationes aliquid illicitum pronuntiet, ſi id aliunde licitum propter Caſuiſtarum autoritatem fateri cogatur? Quid enim refert unde liceat, modò alicunde liceat? Ita cùm Caſuiſtæ inter ſe digladiantes, hi aliquid licitùm aſſerunt, illi negant; falluntur procul dubio qui negant, quantùmcunque rationibus ſuperiores ſint. Verè enim licet illud quod non licere aſſerunt: aut ſi velis, ſpeculativè verum dicunt, practicè falluntur; quia rationibus ſuis quidem evincunt ſpeculativè aliquid eſſe illicitum: ſed in praxi alii ſemper cauſam obtinent; falſum eſt enim illud de quo ambigitur, in praxi non licere.

§. 3.

Conſectarium Tertium.

Sed ſi nos aliæ probationes deficerent, ad iſtius doctrinæ, quæ falſam opinionem quamlibet probabilem ſequentibus ſecuritatem ſpondet, vanitatem oſtendendam; ſatis eſſet quòd illiùs apud Patres ne veſtigium quidem appáret; ut ex eo cerni poteſt, quod nullus omninò à Caſuiſtis ad eam ſtabiliendam vel Scripturæ vel Patrum locus affertur. Cogitet autem apud ſe quiſquis in re unâ omnium graviſſimâ falli non vult, an aliquid veriſimilitudinis habeat, præcipuum cardinem Chriſtianæ Philoſophiæ ab omnibus Patribus

ignoratum eſſe,& his poſtremis tantùm temporibus retectum. Omnino probabilitatis doctrinâ, ſiquidem vera eſſet & non infidam ſecuritatem afferret, nil commodius, nil ad evellendos ſcrupulos aptius, nil ad complanandum ſalutis iter expeditius. Magnum ſalutis præſidium nactus eſſet qui eam didicit, magno adjumento privaretur qui eam neſcit. Hinc fit ut in recentiorum Caſuiſtarum ſcriptis, ſingulis penè verſibus inculcetur. Cur igitur tantum arcanum vel Patribus invidit Deus, vel nobis Patres inviderunt? Cur ipſi probabilitatibus iſtis nihil utuntur? Cur ſicubi in rebus agendis non eſſet ipſis explorata veritas,tantum tremoris præ ſe ferunt, ne fortè quod ſibi videatur rectum, iniquum & pravum à Deo judicetur? Quis non videat quàm ſit abſurdum, ut in re tanti momenti quod Patribus ignotum fuit, his poſtremis temporibus ſubitò patuerit?

§. 4.

Conſectarium Quartum.

Quid quòd eadem ſalutis via quotidie planior & facilior fit, pro eo ut novo probabilitatum proventu Theologia Moralis luxuriat. Hoc verò non agnoſcunt modò Caſuiſtæ; ſed etiam inde ſibi blandiuntur, & in hoc ſe efferunt. *Si jam ſunt probabiles*, inquit Caramuel, *quæ anteà non erant, jam non peccant, licet antè peccaverint.* Ridenda vanitas: exprobranda cæcitas: plectenda audacia homunculorum, qui humanis ratiunculis, probabilibus mendaciis deleri poſſe divinam legem putant; & nihil ſibi jam à veritatis ira timendum exiſtimant, ſi illam inter & ſe aliquod probabilitatis nubilum interpoſuerint. Sed tamen hæc vanitas, hæc cæcitas, hæc audacia tota in illo primario dogmate continetur: *Opiniones probabiles falſas à peccato excuſare.* Nam hoc ſemel poſito rectiſſimè ingens illa abſurditas, ſeu potiùs impietas ab illis deducitur, ad æternam ſalutem, his poſtremis temporibus millies quàm priſcis faciliùs perveniri. Quod meritò Pariſienſes Parochi præclaris illis magni Guigonis Chartuſiani verbis irriſerunt & exploſerunt: O *Apoſtolorum tempora infeliciſſima! O viros illos ignorantiæ tenebris involutos, & omni miſeratione digniſſimos, qui ut ad vitam pertingerent propter verba labiorum Dei tam duras vias cuſtodiebant, & hæc noſtra compendia neſciebant!*

§. 5.

Conſectarium Quintum.

Sed nihil in totâ probabilitatis doctrinâ perniciosius eſt, quàm quòd latiſſimum ad omnem impietatem aditum pandit. Vidimus jam horrendos illius fœtus. Quidquid enim his Litteris exhibetur, quidquid in Parochorum continetur excerptis, quidquid à Montaltio & à Parochis vel pudore vel prudentiâ compreſſum eſt, ex hoc potiſſimùm fonte profluxit, ex hoc maximam veneni ſui partem trahit. Nam ex privatis ſingulorum erroribus habent opiniones quòd probabiles dicantur; ſed ex generali probabilitatis doctrinâ id habent, quòd tutæ, quòd innoxiæ, & ſecuræ, & in praxi uſurpandæ exiſti-

exiſtimantur. Nemo illis quæ jam prodierunt opinionum portentis Eccleſiam defunctam putet: imminent alia longè majora pericula; nec hîc conſiſtet iſta pernicies. Tam latè funduntur ſcelerati dogmatis rami, ut in totius Religionis apertè graſſentur exitium, & in omnium denique Religionum horrendam permixtionem tendant. Caveant Jeſuitæ qui alios negatæ Incarnationis nefariè accuſant, ne quamquam præter mentem & propoſitum ſuum quandoque dicantur Deiſtarum principes. *Omnia ſunt incerta*, inquit Cicero, *cùm ſemel à jure diſceſſum eſt*: omnia nutantia, fluxa,mobilia, cùm ſemel fidei ac veritatis retinaculis abruptis, omnia erraticæ rationis arbitrio permiſſa ſunt. Permittuntur autem omnia hoc ſemel dogmate ſuſcepto: *Falſum probabile à peccato excuſare, & ad honeſtandam actionem ſufficere.* Eccui enim non ſuus error probabilis eſt, non in moribus modò, ſed in fide? Quàm multæ hæreſes plus coloris habent, quàm illæ quæ dicuntur ab ipſis probabiles opiniones? nec invenient unquam Jeſuitæ limites ullos quibus iſtius opinionis perniciem coërceant. Nunquam dicent quòd falſum probabile excuſet, quòd non excuſet: eadem enim in omnibus ratio. Video quidem illos ad oram præcipitii delatos, aliquando territos reſilire, & neſcio quas cauſationes afferre. Sed longè falluntur ſi voluntariis exceptionibus, nihil firmitatis habentibus,ſuſtineri poſſe præcipitantis ingenii impetum ſperent, præſertim ad audendum tam præclaro ſecuritatis oblatæ præmio incitati.

Non vanas hîc formidines objicimus, nec id ex hoc dogmate noſtro ingenio elicimus. Ipſi Caſuiſtæ quàm hoc ſit conſequens agnoſcunt: ipſi totius impietatis fundamenta locant: ipſi expetitum illud impiis dogma: *Ad ſalutem in ſuâ quemque Religione, quam probabilem putet, poſſe pervenire*: non informant modò, ſed penè perficiunt; ut illi nonniſi extrema manus addenda ſit.

Quo tendit enim illud Thomæ Sanchez ab Eſcobario relatum Theol. Moral. p. 39. *Infidelem cui proponitur noſtra fides ut magis credibilis, dum ejus ſecta probabiliter adhuc credibilis appareat, non teneri ad recipiendam noſtram fidem extra mortis articulum?* Quam poſtremam exceptionem removent Sancius & Diana *qui putant*, ut ait idem Eſcobarius, *mortis articulum haud novam regulam operationum inducere moralium, & conſequenter aſſerunt infidelem illum nec in mortis articulo obligari ad credendum.*

Quis hæreticus jam propter hæreſim damnari poterit,cùm nullus ſit penè qui non affirmare poſſit ſibi ſectam ſuam viſam eſſe probabilem; nec modò probabilem, ſed probabiliorem fide catholica? Quòd ſi ſine peccato in illâ hæreſi permanere poteſt, potuit etiam ſine peccato illam amplecti; & ſic nihil ad ſalutem intereſt catholicus ſis, an hæreticus. Quod ita certiſſimè cum iis principiis cohæret, ut Caramûel in probabilitatis dialecticâ intelligentiſſimus, & eò deterior, quòd ex falſis principiis accuratiùs conſecutiones elicit, imparem ſe agnoverit ad hanc dubitationem ſolvendam, totamque in medio reliquerit; ſi hoc eſt in medio relinquere aliquod dogma, hinc validis rationibus ſtabilire, illinc ne verbum quidem pro alterâ

parte proloqui. Locus quem indico extat p. 472. *Quia Baſanomenus Lutheranorum filius, & in Lutheranâ urbe natus, inter Lutheranos nutritus, magiſtros habuit & prædicantes Lutheranos; ſic ubi primùm P. Valerianum, Magnum Capucinorum decus, & alios audivit inculcantes, vel eſſe redeundum ad Romanam Eccleſiam, vel recedendum à Chriſto, fervidè inſurrexit & dixit: Chriſtianiſmus probabiliſſima Religio eſt, & ſub ipſo dantur ſectæ antiquiores, juniores, ſeveriores, benigniores, univerſaliores, minùs univerſales (& præcipuè Romana, Lutherana, Calviniana)* QUÆ SUNT VERE PROBABILES. *Ergo mihi Lutherano non eſt neceſſariò redeundum ad Romanam Eccleſiam, aut ſecedendum à Chriſto. Nam præter Romanam Religionem, cui probabilitatem non nego, etiam Lutherana eſt Chriſtiana, & probabilis, & multò Romanâ benignior. Vim rationis jam penetras; jam vides quò reſpiciat hæreticus. Tenet primò eſſe probabile, quòd Deus mentiri nequeat: ſecundò eſſe probabile quod revelarit ſacram paginam, &, ſi velit ut ſic loquar, dictaverit: tertiò eſſe probabile quòd eandem. Romana Eccleſia benè exponat; & tamen addit, iis non obſtantibus harum antitheſes eſſe probabiles. Reſolutionem hanc ſic ille confirmat & dilucidat. Doctrina Ariſtotelis, inquit, prout hodie traditur in Academiis Italicis, Hiſpanicis, Gallicis, probabiliſſima eſt: nec contra hanc ipſam probabilitatem militat mundi æternitas, & animæ rationalis mortalitas: nam iſti & ſimiles errores ſunt expuncti, nec jam traduntur à Chriſtianis Philoſophis. Hæc ipſa doctrina & ſchola Ariſtotelis in tres ſectas dividitur, Thomiſticam, Scoticam, & Nominalem; omnes probabiles, omnes celebres, omnes plauſibiles. Dicant Dominicani [noſtra ſchola Ariſtotelica eſt, & antiquior Nominali & Scoticâ: ergo redeundum ad ipſam, vel ſecedendum eſt ab Ariſtotele.] Quid inde? Nam à Franciſcanis ridebuntur, qui æquo jure reponent, [vel admittendam eſſe Scoti ſcholam, vel relinquendum Peripatum] tunc enim argumentatio urgeret, cùm vel una ſub Chriſto Religio, vel una ſub Ariſtotele ſchola demonſtrationes produceret. Nam ſi una ſecta demonſtraretur eſſe vera, reliquæ demonſtrarentur eſſe falſæ; & in noſtro caſu, ait Baſanomenus, omnes has Religiones (Romanam, Lutheranam, Calvinianam) eſſe Chriſtianas & probabiles judico; & omnes has ſcholas (Thomiſticam, Scotiſticam & Nominalem) eſſe Ariſtotelicas & probabiles cenſeo; & hanc ob rem ratiocinio illo disjunctivo, vel redeundum eſt ad Romanam Eccleſiam, vel ſecedendum eſt à Chriſto, convinci aut urgeri non poſſum. Nec antiquitatem ipſe & Concilia generalia morabitur: hæc enim, ut ait, probabilia argumenta, & non evidentia miniſtrant: quoniam ſchola Ariſtotelis Chriſti Religione multò antiquior, & Academiæ Peripateticæ multò numeroſiores magiſtros habent quàm generalia Concilia, & ſi licet P. Magno doctrinam Peripateticorum de errore & tyrannide arguere, cur non licebit Baſanomeno eſſe & cautiori? Cur non dicere, Romanam quidem Eccleſiam eſſe probabiliſſimam, adeòque in foro interno eſſe ſecuriſſimam; & tamen hoc ipſo non obſtante Lutheranam quam ipſe profitetur, eſſe etiam probabilem, atque æquè Chriſtianam ac ſecuram;* IMÒ SECURIOREM OMNINO, QUONIAM MINÙS PROBABILIS SENTENTIA SI BENIGNIOR, ETIAM SECURIOR EST? *Cur non licebit addere, ſe eſſe in quieta*

con-

conſcientia apud Lutherum, adeòque non teneri redire ad Eccleſiam Romanam, nec à Chriſti Religione ſecedere?

Sic diſcurrit etiamnum Baſanomenus, & deberet à te, Lector erudite, compeſci. P. Valerianum Magnum audivit, & alios audire deſiderat.

Notandum eſt autem initio iſtius dubitationis, ac multarum hujus generis, hæc verba à Caramuele præfixa: *Ad ſolamen illorum qui in Germania habitant, & multos viros, aliàs probos, infectos dolent hæreſi, aliquas periodos ſcribo, & veriùs ex ſelectiſſimis Autoribus exſcribo.*

At quod timidè Caramuel, aſſeveranter & audacter Eradus Billius Jeſuita tradidit tr. 3. c. 1. de fide. *Sic etiam puer baptizatus, quia fides quam ſuſcepit in Baptiſmo, ſatis non eſt ad profitendam fidem, niſi & proponantur myſteria fidei, & explicentur, non peccabit credendo hæreſi ſibi propoſitæ & quam à parentibus edoctus eſt, niſi habeat argumenta convincentia & probabilitatem excludentia ſuæ ſectæ.* QUANDIU ENIM PROBABILIS EST, NON PECCAT EAM SEQUENDO. *Quò fit ut multæ puellæ uſque ad vigeſimum annum vix cenſeri poſſint hæreticæ.* QUIS ENIM DICET EAS NON HABERE ARGUMENTA PROBABILIA SUÆ SECTÆ: AT NEMO PECCAT SEQUENS OPINIONEM PROBABILEM, *quantùmcunque ad Cœnam, ut appellant, accedant.*

Dices: Multi ſunt etiam ſenes qui putant ſe bene facere. Reſpondeo, hoc non eſſe ſatis pro iis qui inter Catholicos vivunt: ſed in Suecia & Dania, extremaque Germania, ubi nullus eſt uſus Catholicæ Religionis, poſſunt ſalvari ſi non peccent; aut poſito quòd peccaverint, ſi conterantur, aut actum amoris exerceant.

Cæterùm quod negat ſufficere hoc inter Catholicos, ſine ratione à ſuis ipſe ſenſibus diſcedit; & ideò hæc exceptio meritò à Diana & Sanctio rejicitur.

Quid ad hæc Jeſuitæ? Nempe, ut cum eodem Caramuele loquar, *vel omnia debebunt transglutire, vel à principali opinione diſcedere*, quâ falſum probabile à peccato excuſare aſſerunt. Quin illis etiam devorandæ ſunt omnes illæ inſaniæ, quas ſimul Parochi Pariſienſes congeſſerunt in egregiâ probabilitatis Synopſi Epiſcopis oblatâ: nec ſe unquam ex iſtis laqueis expedient, niſi ſe à duobus illis ducibus, quos in Theologiâ ſequuntur, abjunxerint; humanâ ſcilicet autoritate, humanâ ratione, quibus quandiu id juris dabunt, ut aliquid tutum ac ſecurum poſſint efficere, nihil ferè tam abſurdum eſt, quod poſſit ab illis recuſari. Nam ſi quod neceſſariò ſequitur ex probabili, probabile eſſe neceſſe eſt, nihil jam eſt quod improbetur. Nihil eſt enim quod ex aliquâ opinione, quæ ut probabilis circumferatur, elici non poſſit: cujus rei argumento ſunt probabilitatis conſecutiones à Parochis in ipsâ ſynopſi jam indicatâ collectæ.

§. 6.

Conſectarium Sextum.

Superiore conſectario conſequens eſſe ex probabilitatis doctrinâ vidimus, quam quiſque Religionem probabilem judicaret, eam ipſum & amplecti, & retinere poſſe ſine peccato: ultra etiam neceſſaria nos connexarum inter ſe corruptelarum ſeries ducit, & omnia ſine delectu crimina, etiam turpiſſima ex iſtis principiis ſæpè licita & innoxia eſſe demonſtrat. Notandum eſt enim, quod multoties jam animadvertere potuimus, probabile aliquid ab ipſis dici, non abſolutè, ſed relativè. Hinc hæreſim fatentur hæreticis eſſe probabilem, quamvis à Catholicis planè improbabilis habeatur. Quarè quæ cuique opinio probatur, ea ipſi probabilis eſt. Et ſanè non aliter falſum probabile eſſe poteſt, cùm ab illis qui veritatem tenent, meritò ut improbabile rejiciatur. Quæro igitur à Jeſuitis cur hæreſis probabilis excuſet à crimine: adulterium autem & fornicatio, quam vitio carere aliquis falsò licet, ſed tamen probabiliter putet, non pariter excuſet. Atque ut notiore illos exemplo conſtringam, ex æquo Turcæ exiſtimant & ſoluti cum ſoluta fornicationem eſſe licitam, & Mahometem à Deo miſſum. Huic poſteriori ſententiæ poſſunt ex Jeſuitis, dum probabilis videtur ſine crimine adhæreſcere; cur non & priori de fornicatione ſententiæ, quæ ſua ſponte non magis falſa, nec minùs ipſis videtur eſſe probabilis? Alterum ab altero nunquam ſejungent Jeſuitæ: nunquam, ſi ſibi conſtare volent, negabunt, Turcis probabile videri, fornicationem crimine vacare. Ergò etiam illud admittant neceſſe eſt, non magis illos fornicando peccare, quam ex ipſis ſua ſecta, quandiu probabilis videtur, retinenda non peccant.

Nec verò id à me ex placitis ſuis erutum putent: diu eſt cùm Auguſtinus idem ſequi docuit ex Academicorum decretis, prorſus hac in parte cum Caſuiſtis congruentibus. Horum ſententia, ut teſtatur Auguſtinus lib. 3. contra Academ. cap. 16. *Cùm agit quiſque quod ei probabile videtur, non peccat nec errat.* Hæc ipſiſſima eſt Jeſuitarum doctrina. Quid ergo ad eam Auguſtinus? Oſtendit hâc ſemel probatâ, omnia crimina probari; & continuò ſic Academicos premit. *Id igitur*, inquit, *audiens adoleſcens inſidiabitur pudicitiæ uxoris alienæ. Te te conſulo, Marce Tulli; de adoleſcentium moribus vitaque tractamus, cui educandæ atque inſtituendæ omnes illæ litteræ tuæ vigilaverunt.* Mox Tullio eam ſuggerit reſponſionem, quâ nullam aliam poſſent afferre Jeſuitæ: *Quid aliud*, inquit, *dicturus es, quàm non tibi eſſe probabile ut id faciat adoleſcens.* Sed continuò hanc reſponſionem rejicit. Auguſtinus: *At illi*, inquit, *probabile eſt. Nam ſi ex alieno probabili vivimus, nec tu debuiſti adminiſtrare Rempublicam, quia Epicuro viſum eſt non eſſe faciendum. Adulterabit ille juvenis conjugem alienam.* Sed ne putaretur Auguſtinus hoc non ſeriò dixiſſe, paulò pòſt ſubjicit: *Sed vos me jocari arbitramini; libet dejerare per omne divinum, neſcire me prorſus quomodò ille peccaverit, ſi quiſquis id egerit quod probabile videtur, non peccat.... Taceo de homicidiis, parricidiis, ſacrilegiis, omnibuſque*

buſque omnino quæ fieri aut cogitari poſſunt flagitiis aut facinoribus, quæ paucis verbis, & quod eſt gravius, apud ſapientiſſimos judices defenduntur; quomodò non facerent quod probabile viſum eſt? Iterum verò eorum cauſationem elidens, qui flagitium nulli probabile eſſe dicerent: *Qui autem*, inquit, *non putant iſta probabiliter perſuaderi poſſe, legant orationem Catilinæ, quâ patriæ parricidium, quo uno continentur omnia ſcelera, perſuaſit.* Poſtremò totam iſtius dogmatis perniciem paucis verbis complexus: *Illud*, inquit, *eſt capitale, illud formidoloſum, illud optimo cuique metuendum, quod nefas omne, ſi hæc ratio probabilis erit, cùm probabile quiquam viſum ſit eſſe faciendum, non ſolùm ſine ſceleris, ſed etiam ſine erroris vituperatione committatur.*

Multa diſcere poſſunt ex hoc Auguſtini loco Jeſuitæ. Primùm veterem quidem eſſe ſuam de probabilitate doctrinam, ut pote ab Arceſila cum recentiore Academiâ ſimul partum; ſed illam etiam extinctam, & cum cæteris Philoſophorum erroribus à Chriſti Religione debellatam. Deinde vel præcipuum ejus impugnatorem eſſe illum Auguſtinum, cui ferè nunquam cum Jeſuitis bene convenit. Poſtremò hinc demum facilè perſpicient, non invidioſis argumentis, non ex arbitrio ductis conſecutionibus; ſed certiſſimis rationibus nefaria illa dogmata ex ipſorum placitis erui, cum ab ipſo Auguſtino, cui nihil cum hâc noſtrâ contentione fuit, eadem illa tantò antè præviſa & denuntiata ſint.

§. 7.

Monitum de probabilibus ſententiis falſis, juri tantùm poſitivo adverſis, quatenus illæ excuſent vel non excuſent.

Longè fuſius iſta proſequi facile erat. Verùm hæc ſatis eſſe decrevi ad illum errorem refellendum, qui nulla prorſus ratione nitatur. Cæterùm animadverti velim hîc me ſolùm de illis probabilibus opinionibus locutum eſſe, quæ æternæ & naturali legi adverſantur; non quæ juri poſitivo contrariæ ſunt. Nam ut juris poſitivi ignorantia nonnunquam excuſat, ſi ſit invincibilis; ſic opinio probabilis falſa eodem modo poſſet excuſare. At ſicut juris poſitivi ignorantia illos non excuſat, qui noluerunt illam ſtudio deponere cùm poſſent; ſic item probabilis opinio juri poſitivo adverſa eos non excuſabit, qui eam opinionem ſtudio, diligentiâ, precibus deponere potuerunt, & debuerunt; ſed noluerunt: quod uno & altero exemplo ex Auguſtino confirmari ſatis erit.

Utrùm liceat ab hæreticis baptiſmum accipere, quæſtio eſt juris non naturalis, ſed poſitivi: & tamen Auguſtinus peccare decernit, qui per ignorantiam apud Donatiſtas baptizetur. *Illi verò*, inquit l. 1. cap. 5. de Bapt. contr. Donat. *qui per ignorantiam ibi baptizantur, arbitrantes ipſam eſſe Eccleſiam Chriſti, in iſtorum quidem comparatione minus peccant; ſacrilegio tamen ſchiſmatis vulnerantur; non ideò non graviter, quòd alii graviùs.*

Idem habet Epiſt. 203. ad Maximinum: ubi de Donatiſtis loquens, qui tametſi non noſſent nefas eſſe hæreticos rebaptizare: tamen quia id facilè ſcire poterant, non dubitantèr Auguſtinus eos

peccare aſſerit, cùm id facerent. *Rebaptizare*, inquit, *hominem hæreticum, qui hæc ſanctitatis ſigna perceperit, omnino peccatum eſt.*

Sectio IV.

De altero Probabiliſtarum axiomate : E duabus opinionibus contrariis minùs probabilem, & minùs tutam, amplecti licere.

§. 1.

Variis argumentis hæc doctrina confutatur.

Alterum caput ſecundam actionum humanarum continet normam, quâ jubemur à conſcientiæ judicio nunquam deſciſcere; atque adeò ſi in dubiis rebus, ſive in opinionum probabilium conflictu, alteram partem probabiliorem & tutiorem conſcientia judicet, hoc judicium prorſus ſequendum eſt, nec rejici poteſt ſine peccato. Ut meliùs percipiatur quæſtionis nodus, certo ille caſu circumſcribendus. Sit aliquis ergo qui beneficium optet aſſequi; nec aſſequendi tamen aliam norit viam, niſi ut pecuniam offerat tanquam motivum,non tanquam pretium. Expendat ille apud ſe utrùm hoc ſit licitum,an illicitum:ut licitum probabiliter putet, facit autoritas Valentiæ : ut illicitum cenſeat, autoritas Sorbonæ, quæ id in Millardo damnavit. Omnibus itaque circumſpectis tandem apud ſe judicet,probabilius eſſe in hâc pecuniæ oblatione intervenire ſimoniam, atque adeò illam eſſe illicitam. Ergo illa opinio quæ fas eſſe cenſet offerre pecuniam, ipſi minùs probabilis eſt, eademque minùs tuta. Contrà ea quæ illicitum id decernit magis tuta eſt, & magis probabilis. Quæritur ergo an ſic animo conſtitutus, poſſit opinionem illam minùs probabilem & minùs tutam amplecti, relictâ probabiliore & ſecuriore? Affirmant Jeſuitæ,negant Parochi Pariſienſes: illi recentiorum agmine; hi veterum Theologorum choro ſtipati. Nam cum iſtis ſentiunt Henricus Gand. Quod. 4. q. 33. Gerſon. tract. 36. art. 10. D. Anton. 1. part. tit. 3. cap. 10. Et in tert. part. tr. 5. cap. 2. §. 9. Joannes Major in prol. 4. Sent. q. 2. Corrad. q. 100. de cont. Adrian. in qq. de reſt. quæ incipit, *Iam dictum*. Cajet. in Sum. Verbo, *opinionis uſus*. Sotus in 3. lib. de juſtit. & ju. q. 6. art. 5. Silveſter in Verb. opin. quæſt. 2. Ang. eod. titu. Tabiena eod. num. 4. Navarr. in Man. c. 27. Panorm. in c. Capell. de feriis, n. 3.

Quàm vera, quàm certa ſit illorum ſententia, hâc maximè viâ pateſcit, ſi diligenter attendatur quid recentiores illos in fœdam illam, ut loquitur Comitolus prolapſionem induxerit. Cùm enim falsò ſtatuiſſent, ad licitam, imo laudabilem actionem non requiri ut ex verâ opinione proficiſcatur; ſatis eſſe ut ex probabili, licet falsâ: hinc effecerunt omnes opiniones probabiles, eſſe ſecuras, licet aliæ aliis ſecuriores dici poſſent, quòd ab occaſione peccandi aliæ

aliis remotiores eſſent. Hoc autem conſtituto, *omnes ſcilicet opiniones probabiles eſſe ſecuras*, huic dogmati aliud ſuperſtruxerunt, nimirum non neceſſariò probabiliorem opinionem amplectendam; ſed ſatis eſſe ſi quis minùs probabilem ſequatur: quia hæc minùs probabilis, eſt tamen probabilis, ac proinde ſecura.

Sed hic ratiuncularum ludus ſtatim à limine de tramite veritatis exorbitat. Nam, ut ſupra ex Sancto Thoma docuimus, nulla alia eſt bona actio, niſi quæ recta, ac veræ regulæ conformis: adeòque à peccato ſola liberat veritas, ex illo Scripturæ oraculo: *Veritas liberavit vos*. Ex quo conſequens eſt, opinionem probabilem ſecuram non eſſe, niſi vera ſit; & eum qui tantùm probabilem opinionem ſequitur, ſecurum eſſe non poſſe, quia de ejus veritate certus non eſt.

Jam verò ſi ſecurus non eſt, dubitet neceſſe eſt, & conſcientiam habeat non certam, ſed incertam & dubiam. Ergo tunc eâ ſe ratione gerat oportet, quam dubitantibus præcipiunt omnes Theologi & ipſimet Caſuiſtæ, ſcilicet ut tutiorem partem eligat, ex illâ Canonici juris formulâ, à ſummis Pontificibus conſecratâ, & ex naturali lumine depromptâ: *In dubiis via tutior eligenda*, cap. *Illud dominus. De Clerico Excom. & de ſponſalibus*. In quem locum Gloſſa: In his quæ dubia ſunt, quod certius æſtimamus, tenere debemus.

Sed ſæpè tantùm ex alterâ parte periculum eſt peccandi. Nam dubitatur quidem an liceat habere plures præbendas; ſed non dubitatur quin liceat non habere plures præbendas. Ideòque qui non habet plures præbendas, non minùs probabilem probabili anteponit, ſed certam probabili: quibus tamen locis Jeſuitæ minùs probabilem opinionem ſequi fas eſſe contendunt. In quo tum à ratione manifeſtè, tum à Sanctorum & praxi & autoritate diſcedunt. Hunc enim caſum præter alios definivit expreſſis verbis Auguſtin. lib. 1. de Bapt. cont. Donatiſtas cap. 3. in quo hanc ſpeciem aſſignat. *Quid Donatiſta ad Catholicam Eccleſiam redire meditatur? Iam fatetur ſe certum eſſe baptiſmum in Eccleſiâ Catholicâ rectè ſuſcipi; ſed dubitat an rectè apud Donatiſtas ſuſcipiatur*. Quid Auguſtinus ad hanc ſpeciem ſibi propoſitam? *Si dubium haberet non illic rectè accipi, quod in Catholicâ rectè accipi certum haberet, graviter peccaret in rebus ad ſalutem animæ pertinentibus, vel eo ſolo quòd certis incerta præponeret*. Et cap. 5. fuſiùs iſta perſequens. *Accipere itaque in parte Donati, ſi incertum eſt eſſe peccatum; quis dubitet certum eſſe peccatum, non ibi potiùs accipere, ubi certum eſt non eſſe peccatum?*

Verùm incidunt ſæpe tempora ut utrinque periculum peccandi ſit, aliis affirmantibus aliquid ſine peccato omitti non poſſe, aliis contrà idem aſſerentibus, ſine peccato fieri non poſſe. Dubitabit ergo tum hic vir bonus, donec ex duabus illis ſententiis utra ſit vera perſpexerit: implorabit divinum lumen, & quâ poterit diligentiâ veritatem ſtudebit detegere. Sed ſi urgeat tempus, ſi alterutra neceſſariò ſequenda ſit, utram ſequetur? Nimirum eam quam ad veritatem magis credet accedere, & quam probabiliùs putet carere peccato. Ratio ex dictis facilè colligitur. Nam cùm verum ſequi quiſque

que in actibus ſuis debeat ; utique & veritatem quærere , & quam proximè poteſt , ad veritatem debet accedere. Certiſſimum autem ille indicium dat animi veritatem non inquirentis, qui quod verius, quod probabilius putat , negligit ; illud amplectitur quod falſum potiùs putat eſſe quàm verum. Peccat igitur , cùm volens à veritate recedat, volens ad falſitatem tendat.

Magis id etiam clarebit , ſi attendatur qua cauſa ad pravam illam electionem poſſit impelli. Ecquid enim illum dicemus in amplectenda minùs probabili ac minùs tuta ſententia rationem ſequi ? Quî poteſt eò quemquam impellere ratio , quod ipſa judicat à ratione alienius ? An fortè charitas illum hortabitur , ut minùs probabilem opinionem , id eſt, probabiliùs peccandi periculum eligat? Quî poſſet ſuadere charitas,ut charitas probabiliùs violetur? Quid reſtat igitur , niſi ut ſolâ ductus cupiditate in illud ſe demittat non probabile modò,ſed probabilius peccatum ? Quis autem in mentem ſibi poſſit inducere,id fieri poſſe ſine peccato quod improbet ratio,repudiet charitas, ſola poſſit ſuadere cupiditas ?

Quid aliud eſt contra conſcientiam agere , niſi ſic agere ? Ille enim utique contra conſcientiam agit, qui id facit quod conſcientia judicat non eſſe faciendum : at cùm aliquis probabilius cenſet aliquid eſſe illicitum , quàm licitum ; utique etiam probabilius eſſe cenſet , fugiendum id eſſe , quàm non fugiendum ; non faciendum id eſſe , quàm faciendum : peccatum enim fugiendum , nec faciendum eſt. Qui ergo ſic affectus, & cum eo conſcientiæ judicio illud ipſum nihilominus amplectitur & facit , id facit utique quod potiùs non faciendum judicat : id amplectitur quod potiùs fugiendum eſſe decernit. Agit ergo contra lumen ac judicium conſcientiæ ſuæ.

Atque hæc ita rationi conſentanea , ut non modò apud Philoſophos dogmaticos , quibus aliquid videbatur poſſe ſcientiâ comprehendi ; ſed apud ipſos Scepticos , ipſos probabilitatum artifices , in confeſſo fuerint. Quamvis enim Academici nihil certi eſſe contenderent ; ſed alia tantùm aliis probabiliora faterentur : tamen in vitâ agendâ minùs probabilibus , quæ illi improbabilia dicebant, probabilia anteferenda eſſe docebant , *Non ii ſumus*, inquit Cicero , *quorum vagetur animus errore , nec habeat uſquam quid ſequatur. Quæ enim eſſet iſta mens, aut quæ vita potiùs ; non ſolum diſputandi, ſed etiam vivendi ratione ſublatâ? Nos autem, ut cæteri alia certa, alia incerta eſſe dicunt : ſic ab his diſſentientes , alia probabilia, contra alia improbabilia dicimus. Quid eſt ergo quod me impediat ea quæ probabilia videantur, ſequi ; quæ contra, improbare ? Atque his probabilibus regitur* , ut inquit alio loco , *vita ſapientis.* Quin autem per illa improbabilia intellexerit Cicero minùs probabilia ; non autem planè falſa, non ambiget quiſquis Academicorum doctrinam ſatis norit. Omnia enim illis dubia videbantur ; alia tamen aliis in veritatem , vel in falſitatem propenſiora. Qui plura volet, legat Comitolum ſuorum offucias diſcutientem. Nobis non neceſſe eſt diutiùs in eâ quæſtione verſari, quæ ex ſuperiori tota pendens, nihil propriæ difficultatis habere poteſt.

§. 2. *Hac*

§. 2.

Hâc Doctrinâ ſcrupulis anxiam non effici bonorum vitam, ut objiciunt Ieſuitæ.

Interim illud admoneo, tametſi bonis viris ſemper aut certa, aut probabilior ac tutior opinio ſequenda ſit: tametſi in ſolâ veritate vera ſit ſecuritas, adeòque nec probabilis, nec probabilior ſecura dici poſſit, niſi ſit vera: tamen ut ſollicita ſit illorum vita, anxiam nihilominus & ſcrupulis inquietam non eſſe: quod unum opponunt Jeſuitæ, ut id probent, neceſſe non eſſe veram opinionem ſequi; ſatis eſſe ſi probabilem, imò minùs probabilem ſequamur.

Primum enim bonis pleræque illæ opiniones quas Caſuiſtæ probabiles putant, improbabiles videbuntur: nunquam dubitavit vir pius an liceat calumniatorem interficere, vel alapam intentantem: ejuſmodi opiniones ſtatim averſabitur & exhorreſcet: falſas illas & impias eſſe ſtatim *unctione ac Spiritu Sancto docente perſpiciet.* Ipſa enim de ejuſmodi rebus dubitatio ſcelerata eſt. Sed in iis in quibus ambiget & hærebit, habet tamen quâ ratione componere poſſit æſtus ſuos. Illud enim didicit ex Jacobo: *Siquis indiget ſapientiâ, poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat.* Convertet ſe igitur ad Patrem luminum, lucem illius precibus eliciet, conſulet viros doctos & pios: deinde omnibus circumſpectis, nec veritate tamen penitus intellectâ, quod probabilius & tutius videbitur, id aget. Hoc ſi diligenter præſtiterit, & omni ope veritatem invenire ſtuduerit, quietus eſſe poterit, ſecurus tamen non poterit. Maneat enim oportet in hâc vita ſollicitudo quædam ac tremor, ut illud impleatur Apoſtoli præceptum: *Cum timore & tremore veſtram ſalutem operamini.*

Sic affectus erat ſanctus Job, cùm verebatur omnia opera ſua: ſic affectus Paulus, cùm nihil ſe ſibi conſcium diceret, non tamen in hoc juſtificatum eſſe: talis erat Auguſtini animus, cùm in multis liquidam veritatem non cernens, ſollicitudinem ſuam Paulino ſuo his verbis explicat ep. 250. *Quis vindicandi modus, non ſolùm pro qualitate vel quantitate culparum, verùm etiam pro quibusdam viribus animorum; quàm profundum & latebroſum eſt? Ego in his quotidie peccare me fateor, & ignorare quando, quove modo cuſtodiam id quod ſcriptum eſt: peccantes coram omnibus argue, ut cæteri timorem habeant.... Qui in his omnibus timor, mi Pauline ſancte homo Dei; quis tremor, quæ tenebræ? Nonne putamus de his eſſe dictum: Timor & tremor venerunt ſuper me, & contexerunt me tenebræ?* Pium illum tremorem qui detrahit ſanctis, magnam detrahit humilitatis ac vigilantiæ, imò fœlicitatis ſuæ partem: ut enim in luctu, in paupertate beatitudinem locavit Chriſtus: Sic etiam in ſancto illo timore ſapiens quandam hujus vitæ fœlicitatem conſtituit: *Beatus homo*, inquit, *qui ſemper eſt pavidus.* Non tamen hic timor ejuſmodi eſt, ut quietem ac pacem ſecum non admittat. Quod qui neſcit, prorſus ignorat *illam Dei pacem quæ exuperat omnem ſenſum*, & in ipſis timoribus *ſanctorum corda intelligentiaſque cuſtodit.*

Quamobrem, ut paucis omnia complectar, in ſincerâ veritatis inquiſitio-

quiſitione quies; in ſolâ veritate ſecuritas eſt. Atque adeò qui partem illam amplectitur; quam minùs probabilem & minùs tutam, id eſt, falſitati quàm veritati, peccato quàm virtuti viciniorem judicat, is αὐτοκατάκριτος, ut ait Apoſtolus, ac conſcientiâ judice damnatus eſt: qui autem id quod verius, quod tutius judicat, id ſequitur; is quietus & nihil ſibi conſcius, ſed non in hoc juſtificatus eſt. Verâ ſecuritate is unus fruitur, qui certam veritatem & ſecutus & aſſecutus eſt: quod quia in omnibus nemo de ſe debet confidere, hinc ſemper cuivis ſuppetit unde Deo dicat: *Ignorantias meas ne memineris*: &: *Ab occultis meis munda me Domine.*

Sectio V.

De Duobus erroribus ſecundi axiomatis conſectariis: nempe, Licere Theologo ex opinione probabili quam falſam putet, conſilium dare: Licere item cuivis varios adire Caſuiſtas, quoad repererit qui ad libitum reſpondeat.

§. 1.

Explicatur, & refellitur primus error.

Fallacia alia aliam trudit; & ſemel admiſſus error longam ſæpe catenam errorum adducit. Hoc ſuſcepto, *omnes probabiles opiniones, etiam falſas, tutas tamen & ſecuras eſſe*; ſuſcipitur illud de quo diximus, *minùs probabilem & minùs tutam poſſe probabiliori & tutiori in vitæ inſtitutione præponi.* Hoc jam decretum duo alia ex ſe connexa ſecum affert; nempe *poſſe Doctorem modò hoc, modò illud reſpondere; imò rogatum, id conſilii dare; quod ipſe minùs probabile vel etiam falſum putet, modò aliis Doctoribus probabile viſum ſit.* 2. *poſſe quemvis cùm deliberat utrùm aliquid liceat an non liceat, multos Doctores eo animo adire, ut ex variis illorum opinionibus eam eligat, quæ ſibi favorabilior & exoptatior ſit.* Hæc conſectaria non negant Jeſuitæ optimè ex probabilitatis doctrinâ duci; & ideò illa vulgò tanquam veriſſima amplectuntur. At cùm reipsâ longè abſurdiſſima & falſiſſima ſint, conſequens eſt non ideò probari debere, quia cum probabilitatis doctrinâ cohærent; ſed ideò rejici & improbari debere capitalia dogmata unde pendent, quòd à tam nefandis conſectariis divelli & disjungi non poſſint. Prorſus enim ibi valet quod ait Cicero de Stoicorum paradoxis: *His propoſitis*, inquit, *tenuit Zeno prorſus conſequentia: ſed ita falſa ſunt ea quæ conſequuntur, ut illa è quibus nata ſunt, vera eſſe non poſſint.* Primum igitur videamus.

Arbitror, inquit Laimanus, Theol. Mor. l. 1. tr. 1. c. 5. § 2. n. 7. *nihil à ratione alienum fore, ſi Doctor conſultus ſignificet conſulenti, opinionem à quibusdam viris doctis tanquam probabilem defendi, quam proinde ſequi ipſi liceat: quamvis idem Doctor ejuſmodi ſententiam ſpeculativè falſam eſſe certò ſibi perſuadeat, ut proinde ipſemet in praxi eam*

ſequi

ſequi non poſſit. Cùm enim conſulens in re dubiâ jus habeat ſe conformandi opinioni quæ à quibusdam viris doctis defenditur, nihil obſtante quod aliqui alii contradicant, & ſpeculativè ſententiam improbabilem judicent; hoc ipſum jus conſulenti Doctor indicare non prohibetur. Atque hinc exiſtit. quòd vir doctus diverſis, ſecundum oppoſitas probabiles ſententias, oppoſita conſilia dare poſſit, ſervatâ tamen diſcretione ac prudentiâ.

Sic illis non ſatis eſt inveniendis probabilibus ſententiis ingenio cujuſque habenas admittere, niſi etiam aliorum inventis uti cuique permittant: nec modò iis quæ minùs probabilia, ſed illis quæ planè falſa cenſeat ſpeculativè, id eſt, in ſe ſpectata; modò eadem practicè probabilia judicet.

Mihi verò prorſus mirum videtur, in eorum animis qui doctrinam & pietatem profitentur, ſic extingui poſſe communiſſimas pietatis notiones, ut hæc ipſis probabilia videri potuerint; libenterque hîc cum Auguſtino dixerim, *Ep. 56. Pudet me iſta refellere, cùm eos non puduerit iſta ſentire: cùm verò auſi ſint etiam defendere, non jam eorum, ſed ipſius generis humani me pudet, cujus aures hæc ferre potuerunt.*

Sed tamen ût tam alienæ à Chriſtianis ſenſibus doctrinæ virus melius intelligatur, attendamus quæſo à quo petatur conſilium, quis petat, de quo petatur, quanti momenti ſit in eo non falli.

Petitur conſilium à Theologo, ab animorum Rectore, id eſt, ab eo qui Chriſti hâc in parte perſonam ſuſtinet, *quia Magiſter noſter unus eſt Chriſtus*, Matth. 23. 10. Qui loqui cum hominibus debet *tanquam Deo per ipſum exhortante, & per exhortationem quâ exhortatur & ipſe à Deo*, ut loquitur Paulus 2. Cor. 5. 20. Cui unus eſſe ſcopus debet, ut homines à noxiis cupiditatibus abſtrahat, *ne configurentur prioribus ignorantiæ ſuæ deſideriis; ſed vivant ſecundum eum qui vocavit eos ſanctum; & ipſi in omni converſatione ſancti ſint*, 1.Pet.1. Unum lumen verbum divinum, *cui attendere debet, tanquam lucernæ lucenti in caliginoſo loco.* 1. Pet. 1. Una fiducia adverſus ſummum Paſtorem, cui rationem villicationis ſuæ redditurus eſt. Si poſſit cum Paulo dicere. *Non ſubterfugi quominus annuntiarem vobis omne conſilium Dei.* Act. 20 Poſtremò talis debet eſſe Euangelicus ille monitor, ut verè de ipſo dici poſſit, quod de Chriſto ab inimicis ſuis dictum eſt: *Magiſter, ſcimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces.* Matt.22.

Quærit conſilium Chriſtianus, *jam non ſibi vivens ſed ei qui pro ipſo mortuus eſt.* 2. Cor. 5. *Qui carnem ſuam cum concupiſcentiis crucifixit*, Gal. 5. *Qui Paſtoris ſui* Chriſti vocem *audire unicè vult, non alieni*, Joan. 10. Qui unius Chriſti debet veſtigiis inſiſtere, *& ſicut ille ambulavit, ita ambulare.* 1. Joan. 2. Qui unam cupit *inire viam, arctam illam ſcilicet quæ ducit ad vitam*, Matth. 7. *Qui non ea quæ videntur contemplari debet; ſed quæ non videntur*, 2. Cor. 4. Poſtremò qui *imprudens eſſe* non vult, ſed *intelligere quæ ſit voluntas Dei*, ut ei ſuam voluntatem adjungat. Hoc conſilio doceri cupit, aliquidne liceat, an non liceat; violeturne aliquo facto honor Dei & æterna lex, an non? Facile vident quibus oculi in corde ſunt, ut ait Auguſtinus, omnes de rebus terrenis conſultationes, in quibus homines tantâ diligentiâ

ligentiâ verſari ſolent, ad iſtam nihil eſſe. Agitur enim illius qui conſulit, æterna ſalus; quem pravum fortè conſilium in æternum præcipitabit exitium : nec modò ipſius, ſed ejus à quo petitur conſilium ; qui ſi alium in foveam impulerit, haud dubiè in eandem ipſe corruet. Nec enim mendax eſſe poteſt veritatis oraculum : *Si cæcus cæcum ducit, ambo in foveam cadunt.*

Quis igitur non horreat illum Sacerdotem , qui non modò *viſiones cordis ſui loquatur, non de ore Domini*, ut ait Propheta ; ſed fidei & ſinceritatis oblitus , id ſuadet quod potiùs eſſe illicitum quàm licitum, potiùs falſum quàm verum putet: qui teſtimonium propriæ conſcientiæ ſuffocet , ut in aliorum opinationibus , oppoſita quærat hominum cupiditatibus conſilia ? An hic ſibi Pauli exemplo teſtimonium reddet, quod omnis non infidelis Euangelii diſpenſator ſibi debet reddere : *Gloria noſtra hæc eſt , teſtimonium conſcientiæ noſtræ, quòd in ſimplicitate cordis & in ſinceritate Dei, non in ſapientiâ carnali, ſed in gratiâ Dei converſati ſumus in hoc mundo ?*

Quid quod non modò id fieri ſinunt, cùm minùs probabilis exiſtimatur aliorum ſententia ; ſed etiam cùm planè improbabilis & falſa cenſetur, dum ſeclusâ Caſuiſtarum autoritate ſpectatur. Horribilis hominum cæcitas, qui in æternæ ſalutis periculo licitum putant, quod in vilibus, id eſt temporalibus rebus nefandum ab omnibus exiſtimetur ! Ecquis enim non improbus, non perfidus audiat , qui conſultus de vitâ, de honore, de commodis, eorum Caſuiſtarum imitetur exemplum ? Quis ferat medicum , qui medicamentum ægroto lethiferum putans, tamen conſultus illud ipſum præſcribat, ut ſe voluntati ægroti illius accommodet ; nihil aliud obtendens, niſi à quibusdam medicis illud medicamentum perperam eſſe probatum. Cogitent Principes an tales velint miniſtros habere , qui conſilium rogati, non id ſuadeant quod ipſis maximè judicent ſalutare ; ſed illud contrà quod pernicioſiſſimum & turpiſſimum putant, modò aliis quorum ſententiam non probant, aliter videatur. Dicent quidem claudicare iſtas ſimilitudines, nec exitioſum eſſe poſſe quod aliquibus probatur Caſuiſtis. At ego claudicare ipſorum rationem reſpondeo, qui errore hominis fieri poſſe putent, ut quod ſuâpte naturâ illicitum eſt, licitum fiat ; & ut æternæ legi levi fuco probabilitatis derogetur.

Horrerent certè tantam pravitatem ipſi Ethnici, fidei & ſinceritatis longè ſervantiores ; prorſuſque Caſuiſtas his Ciceronis verbis retunderent : *Quid eſt aliud erranti viam non monſtrare ; quod Athenis execrationibus publicis ſancitum eſt, ſi hoc non eſt hominem pati ruere , & per errorem in maximam fraudem incurrere ? Plùs etiam eſt, quàm viam non monſtrare : nam eſt ſcientem in errorem inducere.*

Quid ergo imprudentius iis qui ſalutem ſuam ex neſcio cujus Caſuiſtæ opinione ſuſpendunt , eâque tam malè inſtitutâ, tam infirmis nixâ rationibus, ut etiam ab eo à quo proponitur, falſa putetur ? An hic probat beneplacitum Dei , ut jubet Paulus ? An gloriam Dei quærit, ut idem præcipit ? An implet illam ejusdem legem : *Nolite fieri imprudentes, ſed intelligentes quæ ſit voluntas Dei ?*

Sed

Sed ne aliquid Jeſuitæ querantur omiſſum, non reticenda eſt exceptio Vaſqueſii, ipſo dogmate ferè deterior. *Circa hoc*, inquit, in 1. 2. diſp. 62. cap. 9. n. 47. *obſervandum maximè eſt, quamvis quiſque doctus poſſit juxta opinionem probabilem alterius Doctoris contra propriam aliquem excuſare à peccato; tamen non poſſe juxta opinionem alterius contra ſuam, aliquem obligare vel condemnare, vel ad reſtituendum, vel ad aliquid ſimile.* O vocem hominis communiſſima Chriſtianæ vitæ præcepta penitus ignorantis! Eccui enim ignotum eſt quod ait Paulus: *Volo vos ſapientes eſſe in bono, ſimplices in malo*, id eſt, in virtutis officiis inquirendis, dignoſcendis, frequentandis, acres, diligentes, ſagaces; ut nihil eorum vos fugiat, quæ Dei gloriam promovere poſſunt: at in malo ſimplices, id eſt, ab omnibus ſubtilitatibus alienos; nec modò manifeſta flagitia, ſed etiam quicquid mali ſpeciem præ ſe fert declinantes: *Abſtinentes vos ab omni ſpecie mali*, ut alio locò dicit idem Apoſtolus? At contrà Vaſqueſius homines ad excuſanda crimina callidos, ad fugienda bona ſimplices eſſe vult.

Nec prætermittendum etiam quo pacto Thomas Sanctius fœdam, at neceſſariam iſtius opinionis conſecutionem excuſet. *Poterunt*, inquit l. 1. in Decal. cap. 9. num. 20. *modò juxta unam, modò juxta contrariam opinionem conſulere; quamvis melius ſit juxta eandem, & maximè in ſcriptis, ne varii deprehendantur: at hæc varietatis deprehenſio poteſt facilè vitari, ſi conſulens ſive verbo ſive ſcripto aſſerat, quamvis contraria opinio probabilior ſit, hanc quoque tanquam probabilem poſſe tutò amplecti.*

An hæc ſapientia carnis, an verò ſapientia Chriſti, judicet Apoſtolus. *An quæ cogito*, inquit 2. Cor. 1. 17. *ſecundum carnem cogito, ut ſit apud me eſt & non? Fidelis autem Deus, quia ſermo noſter qui fuit apud vos non eſt in illo*, EST ET NON. Nec Pauli duntaxat; ſed omnium qui viam Dei in veritate docent. *Dei enim*, inquit, *Filius Ieſus Chriſtus, qui in vobis per nos prædicatus eſt, per me & Sylvanum & Timotheum, non fuit*, EST ET NON, *ſed eſt in illo fuit.*

Quo tandem igitur numero habendi ſunt iſti Caſuiſtæ; qui ſuâ ipſorum confeſſione bilingues, duplices, inconſtantes ſunt; modò hoc, modò illud effutiunt; nec tantùm Chriſtiani ſinceritatem; ſed ne Philoſophi quidem gravitatem, aut honeſti hominis conſtantiam tenent?

§. 2.

Secundus error refellitur.

Ingenuè Duvallius tr. de bonit. & malit. hum. action. q. 4. ar. 12. *Si ſemper quod eſt probabilius adimplendum eſſet, fruſtra de caſibus conſcientiæ tractatus ederentur. Quiſque enim regulariter ſatis perſpicit id quod eſt melius & tutius: proindeque ſi tutior & probabilior via ſemper eſſet eligenda, in vanum caſuum conſcientiæ reſolutiones à Doctoribus ederentur.*

Sic ille ſimpliciter & verè, ſi de recentibus Caſuiſtis intelligatur. Prorſus enim illa Caſuiſtarum multitudo illis tantùm opportuna eſt, qui quod rectius & verius vident, ſequi detrectant; & morum nor-

mas exquirunt cupiditatibus ſuis congruentes, quarum ipſis in iſtâ multitudine facilis delectus eſt.

Caſuiſtas non morantur perditi prorſus & flagitioſi, qui æternæ ſalutis nullam curam gerunt, nec minùs libenter quod non licet faciunt, quàm quod licet. Rurſus Caſuiſtis parum utuntur boni & religioſi viri, in veritate ſimpliciter ambulantes, & legem Dei toto corde requirentes. Æquitas enim in plerìſque lucet ipſa per ſe, & incorruptus animus de rebus agendis plerumque judicat incorruptè.

Eſt aliud inter utroſque interjectum hominum genus, nec Religionem iſtorum habens, nec illorum impietatem: cupiditatibus incenſum, & ſaluti tamen ſuæ metuens: nec Euangelii aſperitatem ferens propter amorem ſeculi, nec aperta vitia propter æterni ſupplicii formidinem. Ita timoris morſus imminuit libido, libidinis gaudia timor corrumpit.

Huic generi ſeſe aggregat novorum Caſuiſtarum natio: miras enim ipſi præbet utilitates. Anxium illum timorem detrahit, probabilium opinionum ſecuritate: legem Dei cum illorum cupiditatibus placidè componit, hâc veniâ minùs probabilis inter multas probabiles ſententias eligendæ conceſsâ. Nam ut in magno numero veſtium vix eſt ut non ſibi aliquam quis aptam inveniat: ſic rarò admodum fit, ut in tantâ probabilitatum multitudine non aliquam reperias propoſito tuo congruentem.

Sed quia occurrebat illud, probabilibus illis ſententiis neminem frui poſſe, niſi eas norit; vix autem ſatis eas ab eo cognoſci poſſe, qui unum adeat Doctorem; quia non ſæpe Doctor aliam quàm ſuam ſententiam expromit: hinc prudenter ſanè Eſcobarius, &, quod verè dixerim, ſuis principiis conſequenter, Theol. Moral. l. 2. num. 58. *Si rectam habeo intentionem, opinionem probabilem requirendi quæ mihi faveat, animoque afficior firmo nihil gerendi probabili conſcientiæ contrarium, licitè quidem poſſum varios adire Conſiliarios, donec inveniam qui reſpondeat ad libitum. Ita Sanchez l. 1. Decalogi cap. 9. num. 4. Caſtro Palao t. 1. tract. 1. diſp. 2. pun. 3. num. 6. Zumel 1. 2. q. 76. art. 2. diſp. 4. Idem habeo compertum: imo crediderim Adrianum & Navarrum haud in hoc caſu locutos, ſed quando quis Doctorem quæreret ſuo libito reſponſurum, nil de reſponſionis veritate ſeu probabilitate curans.* Sic ille ſine fuco vitium ingerit. Nam non eſt alius minùs malitioſus: at quo conſtantiùs differit, eò firmiùs probat, quantum in illo primario dogmate veneni ſit, ex quo tam pernicioſæ conſecutiones profluant: quod hîc paucis aperiendum.

Multos adire Doctores, per ſe nefas non eſt, ſi id inquirendæ veritatis causâ fiat, & ut ex variis illis ſententiis non exoptatiorem, ſed veriſſimam, probabiliſſimam eligas. Verùm Caſuiſtis illis alia mens eſt. Volunt enim eo conſilio varias illas ſententias conquiri, ut ex iis illa arripiatur, quæ commodior viſa fuerit, licet minùs probabilis & minùs tuta. Itaque quæcunque ſuperius diximus ad iſtam opinionem revincendam, huc etiam pertinent. Nam ſi non licet minùs probabiles & minùs tutas amplecti ſententias; imò ſi non licet probabiles

babiles, id eſt dubias, dum manet dubitatio: ſequitur nec licere propterea varias illas probabilitates colligere, ut ex iis eligas, non quæ verior, ſed quæ commodior viſa fuerit. Quid enim aliud eſt tenebroſus ille oculus cordis, qui totum corpus tenebroſum facit, quàm illa intentio animi non veritatem inquirentis, ſed cupiditatis ſuæ ſecuritatem? Præcipiunt omnes inſtituendæ pietatis auctores, ut in indagandâ Dei voluntate expurgetur cupiditatibus animus; ab amore ſui, ab utilitatumque ſuarum ſtudio mundetur; multùmque in illâ inquiſitione periculi eſſe denuntiant, ne arcanis quibuſdam deſideriis in animi receſſibus retruſis falſi & decepti, id ſequamur quod cupiditati noſtræ, non quod divinæ legi conſentiat. Hinc in ejuſmodi deliberationibus jubent ardentiores ad Deum preces fundi, non modò ut tenebras noſtras illuminet, ſed maximè ut cor ipſum mundet; nuſquamque magis neceſſarias docent Davidicas illas orationes: *Ab occultis meis munda me Domine*: *cor mundum crea in me Deus*, *& ſpiritum rectum innova in viſceribus meis.* Otioſa & vana Jeſuitis omnis illa diligentia videtur: fruſtra formidari occultas cupiditates docent, cùm etiam apertas & cognitas ſequi liceat; cùm ex magno numero opinionum illam fas ſit eligere, quæ ad cupiditatis utilitatiſque normam dimenſa, magis ipſis convenire perſpecta ſit.

Et verò cur ſibi metuant à cupiditate, qui probabilitatem, non veritatem ſequuntur. Quaſi verò quidquam facilius ſit, quàm explorare alicujus recentioris autoris ſententiam, quæ ſufficit, ut ait Eſcobarius, ad honeſtandam actionem. Itaque cùm illi boni meticuloſi, qui nihil aliud quàm veritatem Deique voluntatem invenire ſtuduerunt, etiam poſt tot adhibitas diligentias adhuc tamen vereantur ne fortè imprudentiâ lapſi ſint: iſti contrà qui omnia retulere ad arbitrium cupiditatis, plenâ ſecuritate fruuntur, & *ita certò ſciunt ſe non peccaſſe, ut etiam jurare poſſint*, inquit Caramuel nec immeritò. Nam ſi licet è multis Caſuiſtarum opinionibus quam voluerint ſequi, non temerè jurant ſe non peccaſſe qui Dianæ, v. g. ſententiam ſecuti ſunt. Certum eſt enim ipſis Dianæ ſententiam ſe ſecutos, quod ipſis ſufficit ad excuſandum, imò ad honeſtandam actionem.

Verùm quicquid ſpondeant probabilitatum artifices, ejuſmodi commenta ſemper aſpernabuntur quicunque pietatem verè colere voluerint, & ex Scripturâ didicerint: *Qui quærit legem, replebitur in eâ; & qui inſidiosè agit, ſcandalizabitur in ea.* Quamcunque ergo ſecuritatem offerant Caſuiſtæ, ſemper illi pium timorem anteferent, quem illis Scripturæ tot monitis, tot exemplis ingerunt: è quibus libet unum, ut mihi videtur appoſitiſſimum hoc loco ſubjicere, ut pateat quàm inanis ſit illa fiducia, quam Caſuiſtæ hominibus ſuam cupiditatem in opinionum delectû ſequentibus afferunt.

Balac Rex Moabitarum miſerat qui Balaam ad Dei populum maledictis onerandum conducerent: monetur ille divinitus ne impio Regi obtemperet: infecta re redeunt Oratores. At Rex, qui magni referre cenſebat accerſiri Balaamum plures mittit, & cum amplioribus muneribus. Quid ibi Balaam? *Si dederit*, inquit, *mihi Balaam*

plenam domum ſuam argenti & auri, non potero immutare verbum Domini Dei mei, ut vel pliùs vel minùs loquar. Quam puram videri neceſſe eſt iſtis Caſuiſtis hanc Balaami intentionem, qui ſe nullâ re ab officio dimoveri poſſe denuntiat. Et tamen quia occultâ quâdam avaritiâ divinum juſſum ad ſuam cupiditatem inflectere voluit, iteratis ad Deum precibus *ibi ſe victum*, inquit Auguſtinus l.4. in Num. q. 48. *cupiditate monſtravit, ubi loqui ſibi Dominum de hâc re iterum voluit, de quâ ejus jam cognoverat voluntatem: proinde Dominus videns ejus cupiditatem captam devictamque muneribus, permiſit eum ire; hoc ipſo confundens illius dementiam, quòd prohibitionem Dei tranſgredi aſina non auderet, quam ille cupiditate tranſgredi conaretur, quamvis eandem cupiditatem timore ſupprimeret.... Cur poſt iſtam permiſſionem Dominum iterum non conſuluit, & poſt iſtam prohibitionem iterum conſulendum putavit; niſi quia ejus maligna cupiditas apparebat, quamvis timore Domini premeretur?*

Heu nimis vera effigies illorum qui novos ſubinde Caſuiſtas adeunt, donec ſit qui ad libitum reſpondeat: ubi ille occurrit, non jam ampliùs alium requirunt, ut nec Balaam aliam Dei vocem: ſed ipſi continuò obſequuntur! Itaque non minùs illi quàm Balaam Dei permiſſu in errorem inducuntur. *Pluit enim & pluit ſemper Deus ſuper peccatores laqueos*, ut ait Propheta, *& lege infatigabili*, inquit Auguſtinus, *ſpargit pœnales cæcitates ſuper illicitas cupiditates.*

Nec eſt quod obtendant, non eſſe ſuæ voluntatis ut ab iſtis quos conſulunt Caſuiſtis fallantur. Nemo falli unquam voluit, nemo maledictionem dilexit: & tamen quia propter corruptum cupiditatibus animum quidam falli merentur, quidam maledictionem accerſunt: ideò hanc ipſorum animi pravitatem his verbis expreſſit Scriptura, quaſi errorem maledictionemve dilexiſſent: *Dilexit*, inquit Pſal. 108. *maledictionem, & veniet ei.* Et Iſaias de Judæis: *Populus ad iracundiam provocans eſt, filii mendaces, nolentes audire legem Dei: qui dicunt videntibus, nolite videre; & aſpicientibus, nolite aſpicere nobis ea quæ recta ſunt: loquimini nobis placentia, videte nobis errores; auferte à me viam; declinate à me ſemitam; ceſſet à facie noſtra ſanctus Iſraël.* Hîc non ipſorum verba, ſed ipſorum animus exprimitur. Nemo ſic unquam ore locutus eſt: animo ita loquitur quiſquis intus cupiditate corruptus cupit ſibi perſuaderi juſtum ac licitum eſſe quod expetit, & propterea *coacervat ſibi magiſtros pruriens auribus*: prorſus enim hîc locum habet, quod in ſimili causâ à Gregorio dictum eſt, Moral. l. 15. c. 25. *Hæc verba dicere vel ſtulti minimè præſumunt: ſed tamen perverſi omnes id Deo non verbis, ſed moribus dicunt.*

SECTIO

Sectio VI.

De Caſuiſtarum autoritate ad Probabilitatem opinionibus ſuis conciliandam.

§. 1.

Quod pluribus Caſuiſtis probabile videtur, meritò à bonis & doctis improbabile nonnunquam exiſtimari. Quàm fluxa ſit Caſuiſtarum autoritas.

Duobus illis capitibus conſtitutis, nihil jam cauſæ eſt cur magnopère de cæteris difficultatibus laboremus: quid requiratur ut aliqua opinio probabilis dicatur? an unus, an plures Doctores; an tres aut quatuor ſufficiant? Parum enim admodum refert, aliquam opinionem probabilem dici, modò ne ſecura eo ipſo dicatur. Tamen ex ſuprapoſitis principiis facile eſt reliqua diſſolvere.

Primùm enim ex conſtitutâ ſuperiùs probabilium opinionum notione, neceſſe eſt, ut ſi unus Doctor aliquam opinionem probabilem cenſeat, huic ſit ſanè probabilis: non tamen conſequens eſt ut talis cæteris videatur, Poteſt enim omnino fieri & ſæpe fit, ut opinio multis Doctoribus videatur probabilis; & tamen eadem ab aliis jure improbabilis & falſa exiſtimetur; videlicet ſi illi eam vel Scripturæ, vel Patribus, vel manifeſtæ rationi repugnare certò perſpexerint.

Nec illos movere debet priorum illorum autoritas, cùm eos falſis rationibus in illas inductos viderint eſſe ſententias. Sic Auguſtinum Hieronymi ac multorum aliorum Hieronymo aſſentientium non movit autoritas, quin ejus ſententiam de Petro à Paulo per ſimulationem reprehenſo falſam & improbabilem cenſeret; cujus judicium non tota modò Eccleſia, ſed ipſe pòſt Hieronymus amplexus eſt. Eundem Auguſtinum multorum, præcipuè ex Græcis Patribus, non deterruit ſententia, quominùs omne mendacium, etiam officioſum, alicujus peccati damnaret. Inde illa tam ſæpe repetita ab Auguſtino lex, etiam fœminis data: *Si quid divinarum ſcripturarum, earum ſcilicet quæ Canonicæ in Eccleſiâ nominantur, perſpicua firmatur autoritate, ſine ullâ dubitatione credendum eſt.* Huic autem ſemper adjungit Auguſtinus Eccleſiæ & Traditionis autoritatem, propter quam etiam Evangelio credimus. *Aliis verò teſtibus vel teſtimoniis, quibus aliquid credendum eſſe ſuadetur, tibi credere vel non credere licet, quantum ea momenti ad faciendam fidem vel habere vel non habere perpenderis.*

Quòd ſi ex illâ Auguſtini regulâ nonnunquam privati alicujus Patris licet improbabiles exiſtimare ſententias, cùm certâ Scripturæ aut Traditionis autoritate falſæ deprehenduntur; quantò potiori jure id in Caſuiſtarum opinionibus licebit, in quorum ſcriptis ſæpe nulla pietas, nulla relucet eruditio? Longiſſimè enim erret, qui pro eruditione ac doctrinâ habeat multiplicem illam, quam oſtentant, novorum Caſuiſtarum lectionem. Doctum non facit volaticarum opinionum incondita farrago; ſed antiquitatis perveſtigatio, ſancto-

rum Patrum diligens evolutio, Scripturarum jugis & humilis meditatio. Ex his fontibus omnis Moralis diſciplinæ cognitio petenda eſt: quibus neglectis, qui turbidis ſe proluit iſtorum fluentis, non imperitus modò habendus, ſed imperito tantò deterior, quantò inſcitiâ perniciosior indocta temeritas. Niſi fortè inter eruditos numerandus eſt Antoninus Diana, ejuſmodi librorum helluo, quo neminem jure dixeris in Caſuiſtis doctiorem, in verâ Theologiâ magis hoſpitem; neminem judicio ac ratione corruptiorem.

Quod de Dianâ dixi, de Caramuele, de Eſcobario, de Maſcarenha, de Baunio, de Joanne Sancio uno omnium audaciſſimo, de Thoma Sanctio dictum velim, quibus longè fuiſſet nihil didiciſſe melius. Id enim demum ſtudio conſecuti ſunt, ut nativum in ſe rationis lumen extinguerent. Unde præclarè Cleri Gallicani conventus anni 1656. in Epiſtolâ decretis Sancti Caroli juſſu ſuo editis præfixâ, de recentioribus Caſuiſtis loquens: *Novitiæ*, inquit, *illæ opiniones ita Chriſtianam morum diſciplinam & Euangelicam vivendi normam adulterarunt, ut hujuſmodi ſcientia quævis ignorantia longè ſit potior.*

§. 2.

Quidam Caſuiſtæ opiniones improbabiles potiùs quàm probabiles faciunt aſſenſu ſuo.

Quamobrem nedum ut aliqua ſententia probabilis dicatur quòd illis placuerit, ut potiùs meritò propterea ſuſpecta eſſe debeat, etiam apud indoctos. Argumentum enim pravitatis eſt, diſtortæ regulæ congruere; idque non modò doctis manifeſtum eſſe debet, ſed etiam indoctis. Nam ut ſi quis ſe Deum Patrem dixerit, aut Spiritum Sanctum, aut Galliæ Regem, propter inſignem illam amentiam opinione amentiæ laborat in omnibus & apud omnes: Sic cùm iſti Caſuiſtæ in tam horrenda inciderint opinionum portenta, in quibus manifeſta depravatio rationis apparet, meritò in aliis etiam minùs manifeſtis corrupti judicii ſuſpecti ſunt.

Quiſquamne Caramuelis judicio aliquid tribuat, qui has apud ipſum legerit nefarias, & à ſanitate alienas voces. *Inquiris an homo Religioſus, qui fragilitati cedens fœminam vilem cognovit, quæ honori ducens ſe proſtituiſſe tanto viro, & eundem infamat, poſſit illam occidere? Quid ſcio? At audivi ab eximio Patre N. ſanctæ Theologiæ Doctore, magni ingenii & doctrinæ viro: Potuiſſet Amicus hanc reſolutionem omiſiſſe; at ſemel impreſſam debet illam tueri, & nos eam defendere. Doctrina quidem eſt probabilis; ſed qua poſſet uti Religioſus, & pellicem occidere ne ſe infamaret. Tu rem accuratè perpende.* An Baunio quiſquam credat, qui illius de incendiarii monitore, quem reſtitutione liberat, decretum legerit? An ullam Eſcobarii decretis habeat fidem? qui ex ipſo infandam illam audierit vocem: *Nonne qui alapam accepit, tandiu cenſetur honore privatus, quandiu adverſarium non interimit?*

Enim verò inſignia illa flagitia ſingulari Dei nutu ab ipſis minùs, reor, animadverſa, ut etiam ſimplices & indocti hinc admonerentur, quàm non eſſent in aliis ſequendi. Quarè non modò docti,

verùm

verùm etiam imperiti nihil prorſus illorum autoritati tribuere jure poſſunt & debent. Sufficit enim communis ſenſus, ſufficiunt communiſſimæ pietatis notiones, ad illorum errores detegendos & aſpernandos. Nec temerè Gallia auditis nefandis illis ſententiis, quæ his literis exhibentur, tota cohorruit, publicisque illas execrationibus proſecuta eſt. Longè enim in populo Chriſtiano; in mulieribus, in indoctis purior & incorruptior de rebus moralibus ſenſus, quàm in plerisque Caſuiſtis. Non ſponte homines tam abſurdi naſcuntur; arte, ſtudio opus eſt ad tantam abſurditatem ſenſim elaborandam, ad obſcurandas boni malique notitias naturâ & Chriſtianâ inſtitutione nobis impreſſas, ad corrumpendam aſſuetudine cavillandi rationem. Hinc illa tam multorum dubitatio, qui hæc à Jeſuitis tradita ſibi perſuadere non poterant.

Quamobrem ſi contentio facienda ſit, & alterutrius judicio ſtandum in aliquâ Morali quæſtione vel hominis indocti at cordati, vel Dianæ cujuſdam aut Eſcobarii; ſexcenties malim indocti illius ſententiæ acquieſcere, quàm iſtorum retorridorum Caſuiſtarum. Pii verò & eruditi cujuſdam Parochi, quales vulgò ſunt Pariſienſes, autoritatem ne cum illis quidem velim contendere. Quarè quod magnum facere ſibi videntur, cùm decem aut viginti Caſuiſtas in aciem producunt, & à ſe ſtare docent, neſciunt ſanè quàm iſtud argumenti genus contemnamus, quàm facilè repellamus: pro decem Caſuiſtis, producant ſi velint decem millia; at ego hominibus illis nullam in Eccleſiâ autoritatem habentibus, oppono omnem bonorum cœtum aliter viventem, aliter ſentientem: oppono omnem Germaniæ, Galliæ, Hiſpaniæ, Belgii populum Chriſtianum, qui hæc dogmata omnino reſpuit, & auribus ipſis aſpernatur: oppono tantum numerum illuſtrium Parochorum, qui ſuum in illis inſectandis Zelum nobilitarunt.

§. 3.

Nihil ex eo autoritatis accedere Caſuiſtis, quòd multa ſcripſerint; ſed aliquid potiùs decedere.

Niſi fortè eò plus ſuis Doctoribus autoritatis arrogant, quòd ingentia volumina confecerunt: quaſi non hoc quoque ad illorum temeritatem augendam faciat, quòd tam multa ſcripſere, tam parùm ad hoc inſtructi & idonei. Decem ac quinque ſeculis Eccleſia floruerat, antequam hæc Caſuiſtarum ſeges exoriretur. Pertexit Eccleſiaſticorum Scriptorum ſeriem Bellarminus adusque annum 1550. & in hoc toto annorum decurſu nonniſi duodecim Caſuiſtas enumerat. Quod non fortuitò contigiſſe credendum eſt: ſed quia res admodum periculoſa, lubrica, ingentis cautionis, & divinæ cujuſdam prudentiæ eſt, de conſcientiæ latebris, de gravitate criminum, de diſtinctione venialium & mortalium culparum, de modo injungendæ pœnitentiæ diſputare. Igitur operis molem cùm cernerent priſci illi, & pietate & lumine nobis tantò præſtantiores, ferè ſatis eſſe duxerunt, generalia ponere morum principia: pauci admodum explicandæ univerſæ Theologiæ Moralis onus ſubire voluerunt.

runt. Nunc verò pars illa Eccleſiaſticæ ſcientiæ longè graviſſima, ab audaciſſimis & infirmiſſimis ſimul ingeniis occupata miſerè laceratur. Nemo non ſe ad illam putat idoneum: nemo non in illam aliquid commentatur. Hinc illa exorta eſt Caſuiſtarum nubes, qui tanquam Ægyptiacæ ranæ in Eccleſiam incubuernnt, & nihil pene jam in moribus integrum reliquerunt.

Tantam temporum noſtrorum perniciem, divinè his verbis Magnus inſectatur Aurelius in Vindiciis pag. 241. *Iam jam, ſi neſcis, gemere cœpit orbis, tantâ verè craſſorum operum, eaſdem nænias ingerentium & inculcantium, quæ quotidie ſine fine cumulantur, mole oppreſſus. Atque hanc temporis felicitatem unis propemodum Ieſuitis Theologia debet: quorum ab ortu immenſum leviſſimorum ſcriptorum examen, quaſi odioſa veſparum ac tabanorum acies, ſincero doctrinæ melli, & oculis doctorum infeſta, ſe ſe profudit. Anteà pudor aliquis, & aliqua in publicum prodeundi verecundia erat; nec facilè dabantur in lucem Theologicæ lucubrationes, niſi quæ audiri ſaltem, ſive legi mererentur. Nunc Ieſuiticæ ambitionis aura, & falſæ gloriæ æmulatio, innumera tenuium ingeniorum millia, velut infimam plebeculam, peſtilenti contage pervadens, pudorem obruit, mentium ſenſus obſtupefacit, ut ſua propudia publicare, ſuas mundo labes offerre geſtiant; quaſi privatim peccare nefas eſſet. Quò fit ut ſeculum hoc, quod iſti propriæ gloriæ lenocinio mirandis laudibus proſequi, & interdum omnibus retro ſeculis, quibus ipſi nondum erant, anteferre conſueverunt; non multiplicis, ut ajunt, ſcientiæ; ſed audacis ignorantiæ ſeculum dicere jure liceat. In tantis enim laſcivientium ſcriptorum acervis, ita paucos pro illa multitudine reperias, quos perpenſa rerum cognitio, librata judicii maturitas, dictorum ſuorum alienorumque delectus commendet: ita verò multos, in quibus nihil ſingulare præter promiſcuam loquacitatem, temerariam de rebus ignotiſſimis & minimè meditatis diſſerendi fiduciam, incredibiles à veris puriſque fontibus evagationes, importunè ſolùm repetitos vulgarium cantilenarum ſuſurros, imparia undique materiis propoſitis ingenia; ut minùs mirari oporteat, paucos illos extitiſſe qui ſeculo laboranti ſubvenirent, quàm hiſce tam multos viliſſima imperitiæ mercimonia palam proponere auſos eſſe, quibus rude vulgus & ſemidoctorum turbam, quæ longè maxima eſt ac ſemper fuit, inducerent.* Et de Caſuiſtis illis nominatim. *Omnium verò maximè intolerandi ſunt illi Theologiæ Moralis, Inſtitutionum Moralium, Moralis operis, Moralium præceptorum compilatores, penè omnes Ieſuitæ; quorum Societati neſcio quo fato innatum eſt, ut ex eâ quotannis iſtiuſmodi operum ſtolo aliquis luxuriet. Ipſa enim ſpecie præferunt ac denuntiant quiddam inſolens & eximium, quod à ſcholarum pulvere & triviis, à pingui Minervâ, à vulgi ſapore abhorreat. Cæterùm ſi penetralia ſcrutére, nihil habes niſi meros fucos, vulgatiſſima cantica, elementa quotidiana ſcholarum, eandem illam quæſtionum congeriem D. Thomæ commentatoribus tritam & ſolemnem, detractis duntaxat laciniis quibuſdam tenuioribus, quas magis theoreticas ſubtileſque dicunt, quamvis unius reverà indolis, & ſi minùs materiâ, formâ tamen & ſpiritu & tractatione ſimillimæ ſint. Itaque Inſtitutionum Moralium, & Decalogi nomine Summam S. Thomæ recoquunt & refingunt, inopum cauponum inſtar, quos idem opſonii genus in plura fercula diſpertiri penuriâ penuaria compellit.*

Verùm

Verùm illi etſi numero multi, tamen pauci ſunt præ multitudine aliorum Chriſtianorum, aliorum ſacerdotum, in quibus manet, & ſemper manebit incorruptus de moribus ſenſus.

Unum libet addere in eorum gratiam, qui deſertis parœciis ſuis, deſertis propriis Paſtoribus, alienos vitæ ſuæ moderatores eligunt, Nuſquam quidem non metuendum ne in cæcum ducem incurramus: nuſquam, ut ſæpe diximus, certa ſecuritas niſi in ipsâ veritate. Quarè continentibus apud Deum votis agendum eſt ut & noſtras & Rectorum noſtrorum tenebras illuminet. Sed longè tamen ab alienis illis plùs metuendum eſt, quàm à propriis Paſtoribus. Præter quam quòd enim ab alienis ferè illa pernicioſorum dogmatum prodiit colluvies, quam à Parochis profectam aut probatam non temerè reperies; etiam illud magni momenti eſt, quod qui ab alieno fallitur, longè periculoſiùs fallitur, quàm ſi ab indocto, ſed proprio tamen ſacerdote, minùs bene regeretur. Multùm enim de peccato ovis, errantem paſtorem ſequentis, detrahit ſimplicitas animi & humilis obedientia, adverſus eos quos ſibi Rectores Deus ipſe conſtituit. At qui ultro ſe in alieni Rectoris diſciplinam committit, hic ſi ab eo decipiatur, longè pernicioſiùs & inexcuſabiliùs decipitur. Quis enim illum coëgit ultro lupis ſe tradere? Quis ſuaſit ut relictâ regiâ ac ſolemni Chriſtianorum viâ ad devios tramites diverteret? Quis denique neglectis propriis fontibus impuras compulit adire ciſternas?

Neque hæc ita dico, ut ſi quis ſit præſtanti pietate Religioſus, & ab his Caſuiſtarum corruptelis palam alienus, nolim eum à Chriſtianis pietatis ſtudentibus, vitæ ex Evangelio componendæ ducem ac moderatorem adſciſci. Meminerint modò ad ſingulares illas vias ineundas ſingulares cauſas requiri, & nihilominus ipſos debitâ adverſus paſtores ſuos reverentiâ & obſequio fungi debere.

Sectio VII.

Diſſolvuntur Ieſuitarum criminationes.

Dum illam de probabilitate doctrinam latiùs perſequimur, omnes pene Jeſuitarum cavillationes ſimul depulimus; ut nihil jam aliud neceſſe ſit, niſi ſigillatim ad illorum objecta priùs ſtabilitas reſponſiones attexere.

Ajunt ergo Impoſt. 22. perperam illis vitio dari, quòd probabiles quaſdam in Theologiâ Morali opiniones eſſe cenſeant.

Errant, vel pueriliter nugantur: nunquam hoc ipſis vitio datum; ſed quòd innumera pro probabilibus habeant, quæ certiſſimè falſa ſunt: quòd probabiles opiniones licet falſas, tamen tutas ac ſecuras cenſeant: quòd dum probabiliori & tutiori minùs probabilem anteferri licere contendunt, judicium conſcientiæ ſpernere doceant; & multas alias iſtiuſmodi labes indidem nexas invehant. Quarè fruſtra pag. 96. Antoninum afferunt, aliquando inter ſe diſſentire Doctores aſſerentem. Quis enim dubitat? Sed hæc ſolemnis eorum

aſtutia eſt qui veris criminibus premuntur, ea cautè diſſimulare, alia fingere in quibus ridiculè deprælientur.

Quòd quatuor ad opinionem probabilem conditiones requirunt pag. 95. *Ne adverſetur dogmatis communiter in Eccleſia receptis: Ne abhorreat à ſenſu communi: Vt ratione probabili nitatur: Vt quibuſdam ſaltem Doctoribus probetur*; aut falluntur, aut fallunt. Non enim hæc conjuncta requirunt Caſuiſtæ, ſed disjuncta; ſcilicet vel rationem, vel autoritatem. Hinc Laimanus Theol. Mor. lib. 1. Trac. 1. c. 5. §. 2. n. 6. *Probabilis opinio, uti communiter accipitur, ita definiri poteſt: Quæ certitudinem non habens,* VEL *gravi autoritate, vel non modica ratione nititur. Autoritas gravis cenſeri debet, quæ eſt ſaltem unius viri docti & probi.*

Hinc Caramuel Theol. Fund. pag. 132. apprime percallens probabilitatis eſſentiam: *Vt una opinio ſit probabilis,* ALTERUTRA *probabilitas ſufficit; nempe* VEL *à ratione,* VEL *ab autoritate: neutram habere debet quæ improbabilis: probabilitas etiam minor excuſat coram Deo.*

Atque hæc quidem pervulgatiſſima Caſuiſtarum doctrina. Quòd ſi qui, ut Suarez, has conditiones conjungunt, leviſſimum illum fucum callidæ diſtinctionis aquâ facillimè diluunt Jeſuitæ. Concedunt enim opinionem non eſſe probabilem, ſi vel rationi, vel Scripturæ, vel Traditioni evidenter repugnet. At aliunde docent argumentum eſſe, aliquam opinionem nec Scripturæ nec Patribus nec rationi repugnare, quòd viro docto ac gravi placuerit. Quamvis igitur quis exiſtimet certis ac manifeſtis argumentis alicujus ſententiæ falſitatem oſtendi poſſe; non ideò tamen fas eſſe cenſent ut illam improbabilem judicet, modò alicui docto probetur; quia poteſt & debet ſibi perſuadere rationes ſuas, & argumenta quæ ſibi videntur invicta, ab alio ſolvi poſſe. Hoc docet Thomas Sanchez in decal. l. 1. c. 9. n. 6. Sayr. in clavi; & ex illis Eſcobarius his verbis: *Accidere aſſolet, ut tibi probabiliter opinanti ratio aliqua in contrarium convincens videatur: ſed non inde opinio probabilitatem amittit; quia licet tu illam non valeas ſolvere rationem, alius ſolvere quibit; idque tibi debes perſuadere, cùm ſæpe tibi multæ rationes inſolubiles exponantur, quæ ab aliis facili negotio ſolvuntur: quare imprudenter te gereres ſi ob hanc cauſam aliorum opiniones, quæ ut probabiles circumferuntur, ut improbabiles adjudicares.* Vides hoc pacto ad ſolam Doctorum authoritatem rem redire; nec unquam Theologo licitum fore, aliquam Caſuiſtarum ſententiam, quam ex Patribus aut Scripturis manifeſtò falſam eſſe compererit, improbabilem cenſere. Semper enim illud occurret, quod tibi videtur inſolubile, alius ſolvere poterit: quod tu cum Patribus conciliare non potes, conciliabit alius. Quare Jeſuitæ, cùm ventum ad verum eſt, conditiones illas probabilium ſententiarum nihil morantur, & abjectâ larvâ pag. 109. ſic loquuntur Apologiſtæ ſui ore: *Volo in tuto locare conſcientiam meam: illa verò in tuto eſt, ſi ſequaris viri docti & probi ſententiam.*

Venditant pag. 103. Vallii teſtimonium cum Jeſuitis, aſſerentis licere minùs probabilem & minùs tutam opinionem amplecti. At cùm ipſum alibi tanquam illius ſententiæ autorem laudant, calumniatorem

niatorem clam occidi poſſe ſi aliâ ratione compeſci non poſſit, hujus autoritatem prorſus elevant, & id unum oſtendunt, etiam viris cæteroquin non indoctis, ſi Jeſuitis amiciores extiterint, neſcio quid inde fuliginis adhæreſcere. Et certè qui Vallium legerit in eâ quæſtione verſantem, tam nutantem inveniet, tam vacillantem, tam voluntaria principia, voluntarias exceptiones ſine ratione promentem; ut facilè inde conjiciat, ipſum partim alienis opinionibus abreptum, partim proprio ingenio revocatum, in eâ quæſtione prorſus non ſibi conſtitiſſe. Gamachæus non præſto eſt, ut id videam, rectène ejus ſententia à Jeſuitis explicetur: ſed quæcunque ſit tandem, opinionem illam certis rationibus falſitatis convictam, & à bonis omnibus reprobatam, probabilem nunquam cæteris faciet non modò unius privati Doctoris, ſed centum, ſed mille Doctorum autoritas.

De Antònino quem quaſi ſibi propitium proferunt pag, 96. planiſſimè falluntur. Sentit enim ille cum antiquis Theologis probabiliorem opinionem ſemper ſequendam, ut videre eſt 1. parte t. 3. c. 10. p. 10. reg. 4. Quod ſi minus ex ipſo Antonino, certè ex Sancio ſuo diſcere Jeſuitæ debuerant. Audiant enim ejus verba: *Præcipua difficultas eſt, an cuiquam liceat in foro conſcientiæ operari juxta aliam opinionem minùs tutam, quam probabilem reputat; contra propriam tutiorem, quam ſibi probabiliorem eſſe perſuadet. Aliqui negant; quòd in dubiis tutior ſit pars eligenda; deinde quia illud eſt contra propriæ conſcientiæ dictamen operari: ita docent Gabriel, D. Antoninus.*

Quod verò S. Antoninus inter vias tutas non neceſſariò ſequendam tutiorem aſſerit, nihil ad rem pertinet: verum eſt enim id in tutis non in probabilibus, id eſt, dubiis; cùm enim dubitatur an liceat vel non liceat, nullomodò tuta eſt ea ſententia quæ id affirmat licere, cùm id ipſum ſit de quo dubitatur. Tuta & licita via idem prorſus eſt, nec tutum eſſe poteſt de quo dubitatur an ſit licitum. Valet ergo Antonini ratio in rebus tutis & certiſſimè licitis, quale conjugium ac religioſa vita; de quibus licet hæc ſit tutior, tam certum tamen eſt conjugium eſſe licitum, quàm religioſam vitam. At hoc ad ea transferre de quibus dubitatur, an licita, id eſt, tuta ſint, manifeſta eſt ſenſus communis, & Antonini ſenſus depravatio.

Nec magis contra nos facit ejuſdem Antonini conſilium, quo ſcrupuloſis benignam potiùs quàm ſeveriorem ſententiam ſequendam ſuadet. Non enim comparat minùs probabilem cum probabiliori; ſed aſperiorem cum mitiori, quæ longè diverſa ſunt. Benigna enim ſententia eadem poteſt eſſe probabilior ac verior. Prudentiſſimum eſt autem hâc in parte Antonini conſilium. Nam cùm ſcrupuloſi inanibus formidinibus in alteram partem magno ferantur impetu; rectiſſimè ad mitiorem partem, non tamen minùs probabilem revocantur, ut ſic illud exuant vitium, quod nonnunquam illo ipſo quod vitare ſtudent periculoſius eſt. At ut hoc præcipit ſcrupuloſis Antoninus: ſic è diverſo hominibus in mollitiem & indulgentiam propenſis id conſilii daret, ut aſperiorem partem potiùs eligerent cæteris paribus. Nam ut quæque indoles in hoc vel illud

extremum vitio detorquetur, contrariis inſtitutis in alteram partem reflectenda eſt. Itaque hæc prorſus aliena à propoſitâ quæſtione, tantùmque à Jeſuitis afferuntur, ut imperitiores ejuſmodi commentis paſcant & ludificentur.

Verùm de Antonino in univerſum dici poteſt, non tantam illius eſſe, ne apud Caſuiſtas quidem, autoritatem, ut ab ipſo diſſentire nefas ſit: nihil ipſis uſitatius, quàm ut ejus ſenſum aſpernentur. Itaque non bellè majorem in ipſum reverentiam à nobis exigunt, præſertim qui non ut ipſi id probabile cenſeamus, quod alicui Caſuiſtæ placuerit. Debetur quidem illi viro ſancto laus ſua; ſed illa longè à Sancti Thomæ, à Patrum laudibus abeſt. Itaque quod illum Jeſuitæ dextrum ſibi rati, inter Patres repoſuerunt, audaciùs quàm religioſiùs factum. Collocetur ſane inter primores Caſuiſtas, aliqua ipſi tribuatur autoritas; ſed quâ veritati poſſit ſuffragari, non certam labefactare veritatem.

Nota II.

De Filiutii doctrinâ, fatigatum illicito labore jejunii lege ſolventis.

Hanc Filiutii doctrinam Eſcobarii verbis expreſſam, meritâ Cenſurâ notavit Lovanienſis Facultas anno ſuperiori 1657. ad hunc modum.

Tertia Propositio.

Defeſſus ex quocunque labore licito vel illicito; v. g. cum fœminis commixtione, liberatur à lege jejunii.

Censura.

Falſa, & caſtis auribus horribilis.

At Jeſuitæ, quos jam nihil pudet, ejus patrocinium apertè audacterque ſuſcipiunt: imò ab Antonino atque aliis quibusdam, tam propudioſæ doctrinæ autoritatem petunt: ſed mendaciter ac Jeſuiticè. Ajunt enim illi tantùm in iis quæ afferuntur locis: *Si quis ſuâ culpâ ſit infirmus, durante infirmitate non teneri jejunare*. Sed aliud eſt infirmitas, id eſt, morbus; aliud defatigatio, quæ jejunium tantùm moleſtius ac difficilius reddit: quam moleſtiam quando illi ſibi flagitiis ſuis accerſiverunt, & ipſi eam impudenter recuſant, & ipſis Jeſuitæ impudentiùs adhuc detrahunt. Itane ut propterea jejunio, quod etiam innocentes ferunt, quod tota Eccleſia ſibi indicit, illi propterea ſolventur, quia propter ſcelera ſua plùs egent jejuniis? At difficiliùs quàm alii jejunant. Quid tum? Quaſi quidquam ſit juſtiùs quàm ut aſperiùs jejunent nocentiores; quaſi non illam ſibi difficultatem ipſi pepererint. Quis

Quis igitur non miretur Jeſuitarum frontem, qui in tanto flagitio deprehenſi, non modò nihil de confidentiâ ſuâ remittunt; ſed ultro etiam adverſarios accuſant, ultro eos maledictis onerant: adeò non jam in illorum ore trepidat improbitas & ſcelus; ſed exultat, triumphat, & innocentiæ minitatur. Atque hæc de ipsâ ſententiâ quam agnoſcunt, dicta ſufficient. De illâ autem laciniâ, quam queruntur avulſam de Filiutii loco, quanquam ejuſmodi querelas jam retudi, tamen quoniam hîc præcipuè vociferantur, paucis illos ſine causâ queritari docebo.

Tres circa jejunium difficultates breviter hoc loco excutit Filiutius. Prima eſt, an qui malo fine laboraret, excuſaretur à jejunio. Secunda; an qui laboraret malo fine in fraudem jejunii, peccet in apponendâ causâ fractionis jejunii. Tertia; an idem peccet non ſervando jejunium.

Tres illas quæſtiones variè diſſolvit: primam & tertiam nefariè; ſecundam commodiùs. Ait igitur laborantem ex malo fine non teneri ad jejunium: flagitiosè. 2. ait culpam eſſe in apponendâ causâ fractionis jejunii: & hoc non malè. 3. at poſitâ defatigatione etiam in fraudem jejunii, excuſari à jejunio. Rurſus ad ingenium redit.

Planum eſt diſtinctas eſſe quæſtiones; utrùm iſte peccet in apponendâ causâ fractionis jejunii, & an fatigatus lege jejunii ſolvatur. Itaque de iis variè ſentit Filiutius: illic peccari aſſerit, hîc non item.

Medium illud decretum, quo ſtatuit eum peccare qui apponit cauſam ſolvendi jejunii, omiſit Montaltius; & rectè. Cur enim bonum cum malo permiſceret? Cur referret quod non improbabat, niſi fortè quis accuſatoribus indicendum putet, ut quidquid in adverſario non improbent cum illius vitiis commemorent. Satis eſt igitur ut nihil affingat accuſator, ut nihil affinxit Montaltius. Dixit à Filiutio lege jejunii ſolvi, qui ſe ad inſequendam amicam fatigarit: verè ſentit ita Filiutius. Dixit ex eodem, jejunio pariter ſolvi qui ſe fatigavit in fraudem jejunii: & hæc quoque Filiutii ſententia eſt. Tacuit à Filiutio peccatum agnoſci in apponendâ causâ fractionis jejunii: ac ſuper hoc Filiutium non accuſavit, nec dixit ab illo nullum peccatum agnoſci in apponendâ causâ fractionis jejunii. Si hoc impoſturæ nomine dicendum, quis ſcriptor impoſturâ vacat; aut qui Sodales Jeſuitæ non ſæpiſſime in ſuorum locis referendis calumniâ damnandi ſunt? Ac ne longè abeam, hanc ipſam Filiutii doctrinam non aliter Eſcobarius quàm Montaltius commemorat; & omiſſo illo peccato in apponendâ causâ fractionis jejunii, alia tantùm decreta commemorat his verbis.

An defeſſus ex quocunque labore licito vel illicito, obligationi jejunandi ſubjaceat? In licito; v. g. pilæ defatigatione: & in illicito; v. g. cum fœminis commixtione. Aliqui aſſerunt delinquere qui prævidit tali labore reddendum inhabilem ad jejunium: alii putant abſolutè liberandum à lege jejunii; quia quo die obligat præceptum jejunii, jejunare non poteſt: quando verò laborabat licitè & illicitè, jejunii præceptum non illigabat: Quid ſi in fraudem jejunii ſe ſe nimiùm defatigaſſet? Adhuc liberatur

à docto

à docto (id eſt Filiutio ;) *ſed cum Azorio hujuſmodi laboris affectatorem, jejunii violatorem reputamus.* Vides in primis illis decretis, quæ ambo Filiutii ſunt, mentionem non fieri illius peccati quod in apponendâ causâ fractionis jejunii Filiutius agnoſcit ?

At enim, inquiunt, exclamat poſteà Montaltius : An licet ergo peccandi occaſiones conſectari ? Et ſic Filiutii doctrinam exhibet, quaſi licere aſſeruerit *cauſam apponere fractionis jejunii :* quod à veritate alienum. Verùm pueriliter argutantur. Hæc enim verba : An peccandi occaſiones conſectari licet, à Montaltio poſita ſunt, non ut Filiutio id aſcriberet, ſed ut Jeſuitam ad proferendum Baunii dogma pelliceret, cujuſmodi multa in dialogis facere neceſſe eſt : quæ qui preſſiùs urgeat, aut ſeriò reprehendat, non modò ſe injuſtum, ſed etiam ineptum inhumanumque profitetur.

Nota III.

De Baunii ſententiâ ſub mortalis peccati pœnâ Confeſſariis præcipientis, ut abſolvant pœnitentes probabilem opinionem ſecutos.

Magno ſtrepitu Jeſuiticus Apologiſta hanc Baunii ſententiam tuetur. *Quando pœnitentis opinio eſt probabilis, abſolvi à Sacerdote debet etſi ſecus opinante ; & huic negare abſolutionem culpa eſt ex genere ſuo mortalis.* In hac ſibi præclarè tutus videtur ; quia præter Baunii autoritatem, quadraginta ſex Caſuiſtarum quos profert Joannes Sancius, ſatellitio munita eſt. Ergo ex eâ de Montaltii judicio judicium fieri depoſcit. Ego verò conditionem accipio : imò ex hoc ſpecimine exiſtimari volo, quanti facienda ſit iſtorum hominum autoritas, qui in abſurdiſſimum dogma tam frequentes ierint.

Nil neceſſe commentum iſtuc pluribus hoc loco refellere ; jam enim in radice ſua penitus exciſum eſt, quæ nihil aliud eſt quàm probabilitatis doctrina ; qua omnes ſententiæ probabiles ſecuræ dicuntur, etiamſi coram Deo falſæ & erroneæ ſint. Hinc enim conſequens eſt eum qui ſecutus eſt opinionem probabilem, non peccaſſe ; adeòque abſolutionis beneficio dignum eſſe : ſed cùm jam latè docuerimus hanc doctrinam & falſam & pernicioſam eſſe, ſequitur contrà fieri poſſe, imò perſæpe fieri, ut pœnitens opinionem probabilem ſequatur, quæ tamen reverà falſa ſit : ac proinde ut peccet, & abſolutione ſit indignus, niſi reſipiſcat. Quod ſi Sacerdos veritatis cognitione inſtructior, & falſam eſſe pœnitentis perſuaſionem, illumque ad accipiendam abſolutionis gratiam minimè compoſitum eſſe cognoverit, qua tandem lege jubetur, vana & fallaci abſolutione pœnitentem illum deludere, & in terra ſolvere quem ligatum novit in cœlo ? Itane ut errantis rei judicium ſequi debeat judex non errans ? Itane ut propterea pœnitens abſolutione ſit dignus, quia præter peccati maculam habet etiam erroris contumaciam, & peccandi propoſitum cum iſto ſemper errore conjunctum ?

At enim, ajunt, non loquimur de errante conſcientia, ſed de probabili ; ea nempe quæ ſequitur opinionem probabilem. Audio ; ſed

ſed continuò quæro an iſta opinio ſit vera, vel falſa? Si vera, fateor abſolvendum; at ſi falſa, ut ſæpe fit, & id notum ſit Sacerdoti, cùm probabilis opinio falſa verus ſit error, ſic pœnitens qui illam ſequitur, non aliter tractandus quàm ſi erraret.

Nec eſt quòd urgeant Jeſuitæ; ſi probabilis opinio ſit, non poſſe falſam haberi: ſupra enim oſtendimus, quòd probabile videtur multis Caſuiſtis, meritò à bonis viris falſum & improbabile exiſtimari. Sic autem in his decretis probabiles opiniones accipiuntur. His enim verbis eas intelligunt ſententias, quibus aliqui Caſuiſtæ ſuffragantur. Itaque cùm dicunt eum qui opinionem probabilem ſecutus eſt, eſſe abſolvendum, id dicunt, eum abſolutione dignandum qui paratus animo eſt duelli conditionem accipere cum Laimani cautionibus: cui propoſitum eſt illatam alapam cum nece inimici propulſare: teſtes ac judicem perniciem ſibi molientes occidere: contractum Mohatra frequentare: adverſarii maledicta calumniis repellere; nam id cùm ipſis veniale ſit tantùm, abſolutioni non officit: poſtremò qui conſcientiam habeat ex Caſuiſtis compoſitam, & nihil eorum omittere decrevit, quæ illi licita pronuntiant. Sic affectus pœnitens ſi ad genua Sacerdotis ſe provolverit, ſtatim ac ſcelera ſua ſtrictim enuntiarit, ſine morâ abſolvendus, ſine morâ ad ſacram menſam mittendus eſt. En quid nobis præcipiant boni Caſuiſtæ, & autores Jeſuiticæ diſciplinæ.

Sed liceat hoc loco inſanientem probabiliſtarum ſapientiam telo ex intimâ probabilitate deprompto configere. Præſto eſt enim magnus probabilitatis artifex Eſcobarius, qui totam hanc quæſtionem in Theologiæ Moralis lib. 2. n. 113. 117. 120. duobus decretis diſſolvit, ad Eſcobarianam methodum fabrefactis. En primum: *Confeſſarius poteſt, & non poteſt abſolvere pœnitentem, qui contra ſententiam Confeſſarii, opinionem ſequatur probabilem, etiam deobligantem à reſtitutione. Non poſſe, ſentiunt Adrianus & Auguſtinus: poſſe, aſſerunt Vaſquez, Valentia, Salas, Reginaldus, Coninc, Ieſuitæ.*

En ſecundum: *Confeſſarius ordinarius & delegatus tenentur & non tenentur ſub mortali, abſolvere pœnitentem juxta ipſius opinionem. Non teneri aſſerunt Vaſquez, Salas, & ipſe Eſcobarius: contra teneri, Sanchez & Sanctius.*

Ex his videat Apologiſta Jeſuiticus quid efficiam. Ex novâ Caſuiſtarum Dialectica licet & non licet pœnitentem illum abſolvere: ergo certiſſimè licet non abſolvere. Peccatur & non peccatur mortaliter, de negandâ abſolutione pœnitentibus opinionem probabilem ſecutis: ergo certiſſimè eâ denegandâ non peccatur mortaliter. Concidat ergo iſtud dogma neceſſe eſt, ſive ſtet probabilitas, ſive corruat. Nam ſi valeat probabilitas, certum eſt hoc licere: ſin abjiciatur, certius adhuc id non modò licere, ſed etiam prorſus ſequendum eſſe.

Quamquam autem perniciosum ſit, generatim aſſerere dandam neceſſariò abſolutionem, probabilem opinionem ſecutis; tamen creſcit aut decreſcit illius doctrinæ virus, prout latiori aut ſtrictiori ambitu probabiles opiniones coercentur. Nam ſi quicquid Caſuiſtis probatum

probatum eſt, probabile dicatur; nil exitioſius. Rurſum ſi probabile id demum habeatur, quod tale à peritis etiam & in verâ Theologiâ, id eſt, in Traditione non ſegniter eruditis habeatur; non tamen prorſus vitio caret illa ſententia. Poteſt enim Confeſſarii mentem ſic Deus illuſtrare, ut ſpectatis omnibus circumſtantiis noxium eſſe divino lumine pernoſcat, quod boni viri & docti, ad quos hujus pœnitentis regendi cura non pertinet, innoxium probabiliter opinentur. Hoc autem caſu quis dubitet non teneri Confeſſarium pœnitentem fallere, & veritatem ſibi liquidò cognitam abjicere, ut aliorum errantem opinationem ſequatur: ergo aut illi aſſentietur pœnitens, aut jure ad alium remittetur.

Nota IV.

De Ioanne Sancio, quem Ieſuitæ tanquam eruditiſſimum morum Doctorem prædicant.

Sed enim, inquit Apologiſta, *aliter ſentit Ioannes Sancius, eruditiſſimus Theologiæ Moralis Doctor.* Quid nos igitur ad tantam autoritatem? Unum hoc modò; dignos eſſe Jeſuitas qui Sancium laudent; dignum Sancium qui à Jeſuitis laudetur. Nam ſi quis unquam de moribus perdite & nefarie ſcripſit, is certè eſt ille Sancius à Jeſuitis tantopere commendatus. Placet hîc quædam exempla ſubjicere ex quibus intelligi detur, nec ullum prorſus in illo Sancio fuiſſe Religionis ſenſum, qui tam nefanda dogmata protulerit; nec ullum in Jeſuitis pudorem ſupereſſe, qui tam profligatum hominem laudent, & quaſi optimum morum magiſtrum Chriſtianis offerant.

Audiant igitur Jeſuitæ præclara ſui Sancii decreta in practicis diſputationibus diſp. 9. n. 6. & ſeqq. apud Dianam. tractat. 7. Reſ. 55. *Si pœnitens*, inquit, *probabiliter credat Confeſſarium non impenſurum illi abſolutionem, ſi fateretur conſuetudinem peccandi; poteſt æquivocatione utendo negare conſuetudinem; ut fiat ſenſus: conſuetudine careo peccandi, non abſolutè, ſed ad confitendum tibi de præſenti. Et hoc etiam procedit, ſi credat abſolutionem ſe nacturum, cùm ad confitenda eadem peccata bis non ſit obligatus, nec ad patiendum pudorem ex conſuetudine jam notâ oriundum. Idem dicendum eſt de occaſione proximâ, inevitabili tamen ſine magno incommodò & ſcandalo. Nam in tali caſu poſſet etiam pœnitens uti æquivocatione, licet à Confeſſario de tali occaſione interrogetur. Deducitur etiam ex dictis contra Azorium, non eſſe negandam abſolutionem habenti conſuetudinem jurandi &c.*

Idem diſp. 10. n. 20. apud Dianam 5. parte, tr. 14. præter alia nefaria hoc ſtupendæ impietatis habet. *Si concubina nimis utilis eſſet ad oblectamentum concubinarii, vulgò* REGALO, *dum deficiente illâ nimis ægrè ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno afficerent concubinarium, & alia famula ad id nimis difficilè inveniretur; ejicere illam non erit Concubinarius obligandus; quia oblectamentum dictis circumſtantiis conſideratum, eſt majoris æſtimationis quàm quodcunque bonum temporale, ob quod fas erit de novo admittere fœminam ad ſui famulatum, quantùmcunque metuat labendi periculum, ſi aliam non inveniat paris qualitatis*

tatis illis in rebus quæ ſibi ſunt maximè utiles : ſi enim ob hanc cauſam jam receptam expellere non conſtringitur, eodem jure admittere illam erit conceſſum.

Idem diſp. 23. n. 30. *non eſſe conſulendum* aſſerit *iis qui ſe quocunque genere luxuriæ polluerunt, ut ab Euchariſtiâ tantiſper abſtineant ; ſed potiùs illo ipſo quo tanta ſcelera deſignarint die ; ſtatim poſt confeſſionem ad Euchariſtiam mittendos* : ex quo infert n. 40. *non eſſe validum votum non ſuſcipiendæ Euchariſtiæ die habitæ copulæ fornicariæ.*

Poſtremò cùm negaſſet pœnitentiæ loco imponi communionem poſſe, hanc doctrinam per ſe veriſſimam hâc ſceleratâ ratione confirmat ; quòd *homini nimis grave eſſet ad id aſtringi, quod obire non poſſit niſi in ſtatu gratiæ.*

En quos nobis Moralis doctrinæ autores ac Magiſtros Jeſuitæ commendent : en quos exoſculentur & probent, tam perversè de bonis maliſque ſcriptoribus, quàm de bonis maliſque ſententiis exiſtimantes. Verùm ne expectent dum ad ejuſmodi ſcriptorum teſtimonia accuratiùs reſpondeam, quicquid contra Montaltium ex illis affertur, pro eo proferri deputo. Bonum enim & rectum eſſe oportet, ut ſupra indicavi, quod tam pravis ac diſtortis ingeniis diſplicet.

Nota V.

Quo pacto Ieſuitæ, Patres in morum doctrinâ revereantur : ubi de locis Reginaldi & Cellotii.

Quod nos nimis fortè Jeſuitis morem gerentes, ipſis Cellotii ac Reginaldi verbis longiùs expreſſimus, de Patrum autoritate à Jeſuitis recentiorum autoritati in moribus poſthabitâ, id Montaltius brevitati & elegantiæ ſtudens, ſic complexus erat : *Recentiores in morum negotio Patribus anteponendos, etſi illi ſint Apoſtolis viciniores.* Hîc verò in calumniam inclamarunt Jeſuitæ, prorſuſque *hæc verba nec apud Cellotium, nec apud Reginaldum extare* fidenter aſſeverarunt Impoſt. 19. Verùm credibile eſt eos æquivocatione uti. Non extant quidem apud illos Gallica verba, quia latinè ſcripſerunt ; at ſenſum verborum Gallicorum, quem unum repræſentare debuit Montaltius, ne ipſi quidem, credo, ſi ſe audire voluerint, negabunt apud Reginaldum & Cellotium inveniri. Ecquid enim non habet Reginaldus *potiorem habendam rationem recentiorum Doctorum ?* quæ prima pars eſt propoſitionis. At qui ſunt illi qui recentioribus poſthabentur? nimirum *antiqui quorum placita viciniora ſunt Traditioni, Apoſtolicæque doctrinæ* ; quæ pars altera eſt. Nam quòd iſtis verbis : *antiquiores quorum placita viciniora ſunt Traditioni, Apoſtolicæque doctrinæ* : non Patres, ſed veteres Scholaſticos intelligendos pugnat Apologiſta p. 87. Pace illius dixerim, ineptiſſimâ ratione nititur. *Non agit*, inquit, *de Patribus*. Quare ? Quia non nominat Patres. Non agit igitur etiam de veteribus Scholaſticis ; quia voces illæ in iſtâ periodo, & omnino in totâ præfatione non extant. Hactenus igitur pares ſumus ; nec vocem illam, *Patres* ; nec illas, *veteres Scholaſticos*, uſur-

pavit Reginaldus : ſed alterutros hac periphraſi ſignificavit : *Antiquiores, quorum in definiendis circa credenda difficultatibus , majoris ſint ponderis placita, ut pote viciniora Traditioni , doctrinæque Apoſtolicæ ?* Dic obſecro, bone Apologiſta : nam judicium hic appello tuum. Utrùm tandem hâc periphraſi convenientiùs Patres , an Scholaſtici exprimantur ? Vide quid reſpondeas ; & ſibilos cave ſi ſecus quàm oportet reſponderis. Interim ſcito non tàm ineptè ſe geſſiſſe tuum Annatum. Nam in illa Reſponſione ad Theologiam Moralem quam Tholoſæ edidit , miſsa inficiatione rei perſpicuæ , pro more Societatis, Reginaldum ſic ſenſiſſe non diffitetur ; at bene ſenſiſſe contendit his verbis : *Quærunt caſus temporum Doctores temporum. Bellus erit Doctor ille criticus, ſi ex ſancti Auguſtini doctrinâ diſſolvere poſſit emergentes nodos circa Simoniam , irregularitates , interdicta ; omneſque contractus ex Gregorio Nyſſeno , ex Nazianzeni placitis componere.*

Sed apertiùs etiam ſe prodit ac Reginaldum Cellotius ; & ſtultam Apologiſtæ argutationem explodit lib. 8. cap. 16. *Reginaldus* , inquit , *aliorum potiùs ſententiam quàm ſuam ſequi gloriatur , & quidem recentiorum : Quoniam,* inquit, *quæ circa fidem emergunt difficultates, eæ ſunt à veteribus hauriendæ ; quæ verò circa mores homine Chriſtiano dignos à novitiis Scriptoribus.* Nullus hîc tergiverſandi locus : minus clarè Patres hæc Cellotii periphraſis indicat : *Veteres , unde emergentes circa fidem difficultates hauriendæ ſunt* ; quod nemo à Patribus ad Scholaſticos ſine impietate transferat.

Quanquam quid neceſſe Caſuiſtarum verbis oſtendi , quanto illis deſpectui fuerint antiqui Patres ; quàm longè potior apud ipſos recentiorum autoritas , cùm id univerſa illorum opera clament , & omnibus locis præ ſe ferant. Evolvantur Reginaldus , Sanctius, Eſcobarius , Filiutius ; vix aut nunquam veneranda Auguſtini, Chryſoſtomi, Gregorii nomina comparebunt ; quaſi nihil unquam de moribus ſcripſerint , cùm ſinguli pene verſus recentiorum nominibus lociſque perſtrepant , & in illorum autoritate leviculis rationibus ſubnixa, graviſſima quæque eorum decreta fundentur.

Unus Baunius Patribus aliquantò frequentiùs utitur ; ſed ad inanem doctrinæ oſtentationem, & non ad decreta ſua ad illorum autoritatem exigenda. Videre licet inſigne hujus pravitatis teſtimonium in fine tractatus quem *de præviâ ad Euchariſtiam compoſitione* inſtituit. Nam cùm ibi præclara quædam Patrum loca commemoraſſet de ea animi ſanctimonia, quam ad ſacrum hoc epulum veſcendum requirunt, mox in clauſulâ quicquid ex Patribus exſtruxerat , paucis verbis diſturbat p. 277. *Hæc* , inquit , *de ſolitâ majorum noſtrorum diligentiâ curâque in parando ad ſuſceptionem Euchariſtiæ animo dicta ſunt : in quo etſi ſit laudanda eorum religio , non videtur tamen imitanda neceſſariò ad fugam peccati & perceptionem gratiæ , qui eſt ſacramenti hujus effectus proprius : quia ad acquirendum augmentum gratiæ in ejus ſumptione, devotio alia aut diſpoſitio non requiritur , quàm ut recipiatur voluntariè tanquam cibus animæ , ſi ſuſcipiens adultus ſit ſuique compos. Sylves. Suarez, &c.* Sic ille duobus recentibus Caſuiſtis fretus Patrum autoritatem, & quidem ſibi non ignotam audaciſſimè contemnit.

nit. Quapropter ſimpliciter fatetur Baunius, non propterea tot à ſe Patrum loca commemorari, ut ex iis Chriſtiani mores ſuos componant; ſed tantùm ad ornatum libro ſuo conciliandum. *Quorſum ergo*, inquit, *ibid. proximè ſuperior inſtituta diſputatio, dixerit aliquis, ſi nihil eſt neceſſe afferre ea quæ continet ad Chriſti menſam? nempe ne quid omiſſum eſſet in hac epitome, quod ad dignitatem Euchariſtiæ & majorum commendationem faceret?*

Quid attinet igitur ab Apologiſtâ hîc longum pertexi catalogum eorum Jeſuitarum, qui de moribus non agentes, Patrum monumenta commentariis, aut alio lucubrationum genere illuſtrarunt? Quaſi eò minùs verum ſit quod à Montaltio dictum eſt, in morum doctrina prorſus à Jeſuitis abjectam ſanctorum Patrum autoritatem? Quaſi non etiam inde perſpici detur, fixum hoc apud illos eſſe, formandis moribus Patres idoneos non eſſe? Nam cùm illi tam ſæpe Patres in ore habeant, ubi de quæſtionibus vel curioſis, vel certè ſolam fidem attingentibus agitur, & eorumdem teſtimoniis tam raro in morum præceptis utuntur; quid aliud indicant, niſi ſe cum Cellotio ſentire, fidem è veteribus hauriendam, doctrinam morum è recentioribus? Caveant igitur cùm ſe Patrum veneratores inani jactatione venditent, eoſdemque in morum inſtitutione, in qua vel maximè ſequendi erant, aſpernentur; ne in ſe conveniat quod à Chriſto in Phariſæos, qui adverſus Prophetas ſimiliter ſe gerebant, dictum eſt: *Væ vobis qui ædificatis monumenta Prophetarum, & ornatis monumenta juſtorum.*

Cæterùm neſcit miſer ille & tardus Apologiſta, in quantum facetorum hominum riſum incurrerit, dum aggerendis hæreticorum nominibus, pravè Montaltium voluit imitari: neſcit quàm multi dum ſcedulam illam legerent, immurmurarint: O *imitatores, ſervum pecus!* Erat quidem elegantiſſimus Montaltii jocus. Non enim ipſa per ſe irridebat nomina; ſed Caſuiſtarum ſtultitiam, qui pro antiquis illis Patribus, neſcio quos homines Chriſtianis ignotos ſemper in ore habeant, & ex illorum placitis orbis Catholici mores conformant. At illa hęreticorum ac barbarorum nominum congerie, quibus nunquam utitur Montaltius, quæ longè Jeſuitis quàm ipſi notiora ſunt, nil videre memini frigidius aut ſtolidius. Sed utinam hac tantùm ratione peccarent Jeſuitæ, & ſolius demum urbanitatis, non etiam veritatis ac ſinceritatis guſtu carerent.

EPISTOLA SEXTA AD PROVINCIALEM.

Lutetiæ Pariſ. IV. *idus Apr.* 1656.

Bonus ille Jeſuita (quemadmodum ſub Epiſtolæ ſuperioris finem ſignificaram) oſtenſurum ſe promiſerat, quo pacto Doctores ſui pugnantia in ſpeciem cum placitis ſuis Scripturæ, Conciliorum, ſummorum Pontificum decreta componant: & certè promiſſo non defuit, ac multa mecum de hoc argumento diſputavit in eo colloquio, cujus ad te narrationem hæ litteræ perferent. Sic autem exorſus eſt.

Apparentis illius quæ te torquet diſcordiæ conciliandæ, prima ratio, eſt certi alicujus nominis interpretatio. Exempli gratiâ: Gregorius XIV. ſicarios, ſive *aſſaßinos* Eccleſiarum perfugio indignos, & inde per vim abſtrahendos decernit. Contrà tamen ſeniores noſtri apud Eſcobarium Tr. 6. Exam. 4. n. 27. non omnem qui per inſidias hominem interimat, hujus Bullæ ſanctione teneri contendunt. Credas tu alterum alteri contrarium eſſe: ſed hâc voce, *aſſaßinus*, expoſitâ, fit utrumque inter ſe apprimè conſentiens. Auſculta quæſo. *Num aſſaßini,* inquiunt, *rei gaudent Eccleſiæ privilegio? Non gaudent ex Conſtitutione Gregorii* XIV. *Aſſaßini autem nomine eum intelligo, qui pecuniâ aut pretio ad hominem incautum occidendum ex inſidiis conducitur. Quarè qui ſine pretio aliquem interficit, ut animo rem gratam faciat, non dicitur aſſaßinus.*

Sic etiam cùm in Evangelio legamus: *Quod ſupereſt date eleemoſynam*, tamen locupletiores quoſque erogandæ pecuniæ onere exolvunt noſtri Caſuiſtæ. Pugnare hæc videntur inter ſe; at reverà conſentire facilè probat ſic expoſita vox *ſuperflui*, ut nihil unquam divitibus ſuperfluere contingat.

tingat. Hoc egregiè præſtitit doctiſſimus Vaſqueſius de Eleem. c. 4. n. 14. *Laïci*, inquit, *poſſunt de bonis patrimonialibus ſervare ad ſtatum ſuum vel conſanguineorum mutandum, & tunc illud non dicitur ſuperfluum : unde vix in ſecularibus invenies, etiam in Regibus, ſuperfluum ſtatui.* Quamobrem rectiſſimè Diana, (noſtrorum enim autoritate plerùmque nititur) ex hoc loco colligit, etiamſi affirmativa ſententia (divitibus ſuperflui largitionem præcipiens) eſſet vera; tamen in praxi nunquam aut rariùs locum habituram. Hoc quidem, inquam, video ex doctrinâ Vaſqueſii conſectarium eſſe. Sed objiciet fortaſſe quiſpiam: Ex Vaſqueſio igitur non minùs ſecurum ad ſalutem iter ingredi qui ſuperflua non erogat; quia propter infinitam ambitionem nulla ſe ſuperflua habere deputat; quàm qui ambitione vacuus habet ſuperflua, ſed ea in pauperes ex Evangelio largitur? Hæreo, mi Pater, quid reſpondendum ſit. Reſpondendum eſt, inquit, utramque viam ſecuram, utramque Evangelio conſentaneam: alteram quidem obvio magis & aperto Evangelii ſenſui; alteram abſtruſiori, at operâ Vaſqueſii eruto.

Cernis interpretationum quanta commoditas? At ſi verba ita ſint perſpicua ut benigniorem ſenſum planè reſpuant, favorabiles περιστάσεις attendi decet, ut in ſequenti exemplo animadvertere eſt. Religioſi habitum exuentes à ſummis Pontificibus excommunicantur: quærunt tamen ſeniores noſtri apud Eſcobarium: *Quandonam Religioſus ſine excommunicatione poſſit habitum exuere?* Atque illas ſubjiciunt cauſas: *Si ut melius currat, & ſaltet; vel ſi ad turpem cauſam, v. g. ut furetur occultè, vel fornicetur, eum dimittat, mox reaſſumpturus.* Et certe, inquit, has cauſas non attingunt Pontificiæ Bullæ. Ego verò vix ſatis auribus meis credens, hæc mihi in ipſo libro oſtendi volui. At iſta ad verbum ille monſtravit Tr. 6. Ex. 7. n. 103. cap. 7. cui titulus: *Praxis ex Societatis Ieſu doctoribus.* Et inprimis hæc verba; *Si habitum dimittat ut furetur occultè, vel fornicetur.*

cetur. Idem etiam apud Dianam oſtenſum eſt his verbis: *ut eat incognitus ad lupanar*.

Sed quamobrem, inquam, mi Pater, propter has cauſas Religioſos excommunicatione liberaverunt veſtri Doctores? Eja, inquit, an non percipis quàm turpe fuerit in hujuſmodi locis aliquem cum Religiosâ veſte deprehendi?

Quid Bullæ, *Contra ſollicitantes?* Neſcis quomodò reſponſum ſit; aut quo pacto Bullam Pii v. *Contra Clericos*, Viginti quatuor ſeniores noſtri interpretentur, eo capite cui titulus idem qui ſuperiori; nimirum: *Praxis ex Societatis Ieſu Doctoribus*? Ego autem iſtorum, mi Pater, nihil omnino novi. Parum igitur Eſcobario uteris. Quî poſſem, inquit, qui illum heri tantùm emerim, diu quæſitum? Quid enim acciderit neſcio; at jam hunc librum omnes requirunt. Quæ dicebam, inquit, invenies Tr. I. Ex. 8. n. 102. Hæc tu privatim conſulas velim, pulcherrimum benignæ Pontificiorum decretorum interpretationis exemplum offendes. Equidem illo ipſo die parui, & quem indicarat locum adii; ſed referre non auſim, ita teter & horrendus eſt.

Ille autem pergens: Vides, reor, favorabilibus circumſtantiis quâ ſit ratione utendum: at nonnunquam ita præciſis decreta verbis expreſſa ſunt, ut illud quod apparet diſſidium, prorſus nequeat iſtâ viâ coaleſcere. Hîc tu jam nos in manifeſtâ cùm ſummis Pontificibus diſſenſione teneri exiſtimes; errabis tamen ſi ita ſentias. Exemplum afferam. Religioſos qui quadrageſimalibus cibis in perpetuum veſcendis peculiari voto ſe obſtrinxerunt, nec ſi ad Epiſcopatum evecti ſint, hoc voto ſolutos tres ſummi Pontifices decernunt, eoſdem tamen hâc lege; quicquid demum ſtatuant Pontifices, liberat Diana. Sed hoc, inquam, quo pacto cum illorum Pontificum ſententiâ conciliat? Ille verò, inquit, recentium illarum circa mores ſubtilitatum callidiſſimam adhibet, ex intimo probabilitatis artificio repetitam; hanc ego paucis expediam. In pleriſque ſenten-

ſententiis, ut docent noſtri, parti tam ajenti quàm neganti ſua ſeparatim probabilitas conſtat; adeòque quam quiſque vult, ſequi tutâ conſcientiâ poteſt, non quò utraque pars eſſe poſſit eodem ſenſu vera; ſed quia poteſt ſimul eſſe probabilis, & ideò ſimul tuta, ſimul ſecura. His effatis nitens ſummus noſter Diana p. 5. tr. 13. Reſ. 39. *Ad autoritatem, ait, ſummorum Pontificum dicendum eſt, ita reſpondiſſe illos adhærendo opinioni affirmativæ, quam nos, ut diximus, probabilem etiam exiſtimamus; ſed non exinde ſequitur negativam ſententiam carere probabilitate.* Item eodem Tract. Reſ. 65. ſuper aliâ re in quâ item à ſummi Pontificis ſententiâ diſſidet; *Dixerit hoc,* inquit, *ſummus Pontifex tanquam caput Eccleſiæ, volo*; *at dixit tamen in ſphæra duntaxat probabilitatis ſententiæ ſuæ.* Vides his reſponſis ſummorum Pontificum autoritatem nullatenus infringi? Nunquam enim id Romæ faceret Diana, magnâ illic gratiâ pollens: atque, audin, ſummorum Pontificum decretis probabilitatem non abjudicat; at ſuam illis probabilitatis ſphæram in quâ ſe jactent integram relinquens, contrariæ quoque ſententiæ ſuum tribuit probabilitatis orbem. Verecundè, inquam, & religiosè. Ille autem: Subtilior, inquit, omnino iſta reſpondendi ratio, eâ quam Baunius noſter tunc uſurpavit, cùm libri ipſius Romæ damnati ſunt. Urgebat hanc Cenſuram acrius & invidioſiùs Hallerius, quem repellens Baunius incautiùs, erupit in has voces: *Quid cenſuræ Romanæ cum Gallica?*

Cernis igitur vel vocibus interpretandis, vel ſpectandis circumſtantiis, vel duplici probabilitatis ſphærâ in utramque partem, facilè in concordiam redigi diſcordes illas ſententias, nec uſquam vel leviter aut Scripturas, aut Concilia, aut Pontificum decreta à noſtris violari.

Tum ego: Fortunatum, mi Pater, vobis magiſtris orbem! O ſummas probabilitatum veſtrarum utilitates! Neſciebam quorſum tantopere de his decretis probè ſtabiliendis laboraretis; unius gravis Doctoris autoritatem

ad ſententiam ſuam probabilitate donandam, ſatis eſſe: affirmantis partis probabilitati nihil negantis probabilitate detrahi: tametſi alteram partem falſam quis exiſtimet, liberum tamen ac promiſcuum ejus quæ magis arriſerit partis delectum ipſi permiſſum; idque tam ſine ullo peccandi periculo, ut ſi quis ipſi Confeſſarius, horum Caſuiſtarum ſententiæ non credens, abſolutionem deneget, is ſe lethalis criminis reum ſtatuat. Hinc colligo ab uno Caſuiſtâ nova pro arbitrio morum præcepta condi, ac totam Eccleſiæ diſciplinam inverti poſſe. Ille verò: Hæc quæ dicis, inquit, certo temperamento condienda ſunt; quamobrem diligenter quæſo attende quæ dicam. Totum enim probabilis opinionis progreſſum & incrementum ab ortu ad maturitatem uſque deſcribam.

Hanc primùm gravis ille Doctor ipſius parens in lucem edit, & quaſi ſemen aliquod actis in altum radicibus confirmandum in libros conjicit. Hæc initio debilis & imbecilla, tempore convaleſcit. Hinc Diana magnus talium opinionum ſator alicubi dicit: *Hanc opinionem propono; ſed quia nova eſt, relinquo tempori maturandam.* Sic illæ non longo tempore adoleſcunt; & poſt aliquod ſpatium ex tacitâ Eccleſiæ approbatione autoritatem accipiunt. Nam illud Baunii noſtri decretum Tract. 6. p. 312. latiſſimè patet; *Quod Doctores docent libris impreſſis, velle cenſetur Eccleſia, ſi non reclamet, ut deberet.* Atque hinc quandam ibi opinionem confirmat. Hîc ego: Itane tandem, mi Pater, ut Eccleſia quaſcumque tolerat corruptelas, quoſcunque in libris editis non damnat errores, eos probare dicenda ſit? Quàm voles, inquit, cum Baunio certa; mecum tantùm ejus placita referente cur litigas? De facto nunquam lis movenda eſt. Ad rem redeamus. Nimirum ibi eramus, poſtquam alicui opinioni temporis maturitas acceſſit, tunc illam plenè & cumulatè probabilem fieri. Hinc doctiſſimus Caramuel in eâ Epiſtolâ quâ Theologiam ſuam fundamentalem Dianæ nuncupat, ſic ipſi novarum opinionum procreationem

nem gratulatur: *Ingenium Dianæ, viri quidem doctiſſimi veneror: ejus induſtriâ multas opiniones evaſiſſe probabiles, quæ anteà non erant; invidus ſit qui non affirmet: ſi jam ſunt probabiles quæ anteà non erant, jam non peccant qui eas ſequuntur, licet ante peccaverint.*

Incredibile eſt, mi Pater, ex Doctorum veſtrorum familiaritate quàm magnæ commoditates capi poſſint: vel illa quanta eſt, ſi duo idem faciant, quorum unus norit decreta veſtra, alter ignoret: non peccabit doctus, peccabit ignarus. Non igitur illa ſolùm homines ſcientiâ augent, ſed etiam innocentiâ donant, ipsâ divinâ lege feliciora. Hæc enim, Paulo teſte, omnes ſub peccato concluſit; illa omnes ferè peccatis liberant. Ergo ut his præceptis non perfunctoriè me imbuas, te, mi Pater, etiam atque etiam rogo, nunquam hodie à me abibis, quin priùs præcipua Doctorum veſtrorum inventa tradideris.

Tum ille: Utinam, inquit, nuda demum Evangelii præcepta, nullâ mitigatione temperata fidelibus proponere licuiſſet, nobis non eſſet quidquam optatius. Noſtrorum enim morum ſeveritas & compoſitio prudenti potiùs indulgentiâ, quàm voluntate ac propoſito, molliorem in aliis diſciplinam à nobis tolerari ſatis indicat: omninò id extorquet dura ac certa neceſſitas; tanta hodie eſt morum depravatio atque perverſio! Nolunt prorſus homines ad nos accedere, accedendum igitur ad ipſos; alioquin planè nos deſerent, in pejus ruent, totos ſe vitiis tradent. Hâc causâ permoti Doctores noſtri attentè ſpectarunt in quod vitium quæque vitæ conditio proclivis eſſet: deinde ſalvâ tamen veritate, morum præcepta quàm potuere mitiſſima condiderunt, ut valde difficilis ac moroſus ſit qui mitiora deſideret. Hoc enim Societati noſtræ unicè propoſitum fuit, ut ne quenquam à ſe alienaret, neve ullum ſuæ ſalutis deſperatio propter divinæ legis difficultatem tentare poſſit. Varia igitur decreta paravit, ſingulorum uſui accommodata. Sunt enim ſua beneficiariis, ſua ſacerdotibus, ſua

monachis, ſua nobilibus, ſua famulis, ſua denique divitibus, negotiatoribus, egentibus, fœminis pietatem colentibus, aut contrà: ſua conjugatis, ſua flagitioſis; poſtremò omnibus: providæ noſtrorum curæ nullus elapſus eſt. Tum ego: Id eſt, ut brevi, inquam, omnia complectar, apud vos ſua clero, ſua nobilitati, ſua populo ſublevando præcepta ſunt. Perge igitur; nam ad te audiendum animum arreximus.

Primi veniant beneficiarii, inquit ille. Noſti quale nunc ſacerdotiorum commercium, ne dicam nundinatio, exerceatur; & quàm multi nunc in Eccleſiâ, ſi antiquorum ac ſancti Thomæ decretis ſtandum eſſet, ſimoniacæ hæreſeos damnandi forent? Quamobrem apprimè neceſſarium fuit, priſcam illam ſeveritatem à Societate noſtrâ prudenter temperari; quod ſedulò ex iſtis Valentiæ (qui unus eſt de quatuor Eſcobarii animalibus) facilè diſces. *Dupliciter*, inquit T. 3. d. 6. q. 16. p. 3. p. 2042. *poteſt quis conferre ſpirituale propter temporale principaliter, & tanquam propter finem. Vno modo, ſi temporale æſtimet pluris, quàm ipſum ſpirituale; & tunc omnino committit talis ſimoniam. Altero modo poteſt quis conferre ſpirituale propter temporale principaliter, tanquam propter finem, ita ut temporale apud eum non ſit finis ipſius rei ſpiritualis. Quaſi temporale pluris ab eo, quàm ſpirituale æſtimetur: ſed tantummodò voluntatis ſive applicationis animi ad actum conferendi ſpirituale: & hoc non eſt ſimonia.* Et infra. *Cùm petitur temporale pro ſpirituali non tanquam pretium debitum ex juſtitiâ, ſed tanquam finis applicationis animi ad conferendum ſpirituale, minimè erit ſimonia, etiamſi principaliter intendatur & expectetur.*

Tannerus ex noſtrâ itidem Societate, Valentiæ ſubſcribit, quamvis fateatur ſanctum Thomam huic adverſari ſententiæ, quòd abſolutè doceat *ſpirituale pro temporali dari ſine ſimoniâ non poſſe, cùm propter temporale datur.* Hâc viâ innumeris ſimoniis occurrimus. Quis enim tam perditus, qui cùm pro beneficio pecuniam offert, non malit ipſam

potiùs

potiùs tanquam conferendi beneficii invitamentum & illicem offerre, quàm tanquam ſpiritualis rei pretium? Nemo certè ſic à Deo deſertus eſt, ut hoc recuſet. Hîc ego: Certè, mi Pater, ad vitandam hâc methodo ſimoniam nulli non adeſt ſufficiens gratia. Planiſſimè, inquit; ſic nos quidem beneficiarios levavimus.

Multas etiam in Presbyterorum gratiam favorabiles ac benignas ſententias habemus: vel hæc quàm commoda viginti quatuor ſeniorum apud Eſcob. Tr. 1. Exam. 11 num. 96. *Poteſtne ſacerdos dum accepto ſtipendio pro altero celebrat, partem ſacrificii ſibi convenientem alteri applicare, & pro eâ ſtipendium accipere? Poſſe ſentit Filiutius, dum non tanquam pro integro ſacrificio, ſed pro parte, ut pro unâ tertiâ accipiat.* Enimverò, inquam, mi Pater, iſtud decretum ex illis eſſe exiſtimo, quæ vel aſſerere vel negare peræquè probabiliter poſſis. Nam illud quod affers Eſcobarii & Filiutii autoritate munitum, ſuam procul dubio probabilitatem habet: ſed ſi quis illud intra ſuæ probabilitatis ſphæram relinquat, poterit tamen, credo, contrariæ ſententiæ non improbabiliter aſſentiri, & his inſuper firmare rationibus. Cùm ſinit Eccleſia ut egeni ſacerdotes pro ſacrificiis ſuis certa ſtipendia accipiant, quia juſtum eſt altari miniſtrantem de altari vivere, non idcirco ſinit ut pro pecuniâ ipſum ſacrificium commutent, ac multò minùs ut ſe ipſi divinis illis muneribus ſpolient, quæ ipſos vel præcipue ex ſacrificio percipere convenit. Adderem ex Apoſtolo, ſacerdotibus eſſe præceptum ut ſacrificium offerant primùm pro ſe, deinde pro populo; hinc poſſe quidem alios ad ſacrificii fructum aggregari, ipſum ſacerdotem ab hoc fructu propriâ voluntate excludi, ac totum illum alteri pro tertiâ ſtipendii parte, id eſt, pro tribus aut quatuor aſſibus concedi nefas eſſe. Profectò, mi Pater, ſi paululum modò mihi gravitatis ineſſet, huic meæ ſententiæ probabilitatem adjungerem. Nil negotii eſſet, inquit; eſt enim verè probabilis: at in oppoſitâ probabilitatem invenire arduum erat & opero-

operoſum; & ideò nonniſi excellentibus ingeniis conceſſum.

Noſter Baunius in hoc genere mirificus eſt. Quàm juvat enim videre magnum illum Caſuiſtam, cùm in eâdem quæſtione modò hoc, modò illud aſſerat, nuſquam probabili ratione carentem. Dicit v. gr. Tr. 10. p. 474. *Nulla lex aut canon Parochos obligat ad quotidie ſacrificandum, imò nec poſſe talem dari ſcripſit cum aliis Poſſevinus; eò quòd haberet lex hujuſmodi peccati mortalis periculum, cui obligatum ad ſacrificandum quotidie haud dubiè objiceret, cùm difficile ſit & arduum, inter æſtus ſæculi undaſque fluctuantem, aliquando non hærere in vitiorum turpi ſalo.* Idem habet in eodem Tr. p. 441. Hujus periculi metum demit, & rationem docet, quâ poſſint ſacerdotes etiamſi peccata mortalia ſubinde deſignent, quotidie tamen ſacrificare, ac proinde accepto pretio quotidie ſacrificandi obligationem ſuſcipere. *Quia*, inquit, *ſacerdoti jus eſt omni tempore contritionis exercendæ liberum, poteſtas quolibet momento temporis redeundi per amorem peccatique odium ad Deum: quo ſi officio non fungitur, imputet ipſe ſibi vitium hoc.* Atque ut eas removeat difficultates quibus maximè poſſent à celebrando quotidie ſacrificio retrahi, ſic loquitur p. 457. *Si poſt habitam eo die copulam carnalem cum fœminâ, aut pollutionem voluntariam ſacerdos ſit confeſſus, eine liberum erit ſine culpa veniali rei divinæ incumbere? Negat Villalobos &c. Diſſentit Sancius, cujus mihi opinio & tuta & ſequenda videtur in praxi.*

Hoc loco non me continui, ſed commotiùs. Ain tandem, mi Pater, hanc opinionem in praxi ſequendam? Itane ſponſore Baunio tanto contaminatus piaculo ſacerdos ad tremendum altare ſe ſiſtet? Quantò religioſiùs antiquis Eccleſiæ canonibus obtemperaret, qui ſacerdotes iſtiuſmodi flagitiis pollutos, ſacrificandi munere in perpetuum vel ad longum certè tempus arcebant, quos à ſcelere recentes eòdem nupera ſcriptorum veſtrorum dogmata propellunt? Quam tu fluxâ, inquit ille, aut nullâ potiùs memoriâ

moriâ es! parumne te heri ex Cellotio & Reginaldo docui, in morum præceptis Patres novis ſcriptoribus eſſe poſthabendos? Memineram probè, inquam: at non ſoli hoc Patres præcipiunt, ſed etiam Eccleſiæ leges. Eſt ut dicis, inquit: ſed ad hoc propulſandum in promptu habenda eſt illa Filiutii noſtri ſententia, T. 2. Tr. 25. n. 33. *Eccleſiæ leges vim obligandi amittere, cùm jam deſuetudine abierunt.* Quid præſens Eccleſiæ poſcat utilitas, nos certè multò meliùs quàm antiqui videmus. Si tam diſtrictè ab altaribus removerentur ſacerdotes, facilè intelligis hinc Miſſarum numerum valde imminutum iri. Atqui ex iſtâ Miſſarum multitudine tantum honoris in Deum, tantum in homines fructus redundat, ut cum Cellotio noſtro de Hierarchia l. 7. c. 11. par. 1. *audacter dixerim, non nimis multos fore ſacerdotes, ſi omnes quotquot uſpiam ſunt homines, ſi mulieres ipſæ, ſi brutæ animantes, ſi corpora vitâ carentia in ſacerdotes mutari poſſent.*

Sic me perculit tanta hujus commenti abſurditas, ut ne verbum quidem proloqui potuerim. Itaque ille ſic ſermonem proſecutus eſt. Satis multa de Presbyteris, nimius enim forem ſi ſingula perſequi liberet, nunc accipe pauca de Monachis. Nil in totâ illorum vitâ difficilius, quàm promiſſam Præpoſitis obedientiam præſtare. Audi igitur quomodò jugum illud noſtri Doctores relevarint. Autor beneficii illius Caſtrus Palaus ex Societate noſtrâ, qui ſic de obedientiâ loquitur Oper. mor. part. 1. diſ. 2. p. 6. *Non eſt controverſia, quando daretur opinio probabilis ex parte ſubditi, quòd non teneatur obedire, etiamſi contraria ſententia ſit probabilior. Tunc enim licitum eſt ex ſupradictis amplecti quæ ſibi gratior fuerit: ita notavit in præſenti Thomas Sanchez l. 6. in decal. c. 3. n. 7. Neque obſtat ſuperiorem tunc juſtè præcipere ut tu tenearis obedire; quia non undequaque juſtè præcipit, ſed probabiliter; ac proinde tu* PROBABILITER *ſolùm* OBLIGATUS *eris obedire, &* PROBABILITER DEOBLIGATUS.

Certè,

Certè, inquam, mi Pater, ſatis dignum huic ancipiti probabilitati precium ſtatui nequit. Magnas, inquit, utilitates habet; ſed iſta paucis abſolvamus, & tantùm hunc celeberrimi illius Socii noſtri Molinæ locum auſculta, in eorum Religioſorum gratiam qui propter flagitia ſuis monaſteriis expulſi ſunt. Refertur autem ab Eſcobario Tr. 6. Exam. 7. n. 111. his verbis: *Expulſus à Religione non tenetur ſe emendare, ut ad illam redeat; neque obligatur voto obedientiæ.*

Eccleſiaſticis quidem, ut video, belliſſimè ſe res habent, ita molliter & indulgenter à veſtris habiti ſunt. Nec mirum, ſibi pariter illi ſerviebant: at vereor ut cæterorum commodis tam ſedulò providerint: ſibi quemque conſulere oportebat. Enimverò, inquit, non diligentiùs ipſi ſibi conſuluiſſent: omnibus noſtri pari benignitate inſervierunt, & ſummis & infimis; atque adeò in exemplum noſtra pro famulis decreta ſubjiciam. Advertimus quantis premerentur anguſtiis famuli religioſiores, cùm profligatis dominis ſerviunt: nam ſi omnibus illorum mandatis non obtemperant, ſperatis è ſervitio commodis excidunt; ſin autem obſequuntur, graves experiuntur conſcientiæ morſus. His ergo juvandis multa nominatim ſervorum officia noſtri Doctores recenſuere, quæ dominis præſtare tutâ conſcientiâ poſſent. *Indicabo*, inquit Eſcobarius Tr. 7. Ex. 4. n. 23. *quæ actiones communiter à famulis aſſumptæ indifferentes ſint: parare equum quo profecturus dominus ad Amaſiæ domum: eum inibi commorantem foris cuſtodire: Amaſiæ menſam apponere: cibos præparare: ad domum reducere: epiſtolas deferre de quarum turpitudine gravi non moraliter conſtat, licet affectu ſint exaratæ: dona ferre: ac referre: oſtia aut feneſtram aperire: domum Amaſiæ oſtendere: domino auxilium præſtare ut aſcendat: ſcalam tenere: porro ut licitè famulus teneat ſcalam, opus eſt ut ſolitò graviùs damnum timeat; quia aſcenſus per ſcalam in domum, injuria eſt domus domino inuſta.* Viden' quàm iſta ſint prudenter conſtituta? Tum ego: Quid

Quid minùs ex eo libro expectares, qui è viginti quatuor Jeſuitis excerptus ſit?

Solertiùs etiam, inquit, Baunius noſter famulos inſtituit, ut ſine peccato ejuſmodi officiis fungantur. Docet enim avertendam illis voluntatem ab iis ſpurcitiis quarum adminiſtri ſunt, & in ſolo emolumento figendam. Hoc tu pulcherrimè explanatum reperias in *Summa* editione primâ p. 710. *Famuli comitantes dominum noctu vel die ad domum concubinæ, qui ſine eorum ſocietate illò non iret; vel ferunt internuntia, vel litteras, vel referunt hinc inde horam ad peccandum, vel faciunt excubias vel cuſtodiam, dum ſimul cum concubinâ vel alterâ committit peccatum; abſolvi non poſſunt ſi conſentiant in peccatum dominorum: ſecus verò, ſi id fieret propter temporalem commoditatem.* Nil facilius autem: nam cur obſtinatè vellent illis conſentire peccatis, ex quibus ſola demum moleſtia ad illos redit?

Porro idem Baunius maximi momenti ſententiam habet in eorum gratiam qui conſtitutâ ſibi mercede contenti non ſunt. Extat locus in Summâ p. 213. & 214. editionis ſextæ. *Famuli*, inquit, *qui de ſtipendiis ſuis queruntur, poſſuntne ea augere, tantùm ex bonis domini ſibi clam corradentes, quantùm ſufficit ut ſuis laboribus merces reſpondeat? Poſſunt omnino aliquando id licitè facere; veluti ſi tam inopes operam ſuam domino locarunt, ut quodvis pretium ab eo accipere coacti ſint: deinde ſi vulgò ob ſimilia officia famuli majori mercede conducantur.*

Hem, inquam, ipſiſſimus Joannis Albani locus. Quem tu malum, inquit, Joannem Albanum narras; aut quid vis tibi? Itane, inquam, mi Pater, exciderunt tibi quæ anno 1647. Pariſiis contigerunt? Ubinam igitur eras? In quodam, inquit, Societatis noſtræ gymnaſio, ſat longè à Pariſiis diſſito, ubi caſus conſcientiæ prælegebam. Tum ego: Quandòquidem, inquam, lepidam illam hiſtoriam ignoras, non abs re erit illam à me obiter hîc referri; nuper enim affui cùm à viro honorato narraretur ad hunc modum.

Hic Joannes aliquandiu in Collegio veſtro Claromontano viâ Jacobeâ Correctoris munere functus eſt: at cùm minori quàm par eſſet mercede ſe conductum crederet, neſcio quid ad damnum illud ſarciendum convaſavit. Deprehenſus, furti domeſtici poſtulatur, & Jeſuitarum operâ in carcerem compingitur. Refertur res in prætoriâ Curiâ ſexto, ſi bene memini, Aprilis die anni 1647. Nam ille hæc minutiora commemorabat, ut rei cæteroquin incredibili fidem adſtrueret. Interrogatus ille ſceleſtus, neſcio quas ſtanneas patinas ablatas à ſe confeſſus eſt, compilatas negavit. Mox ut ſe purgaret, Judicibus hanc de quâ modò loquebamur, Baunii doctrinam expoſuit, ſimulque unius è Sociis veſtris, quo doctore caſus conſcientiæ didicerat, ſcripta protulit, in quibus eadem tradebatur. At ſcin quæ fuerit de iſtâ Albani purgatione Domini de Monterubeo, inter hujus Curiæ Senatores ſpectatiſſimi, ſententia? *Non existimo*, inquit, *ideò hunc reum abſolvendum, quòd iſtam Jeſuitarum doctrinam illicitam, pernicioſam, divinæ, naturali, humanæ legi contrariam, omnibus familiis peſtiferam, fovendis domeſticis furtis accommodatam, ſecutus ſit: at illum nimis fidelem diſcipulum publicè virgis à carnifice, cædendum cenſeo, ante ipſam Collegii Jeſuitarum januam, ſimulque manu carnificis libros illos Jeſuitarum de furto agentes, palam cremandos, nominatimque ipſis propoſitâ capitali pœnâ interdicendum, ne tali unquam doctrinâ quenquam imbuant.* Quid iſtâ ſententiâ multis probatâ futurum eſſet, expectabatur: ſed cujusdam caſus interventu judicium in alium diem rejectum eſt. Interim neſcio quomodò lis evanuit: ipſe Joannes carcere ſolutus eſt; nec ſtanneas lances, quod mirere, reſtituit. Addebat etiam adhuc extare Domini de Monte-rubeo ſententiam in prætorii ſcrinii tabulis; ibique ab omnibus inſpici poſſe. Nos multùm affecit iſta narratio.

Tum Pater: Quorſum, inquit, iſtas nugas, quibus tempus teris ac nos detines? Noſtrorum Doctorum decreta referebam, ipſorum pro nobilibus conſulta jam jam explana-

explanaturus, tu nobis intempeſtivas narrationes oggeris. Obiter tantùm, inquam, iſta; ut commonerem modò rem graviſſimam à vobis in ſtabiliendâ probabilitatis doctrinâ præteritam. Ille autem: Quid iſtuc, quæſo; aut quid tandem à tantis ingeniis potuit præteriri? Hoc illud eſt, inquam: Probabilium quidem opinionum beneficio veſtri ſequaces prorſus à conſcientiâ ac Deo ſecuri ſunt: inde enim ſecurus eſt ex vobis, qui gravi Doctori adhæreſcit. Iiſdem à Confeſſariis nihil metuendum: ſacerdotes enim qui talibus abſolutionem negarent, lethalis ſceleris damnaviſtis. At illos prorſus non ſatis à judicibus tutos præſtitiſſe videmini. Nam dum probabilitatem veſtram ſequuntur, ſæpe virgas aut patibula non effugiunt. Capitale hoc mihi videtur vitium eſſe. Rectè admones, inquit, & gratum eſt: ſed hoc inde eſt, quòd non tantùm apud judices, quantùm apud Confeſſarios poſſumus: nam horum quidem ſupremum arbitrium penes nos eſt. Teneo, inquam; ſed tamen iidem eſtis & Confeſſariorum judices, & judicum confeſſarii. Latiſſimè patet veſtra poteſtas: quin vos igitur judicibus qui probabilem ſententiam ſecutos non abſolverint, ſacramentorum uſu interdicit, ne in probabilitatis contemptum tantum hoc ſcandalum contingat, ut quos innocentes ſpeculativè probabilitas facit, eos judex practicè virgâ aut patibulo mulctet? Hoc ni fiat, quis ſe in veſtram diſciplinam velit tradere?

Nos, inquit, iſta viderimus; digna ſunt enim quæ curentur: rem totam ad noſtrum Provincialem deferam. Meliùs tamen hoc monitum, qualecumque eſt, in aliud tempus diſtuliſſes, nec ea quæ de Nobilibus diſputaturus eram interturbaſſes, quæ tu hâc lege tantùm à me audies ut ne quam hîc rurſus narrationem interſeras. Tu verò, amice, non plura hodie à nobis habebis; neque enim tam multa una Epiſtola capit, quàm multa uno congreſſu ex noſtro Jeſuitâ didicimus. Interim Vale.

IN SEXTAM EPISTOLAM
NOTA PRIMA.

Inepta Ieſuitarum ſuper Aſſaſſini nomine reprehenſio.

Magnam in ſicariorum negotio ſcientiam oſtentat Apologiſta Jeſuiticus, & grave crimen Montaltio intendit, quòd ſicariorum ſive *aſſaſſinorum* nomine eos omnes comprehenderit, qui per inſidias ac proditionem aliquem interfecerint. Poteram ineptam hanc cavillationem omittere, & laudem hanc Jeſuitis concedere, quam tantopere peteſſunt, niſi Montaltii fidem in omnibus præſtare decreviſſem. Videamus igitur quid narret Apologiſta.

Negat primùm apud Eſcobarium extare illa verba: *Non omnem qui per proditionem hominem interimat, Gregorianæ Bullæ ſanctione teneri.* Imperitum hominem qui non intellexerit, hîc non verba, ſed ſummam Eſcobariani decreti referri, quod totum duabus pòſt lineis ipſis Eſcobarii refertur verbis. At malè retulit Eſcobarii locum. Nam hæc illius verba: *Qui ſine pretio aliquem* (incautum videlicet; loquitur enim de hoc caſu) *interficit, ut amico rem gratam faciat, non dicitur aſſaſſinus*: ſic accepit, quaſi dixiſſet Eſcobarius: *Non omnis qui per proditionem interficit, dicitur aſſaſſinus*: In quo totum Montaltii peccatum eſt, quòd crediderit eundem eſſe iſtorum verborum ſenſum. Verùm cur non crederet, qui nondum hoc loco de Jeſuitâ audierat, quid ſit ex Caſuiſtis hominem *per proditionem* interfici: didicit enim tantùm in hujus diſputationis ſerie, quæ refertur Litterâ 7. Ergo hîc proditionis & aſſaſſini vulgarem ſenſum potuit retinere; illa verba, *aſſaſſinatum facere*, ac *per proditionem occidere*, promiſcuè tanquam idem ſignificantia uſurpare: ſic enim vulgò uſurpantur.

At ſaltem, inquit, male mentem Eſcobarii interpretatur, cùm ex ipſo dicit, *non omnem qui per proditionem hominem interficeret, Bullæ ſanctione teneri*, quamvis contrarium ſtatuat Eſcobarius n. 26. Ita eſt, hoc dicit Eſcobarius; ſed Caſuiſtarum linguâ dicit, non noſtrâ vulgari. Subjicit ſanctioni Bullæ proditores, eximit eos qui per inſidias aut à tergo percutiant: ſubjicit aſſaſſinos, eripit, qui ſine pretio homines incautos necant. At hi vulgari linguâ dicuntur *proditores*: ideò rectè dicit Montaltius, qui linguâ vulgari loquitur, *proditores* ab Eſcobario Gregorianæ Bullæ callida interpretatione ſubductos.

Pergit Jeſuita, & bene Eſcobarium Gregorii mentem accepiſſe contendit, & Gregoriana Bulla, quæ *immunitate Eccleſiarum gaudere non vult aſſaſſinos, & qui per proditionem interficiunt*, non involvi qui ſine pretio incautos homines interficiunt. Autorem affert hujus ſententiæ Bonacinam in interpretanda voce *aſſaſſini* Eſcobarianæ ineptiæ ſocium. Non libet exquirere quid Bonacina ſentiat, nullius autoritatis homo, ne quid gravius dicam. Illud dico ex ejuſmodi

hominum

hominum cavillis Conſtitutiones Pontificias & explicari non debere. Planum eſt autem ſummum Pontificem hâc in parte idem ſancire voluiſſe, quod in lege Moſaïca ſanxerat Deus his verbis Exod. 21. 14. *Si quis per induſtriam occiderit proximum ſuum, & per inſidias: ab altari meo evelles eum, ut moriatur.* Atqui certum, hâc lege non eos modò comprehendi qui accepto pretio interficiunt; ſed eos omnes qui deditâ operâ hominem obtruncant. Sic Joab ob Amaſam & Abner dolo interemptos juſſu Salomonis in ipſo templo interfectus eſt. Huc quanto veriſimiliùs ſummum Pontificem reſpexiſſe, quàm ad frigidam quorundam Leguleiorum in interpretandâ voce *aſſaſſini* argutationem, ad infringendam legum vim excogitatam: quæ ſi apud iſtos probatur, abhorret certè à ſenſu vulgi & ſermone communi, quem ſequutus Menagius, ſic vocem iſtam explicavit in originibus Gallicis: *In Gallia & in Italia,* inquit, *aſſaſſini dicuntur, qui homicidia perpetrant nulla perturbatione commoti.* Ubi vides iſtius pretii nullam omnino fieri mentionem.

Nota II.

De Filiutii Decreto,

ECCLESIÆ LEGES DESUETUDINE ABROGARI.

Quàm pernicioſè illo abutantur Ieſuitæ, & ipſe Filiutius.

Hâc ſententiâ utitur Filiutius, ut Navarram refellat, aſſerentem graviſſimam notoriis blaſphemis injungendam eſſe pœnitentiam: utitur Maſcarenhas, ut oſtendat ſacerdotes abominandis flagitiis pollutos, ne quidem per aliquot horas ſacrificio abſtinere debere: utuntur vulgò Caſuiſtæ, ut omnem antiquæ ſeveritati aditum obſepiant. Et quia ex illa ſententia, ſeu potiùs ex prava iſtius ſententiæ interpretatione plurimæ Caſuiſtarum Labes manarunt, non abs re erit, quod in probabilitatis doctrinâ fecimus, ut totam hanc materiam pauló diligentiùs excutiamus.

DISSERTATIO THEOLOGICA
De perpetuitate Canonum, & veteris Eccleſiæ diſciplinâ circa ſacerdotes lapſos.

SECTIO I.

Quid Conſuetudo ad minuendam canonum autoritatem valeat, aut non valeat, certis regulis.

§. 1.

In Varietate diſciplinæ immutabilis Eccleſiæ ſpiritus.

Eccleſiæ præcepta non uniuſmodi ſunt: alia tantùm ceremonias quaſdam indicunt: alia ad componendos mores, frænanda vitia inſtituta ſunt. Rurſus alia merè poſitiva ſunt, ſive novam planè obligationem inducunt: alia id tantùm ſanciunt vel circumſcribunt, quod jam jure divino vel naturali ſancitum eſt. Atque illa quidem præcepta quæ ad ceremonias pertinent, ut contemnere vigentia irreligioſum ſit; ſic abolita præfractiùs revocare, periculoſum. Itaque ibi valet illa juriſperitorum formula, quâ hîc abutuntur Jeſuitæ: *Per deſuetudinem leges abrogari.*

Sed alia longè ratio ſacrorum Canonum, quibus Eccleſia diſciplinam ſuam, & filiorum, præcipuèque miniſtrorum ſuorum mores confirmat, quibus naſcentes reſecat labes, vitia ſuccreſcentia recidit. Hos enim qui ſola deſuetudine, id eſt, hominum in iis violandis audacia, abrogari penitus & deleri putet, prorſus Eccleſiaſtici Spiritus expertem, & in Eccleſiaſtica doctrina rudem ſe & hoſpitem profiteatur.

Illud enim inprimis advertendum, tametſi pro varietate temporum variare poſſit exterior Eccleſiæ diſciplina; tamen ſpiritum ejus, & interiorem de moribus ſenſum, fixum plane, immobilem, immutabilem eſſe. Nam hic cum ſit ipſe Spiritus Sanctus, ipſe Spiritus Chriſti in vivis Eccleſiæ membris reſidens, temporum utique decurſu nullam pati labem, nullam mutationem poteſt. Itaque non minùs nunc quàm olim ſcelera deteſtatur Eccleſia: non minorem ad ſacramenta percipienda ſanctimoniam exigit: non minùs caſtos & ſanctos optat eſſe ſacerdotes: non minùs quàm olim avaritiam & ambitionem in miniſtris ſuis averſatur: nec minùs illos execratur, qui ſibi honorem rapiunt, & in ſacros ſine Dei miſſu Ordines involant.

Jam verò ille Eccleſiæ ſpiritus, præcipuè ex iis Canonibus cernitur, quos ipſa florens & libera, nec abundantia vitiorum prægravata, melioribus temporibus ſanxit; quos ideo ſæpe Concilia *divinos Canones*: Leo Magnus Ep. 84. *Canones Spiritu Dei conditos, & totius orbis*

orbis reverentiâ conſecratos: Concilium Attiniacenſe *firmatos Spiritu Dei Canones* appellat. Quando igitur non alia nunc eſt Eccleſia, quàm quæ Auguſtini, Leonis, Gregorii, temporibus erat; nec alius eam ſpiritus regit; neceſſe eſt ut eadem ipſi probentur quæ olim probata ſunt: ac proinde ut illos Canones, qui formæ quædam ac regulæ morum ſunt, in intimo ſpiritu gerat impreſſos; eoſque vel etiam nunc teneat quantùm poteſt; aut quòd eos tenere non poſſit, temporum difficultatibus præpedita, ingemiſcat & doleat.

Sic conſtitutus animo eſſe debet, quiſquis vivum eſt Eccleſiæ membrum, quiſquis habet Spiritum Chriſti, qui idem Eccleſiæ ſpiritus eſt. Hoc verò non in vanâ quâdam ſimulatione poſitum: ſed in vero & intimo cordis affectu, in animi ſincerâ præparatione; quæ utcunque ſe præbet occaſio, foras erumpit, & in exteriores actus ſeſe diffundit. Qui enim ſic affectus eſt, primùm illas Eccleſiæ regulas non tanquam aut Lacedæmoniorum, aut Athenienſium leges abolitas pridem & extinctas ſpectat; ſed tanquam cæleſtia quædam inſtituta ad formandos in temporum perpetuitate Chriſtianorum mores veneratur & probat.

Hinc primùm gravis exiſtat dolor neceſſe eſt, quòd tam neceſſaria præcepta paſſim conculcentur: ardens deſiderium ut inſtaurentur: diligens cura, ſtudium, contentio, ut adhuc vigentia ſedulò teneantur, retineantur collabentia, prorſus collapſa renoventur; moderante tamen omnia Chriſtianâ prudentia, ne præcipiti zelo pax Eccleſiæ & fidelium concordia perturbetur. Ex quo liquet nunquam ſic exoleſcere poſſe decreta illa Conciliorum ad mores pertinentia, ut ea tanquam penitus abrogata ſpectare liceat. Semper enim in corde ſacerdotum impreſſa & conſignata debent eſſe, ibique vivere. Semper ad ea conniti & contendere debent omnes Chriſtiani, ac ſibi ipſis graviter ſuccenſere, quòd ab iis obſervandis tam longè abſint.

§. 2.

Eccleſiæ decreta, quatenus aliquid divini juris admixtum habent, ſemper obligant. Egregius eâ de re Thomæ locus.

Verùm quàm perversè Caſuiſtæ iſtam juris formulam ad omnia Eccleſiæ decreta ſine diſcrimine transferant, ex alia conſideratione magis patebit. Pleræque Eccleſiæ leges quæ ad mores pertinent, non novum aliquod jus invehunt; ſed jus tantùm divinum præſcriptamque in Evangelio vitæ inſtitutionem interpretantur, firmant, & ad particulares applicant cauſas: nullæque fere ſunt, in quibus omnino nihil divini juris ſit admixtum. Sic, exempli cauſa, canonicæ pœnæ pro variis criminum generibus aſſignatæ, tametſi modum ſuum ex ſola Eccleſiæ inſtitutione repetant; tamen ex divina inſtitutione eatenus pendent, quatenus ſacramentum pœnitentiæ Deus inſtituit, ut non gratis in eo crimina ſolvantur; ſed multis laboribus, & congruis afflictationibus expientur. Itaque etſi in hoc mutari poteſt Eccleſiæ diſciplina: ut modò graviores, modò remiſſiores pœnæ peccatis infligantur; at effici non poteſt, quin pœnitentia laborioſus ſit baptiſmus; quin pro modo criminum con-

gruæ pœnitentiæ imponendæ à ſacerdotibus, à pœnitentibus obeundæ ſint. Nunquam ergo ulla deſuetudine abrogari poterit illa Concilii Tridentini ſanctio ſeſſ. 14. cap. 8. *Debent ſacerdotes Domini, quantùm ſpiritus & prudentia ſuggeſſerit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate ſalutares & convenientes ſatisfactiones injungere; ne ſi fortè peccatis conniveant, & indulgentiùs cum pœnitentibus agant, leviſſima quædam opera pro graviſſimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.* Simillimè quamvis ſimonia, ambitus, concurſationes ad obtinenda ſacerdotia, propriarum utilitatum in capeſſendis Eccleſiæ muneribus conſectatio, paſſim vigeant, paſſim tolerentur: perpetua tamen ſemper vivet illorum Canonum autoritas, quibus iſta damnantur, & debitis pœnis afficiuntur: & ſi illæ pœnæ remitti poſſunt, penitus aboleri non poſſunt. Nam ſi lege poſitiva non ſtent, ſtabunt ſemper jure divino. Non igitur ut quæque Eccleſiæ lex incuria hominum in deſuetudinem abiit, continuò prorſus extincta putanda eſt: vivit enim adhuc quicquid in ea divini ac naturalis eſt juris.

Hoc vidit & pulcherrimè expoſuit S. Thomas in ea quæſtione ſolvenda: *Vtrùm liceat habere plures præbendas*: quem locum hîc latiùs exſcribere non pigebit, quòd maximè neceſſariam his temporibus doctrinam contineat, multorum quidem auribus duram; ſed tamen longe veriſſimam, quicquid contrà avaritia & cupiditas obganniant.

S. Thomas Quodlib. 9. art. 15.

Videtur quod habere plures præbendas ſine curâ animarum abſque diſpenſatione ſit peccatum mortale. Reſpondeo dicendum, quòd omnis quæſtio, in qua de peccato mortali quæritur, niſi expreſſè veritas habeatur, periculosè determinatur: quia error quo non creditur eſſe peccatum mortale quod eſt peccatum mortale, conſcientiam non excuſat à toto, licet fortè à tanto. Error verò quo creditur eſſe mortale, quod non eſt mortale, ex conſcientia ligat ad peccatum mortale. Præcipuè autem periculoſum eſt, ubi veritas ambigua eſt; quod in hâc quæſtione accidit. Cùm enim hæc quæſtio ad Theologos pertineat, in quantum dependit ex jure divino, vel ex jure naturali; & ad juriſtas, in quantum dependet ex jure poſitivo, inveniuntur in eâ Theologi Theologis, & Juriſtæ Juriſtis contraria ſentire. In jure namque divino non invenitur determinatum expreſſè; cùm in ſacra Scriptura expreſſa mentio de ea non fiat: quamvis ad id argumenta ex aliquibus autoritatibus Scripturæ fortè adduci poſſint, quæ tamen non lucide veritatem oſtendunt. Determinando verò eam ſecundum jus naturale; ſic videtur ad præſens de ea dicendum: quòd actionum humanarum multiplex eſt differentia. Quædam enim ſunt quæ habent deformitatem inſeparabiliter annexam, ut fornicatio, adulterium, & alia hujuſmodi; quæ nullomodo benè fieri poſſunt. De numero talium non eſt habere plures præbendas: aliàs in nullo caſu diſpenſationem recipere poſſet; quod nullus dicit. Quædam verò ſunt actiones, quæ de ſe indifferentes ſunt ad bonum vel malum, ut levare feſtucam de terra, vel aliquid hujuſmodi: inter quarum numerum quidam computant habere plures præbendas, dicentes:

centes: ita licitum eſt habere plures præbendas, ſicut habere plura poma. Sed hoc non videtur eſſe verum, cùm hoc quod eſt habere plures præbendas, plurimas in ſe inordinationes contineat; ut pote quòd non eſt poſſibile aliquem in pluribus Eccleſiis deſervire, in quibus eſt præbendatus; cùm præbendæ videantur eſſe ordinatæ quaſi quædam ſtipendia Deo ibidem miniſtrantium. Sequitur etiam diminutio cultus divini dum unus loco plurium inſtituitur. Sequitur etiam in aliquibus defraudatio voluntatum teſtatorum qui ad hoc aliqua bona Eccleſiis contulerunt, ut certus numerus Deo deſervientium ibi eſſet. Sequitur etiam inæqualitas, dum unus pluribus beneficiis abundat,& alius nec unum habere poteſt. Et multa alia hujuſmodi quæ de facili patent. Vnde non poteſt contineri inter indifferentes actiones, & multò minùs inter eas quæ ſunt ſecundum ſe bonæ, ut dare eleemoſynam, & ejuſmodi. Sunt verò quædam actiones quæ abſolutè conſideratæ deformitatem vel inordinationem quandam important, quæ tamen aliquibus circumſtantiis advenientibus, bonæ efficiuntur: Sicut occidere hominem vel percutere, in ſe deformitatem quandam importat: ſed ſi addatur, occidere male factorem propter juſtitiam, vel percutere delinquentem cauſa diſciplinæ, non erit peccatum, ſed virtuoſum. In numero harum actionum videtur eſſe habere plures præbendas. Quamvis enim aliquas inordinationes contineat, tamen aliæ circumſtantiæ poſſunt ſupervenire ita honeſtantes actum, quod prædictæ inordinationes totaliter evacuentur; ut puta, ſi ſit neceſſitas in pluribus Eccleſiis ejus obſequio, & poſſit plus ſervire Eccleſiæ vel tantundem abſens, quàm alius præſens; & ſi qua alia ſunt hujuſmodi: & tunc iſtis conditionibus ſupervenientibus cum rectâ intentione non erit peccatum, etiam nullâ diſpenſatione interveniente, ſi conſideretur tantùm ſecundum jus naturale, quia diſpenſatio ad jus naturale non pertinet, ſed ſolùm ad poſitivum. Si verò aliquis hâc intentione plura beneficia habeat, ut ſit ditior, ut lautiùs vivat, & ut faciliùs ad Epiſcopatum perveniat in aliquâ Eccleſiarum ubi eſt præbendatus; non tolluntur prædictæ deformitates, ſed augentur: quia cum tali intentione & unum beneficium habere (quod nullam inordinationem importat) eſſet illicitum. Et ſic quidem eſſet dicendum ſecundum jus naturale, etiam nullo jure poſitivo ſuperveniente. Nunc autem certum eſt per antiqua jura hoc eſſe prohibitum; partim etiam huic prohibitioni conſuetudinem eſſe contrariam, per quam quidam dicunt illa jura eſſe abrogata. Nam per contrariam conſuetudinem jura humana abrogantur. Quidam verò dicunt per hanc conſuetudinem antiqua jura non abrogari, eò quòd quædam Decretales &c. Multa per patientiam tolerantur, quæ ſi in judicium fuerint deducta, juſtitiâ cogente caſſarentur. Et hæc controverſia juriſtis eſt relinquenda. Quamvis hoc videatur eſſe probabile, quod quantùm ad hoc quod jura illa antiqua continent jus naturale, abrogari non poſſint per contrariam conſuetudinem, utpote irrationalem. Quantùm autem ad hoc quod ſolùm de jure poſitivo continent, poſſunt eſſe abrogata, præcipuè ſi diſſimulantes hanc contrariam conſuetudinem, in quorum poteſtate eſt jus poſitivum mutare; intendunt per talem diſſimulationem antiqua jura mutare. Si ergo antiqua jura quæ hoc prohibent, in ſuo robore maneant, contrariâ conſuetudine non obſtante, certum eſt non poſſe aliquem plures præbendas habere abſque diſpenſatione, etiam illis circumſtantiis ſuperve-

venientibus, quæ ſecundum conſiderationem juris naturalis actum poterant honeſtare. Si autem antiqua jura ſunt per conſuetudinem abrogata, tunc prædictis circumſtantiis ſupervenientibus, etiam ſine diſpenſatione licitum eſt plures præbendas habere; ſine quibus circumſtantiis licitum non eſt, quantùmcunque diſpenſatio interveniat; eò quòd diſpenſatio humana non aufert ligamen juris naturalis, ſed ſolum ligamen juris poſitivi, quod per hominem ſtatuitur, & per hominem diſpenſari poteſt. Et ex his de facili poteſt patere reſponſio ad objecta.

Ex hac Sancti Thomæ definitione, diſci poteſt, non ut quodque decretum contrario abuſu calcatur; ideò prorſus ſublatum cenſeri debere. Manet enim ipſa canonis ratio: manet naturale & divinum jus, unde derivatum eſt, cujus vis perpetua omnes omnium temporum homines obſtringet, nec adverſus illam prorſus contrariæ conſuetudinis valet exceptio: quod à Caſuiſtis minùs animadverſum, innumeras in illorum doctrina peperit labes, ut poſteà nonnullis exemplis docebimus.

Ad hujus loci clauſulam placet egregia Concilii Pariſienſis an. 829. c. 1. verba ſubnectere, adverſus ejuſmodi conſuetudines, quibus non modò canonum ſanctiones, ſed etiam æternæ & divinæ leges violantur. *Quorundam perverſiſſimæ conſuetudines, propriæque voluntates multimoda adinventione contumaciter, quod valde periculoſum eſt, efficiunt ut opera fidei magna ex parte negligantur. Qui dum legis divinæ tranſgreſſores exiſtunt, eaſdem conſuetudines ſibi legem faciunt, & ſecundum eas ſe vivere abſque ſui diſcrimine & poſſe & debere contendunt, ſua quærentes, non quæ Ieſu Chriſti. Quod quantum autoritati divinæ contrarium ſit, aut non advertunt, aut certè animadvertere detrectant. Quantum etiam ob hoc Religio Chriſtiana in eis periclitetur, facilè qui ſapit advertit. Quapropter unuſquiſque fidelis, ſi ſalvus eſſe vult, oportet ut remotis perverſis conſuetudinibus, quæ periculum animarum generant, fidem Chriſti quam percepit, bonis operibus exornare non negligat.* Et cap. 50. *Quare conſtat quoniam nonnulla alia à Religione Chriſtiana propter amorem & delectationem mundi, propriaſque humanas delectationes & praviſſimas, imò periculoſiſſimas conſuetudines, quæ jam pro lege habentur, receſſerunt: ita quoque tanti diei veneratio ab uſu Chriſtianitatis magna ex parte receſſerit.*

De iiſdem etiam verè & graviter Petrus Cantor. *Non minùs peccas, quia cum multis, ſed magis peccas: nec minùs ardebis, quia cum pluribus. Qui per multitudinem vel prælatum excuſari à peccato credunt, ſimiles ſunt Pilato lavanti aquâ manus ſuas, & dicenti: Mundus ſum à ſanguine hujus: non Danieli qui ait: ſanguinem innocentem condemnaſtis, viri Iuda, redite ad judicium.*

§. 3.

Non continuò abrogata cenſeri debere Eccleſiæ præcepta, cùm abuſus ipſis contrarius per aliquod tempus inolevit.

Sagaciter & verè notavit Montaltius Epiſt. 13. callidam hanc multis Caſuiſtis, aut diabolo potiùs illis adminiſtris utenti, induſtriam eſſe; ut quæ conſiliis reipsà conjuncta ſint, tractatione disjungant

gant hîc unam, aliam alibi ſententiam interponentes, quæ cùm ſejunctæ tolerabiles videantur, copulatæ deteſtabilem ſummam efficiunt. Varia ille eodem loco iſtius calliditatis exempla ſubjicit; ſed unum vel illuſtriſſimum ea quæ in manibus eſt, nobis materia ſuppeditat.

Contendunt Caſuiſtæ multa quæ jure divino illicita ſunt, poſitivo tantùm jure eſſe illicita: ut pecunia pro obtinendis beneficiis oblata tanquam motivum, non tanquam pretium: ut accepta à judicibus munera: ut contractus Mohatra, & alia ejuſmodi. Hæc cùm audiunt homines, non valde commoventur. Parùm enim referre cenſent jurene naturali an poſitivo aliqua prohibita dicantur, cùm utrumque hominum conſcientiam alliget, & alterutrum ad eos à flagitiis retrahendos ſatis eſſe videatur. At poſtquam hoc impetrarunt Caſuiſtæ, ſubjungunt *jura poſitiva contraria conſuetudine abrogari:* nec hîc quidem valde reſiſtitur: habet enim illa ſententia aliquid rationis, quamquam egeat multis cautionibus. Sed cùm utramque ſeorſim imprudentes Theologi ſuſceperint, tum verò vel ipſis invitis Caſuiſtæ magnam Eccleſiaſticæ diſciplinæ ac ſacrorum canonum partem ſine metu, ſine pudore abigunt & exſufflant. Docent enim primò jure illos tantùm poſitivo conſtitutos: deinde adjungunt in deſuetudinem abiiſſe: poſtremò penitus abrogatos inde conficiunt.

Quamobrem in ſingulis gradibus illis reſiſtendum eſt: ac primò ut D. Thomam docentem audivimus, diligenter in Eccleſiæ decretis diſtinguendum, quid ad naturale aut divinum jus, quid ad poſitivum pertineat. Sed nec illa ipſis ſine exceptione concedenda eſt, ſententia, quâ deſuetudine etiam quod in canonibus poſitivum eſt, vim admittere dicitur: eſt enim fallax, & tegendis corruptelis opportuna. Deſuetudo enim, ſive contrarius Eccleſiaſticis decretis abuſus, aut recens eſt, aut jam à longo tempore inveteratus. Rurſus ille aut Eccleſiæ notus: aut ignotus: vel illum Eccleſia manifeſtè tolerat, nec ad ſe delatum ullâ penitus afficit pœna; vel tantùm non inquirit, non inveſtigat; plectit tamen ſi deferatur. Poſtremò ſunt quædam conſuetudines ſic inveteratæ, ut quanquam ex abuſu natæ ſint, tamen ſine ſcandalo, ſine offenſione eorum qui Eccleſiam regunt, tolli non poſſint: aliæ contrà quæ faventibus, annitentibus Eccleſiæ poteſtatibus, deleri poſſint. His omnibus multùm variatur illius ſententiæ veritas.

Nam in primis non ſtatim ac aliquod Eccleſiæ decretum à pleriſque negligi cœperit, continuò abrogatum exiſtimari decet: alioquin in improborum poteſtate omnia Eccleſiæ decreta ponentur. Longum ergo intercedat tempus neceſſe eſt: longa & omnibus nota Eccleſiæ tolerantia, hunc abuſum non ignorantis: antè verò abuſus ille, quantùmvis à multis frequentatus, à ſolis improbis licitus exiſtimatur. *Mala conſuetudo*, inquit Concilium Sueſſionenſe. III. An. 866. *quæ non minus quàm pernicioſa corruptela vitanda eſt, niſi citiùs radicitus evellatur, in privilegiorum jus ab improbis aſſumitur; & incipiunt prævaricationes & variæ præſumptiones celerrimè non compreſſæ, pro legibus venerari, & privilegiorum more perpetuò celebrari.*

Jus ergo putatur; ſed improbè, & ab improbis: à probis autem corruptelæ, prævaricationis, præſumptionis loco habetur; cui cedere adeo boni non debent, ut nuſquam illi vehementiùs obniti & reluctari debeant. Longè enim majori Eccleſiæ pernicie, majori ſcandalo, invaleſcentibus jam abuſibus boni concedunt, quàm ſi vigentibus adhuc legibus iiſdem ſuccumberent. Tunc enim ferè ſibi ſolis peccarent, nihil aliis exemplo nocerent. At cùm collabentis Eccleſiaſticæ diſciplinæ unum in paucorum firmitate præſidium eſt, horum ſi multitudine peccantium conſtantia frangatur, illorum caſu pariter Eccleſiæ diſciplina decuſque concidit. Quamobrem nedum ut licitum ſibi putent quicquid contra canones à multitudine peccantium uſurpatur; ut hoc contrà magis illicitum ſibi cenſere debeant, Davidicam illam vocem ſemper in ore, ſemper in corde penitus infixam habentes: *Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ; ideò dilexi teſtimonia tua.*

Jam verò ſi abuſus illi Eccleſiæ ignoti ſint: ſi in ſecretis Confeſſariorum tribunalibus deliteſcant: ſi nunquam ad Eccleſiæ judicium delati ſint: prorſus nec in conſuetudinem veniſſe, nec ab Eccleſiâ tolerari exiſtimandi ſunt. Non enim interiora illa & arcana flagitia rimatur Eccleſia, erumpentia vitia plectere ſatis habens. Confeſſarios illa decretis ſuis & inſtitutis imbuit, quo pacto in illo ſecretiori foro ſe gerere debeant: his illi ſi minùs obtemperent, non exquirit quidem Eccleſia, nec ſe arcanis iſtis interponit: ſed generatim tamen ſemper improbat, ſemper damnat quicquid contra leges ac ſtatuta ſua à Confeſſariis ignaviâ ac mollitie peccatur. Valent ergo ſemper & obligant ejus decreta, in occultas illas ſancita corruptelas. Nam illi ipſi qui leges Eccleſiæ deſuetudine abrogari cenſent, id cauſæ prætendunt, quòd illorum obligatio tacitâ quâdam Eccleſiæ abuſum tolerantis conſenſione remittitur: quod certè in occultis illis interioris fori abuſibus locum non habet.

Poſtremò quandocunque autoritas Eccleſiæ aliquem abuſum reſecantibus adeſt, quandocunque ad ſe delatum plectit: tunc etiam decretum illud quod iſto abuſu violatur, adhuc vigere, adhuc obligare palam eſt. Sin autem impunitatem nactus eſt abuſus, non promiſcuè tamen licitus putandus eſt. Multa innoxiè tolerant inferiores ſacerdotes, quæ Epiſcopi divinâ ad regendam Eccleſiam autoritate præditi tolerare ſine piaculo non poſſunt. Hinc non levem ab iis qui præſunt rationem exiget Deus, niſi quantùm prudentia patitur, ad diſciplinam Eccleſiaſticam inſtaurandam incumbant. Omninoque Epiſcopis Eccleſiaſticæ poteſtatis plenitudinem divinitus adeptis, & multò magis ſummo Pontifici, qui præcipuam quandam in totam Eccleſiam autoritatem habet, parum idonea apud Deum excuſatio erit, ſi deſuetudine abolitos canones eſſe cauſentur, cùm eorum ſit efficere ne aboliti putentur. Nihil aliud ergo ipſis patrocinari poterit quàm Chriſtiana prudentia, quæ nonnullas labes, majoris mali vitandi causâ nonnunquam tolerari præcipit. Sed hæc non tam latè patet, quàm plerique putant.

Atque inde videre eſt illâ ſententiâ, quæ canones antiquos tan-

quam

quam prorſus extinctos; nec aliter, uti jam diximus, quàm priſcas Athenienſium leges ſpectari vult, nil pernicioſius fieri poſſe; præcipuè ſi in Eccleſiæ Rectores cadat. Nam qui eam ex Jeſuitis didicerunt, & qui eorum conſiliis utuntur, de emendandis moribus, de reſtituendâ diſciplinâ nullam unquam cogitationem ſuſcipiunt. Nihil ægrum, nihil ſaucium in Eccleſiâ vident: quicquid abuſu inolevit, pro lege habent: quicquid negligentiâ exolevit, in eorum quæ nunquam fuere numero ducunt. Omnibus malis, omnibus calamitatibus oppreſſam Eccleſiam, felicem ut cùm maximè & florentem putant. Nihil ipſis in paſtorali munere tremendum aut arduum videtur; nec aliud ſibi rentur eſſe negotii, quàm ut placidè ſeculi ſui moribus vivant: dignitate, divitiis, ceteriſque Eccleſiæ commodis lenti & otioſi perfruantur; & fortè ut ad abundantiam quandam meritorum conſequendam, exteriora quædam Religionis officia frequentent. Ita viventes, quieti ac nullo conſcientiæ morſu perturbati ad mortem perveniunt, Jeſuitis ſponſoribus ſecuri felicitatis ſuæ, utinam etiam Euangelio! Hæc forma Jeſuiticæ pietatis.

Sectio II.

Quantum in has regulas peccent recentiores Caſuiſtæ.

§. I.

Primum exemplum ex Suare, ſacerdotum in ambiendis pinguioribus beneficiis avaritiam non improbante.

Præmiſſis his regulis, jam facilè cerni poteſt quàm flagitioſè Caſuiſtis hac vulgari ſententia, *Leges deſuetudine abrogari*, in Eccleſiaſticæ diſciplinæ perniciem abutantur. Nam & abrogata cenſent, quæ prorſus abrogari utpote jure divino conſtituta, non poſſunt: & deſuetudine exoleviſſe fidenter affirmant, quæ recentiſſimis ſummorum Pontificum, ultimorumque Conciliorum decretis; imo naturæ jure ſancita ſunt, & adhuc bonorum omnium inſtitutis frequentantur: Poſtremò ſimul cum externa diſciplina totum penitus Religionis ſpiritum ſic commutatum putant, ut quod olim pium & ſanctum habitum eſt, nec irreligioſum & noxium evaſerit. Hæc quibuſdam exemplis declarari perutile eſt.

Avaritiam levitatemque Sacerdotum, qui ex alia in aliam tranſiliunt Eccleſiam, gravibus olim decretis Eccleſia coërcuit, inprimiſque Nicænum conc. can. 16. Sard. can. 1. Carth. IV. can. 27. & Calced. can. 5. itemque Hilarius Pontifex ep. 7. Conc. Turon. III. can. 14. Meldenſe can. 30. & alii paſſim canones. Quanquam autem hoc ad majus Eccleſiæ bonum quibuſdam aliquando conceſſum ſit: tamen ut id carnali cupiditate & ſordido lucri appetitu fiat, omnino concedi nequit. Naturali enim lege prohibitum eſt, ut docet Sanctus

ctus Thomas in quodl. 9. art. 15. nequis in Eccleſiæ miniſterio capeſcendo aliud quàm Eccleſiæ utilitatem & Chriſti gloriam intueatur: *non ſua quærentes, ſed quæ Ieſu Chriſti*, inquit Apoſtolus: qua voce omnem omnino à ſacri miniſterii ſuſcipiendi propoſito terreni commodi conſectationem removet. At ſi Eccleſiæ munera privatæ utilitatis gratia ſuſcipere non liceat, multò minùs licet propter aliquod commodum ſuſcepta dimittere, & ad alia tranſvolare, quia *pinguiora ſint*.

Quis igitur ferat Suarezium, illum *orbis*, ut à Jeſuitis appellatur, *magiſtrum*, ſacerdotum ambitioni & ſordibus hoc nefario decreto lenocinantem. Tom. 3. De Relig. lib. 1. cap. 17. num. 18. *Inferiores Paſtores ac Curati, licet ex vi juris videantur immutabilitatem habere; nihilominùs conſiderato communi uſu, quo receptum eſt ut faciliùs mutentur, & conſequenter ut talia beneficia non aſſumant animo permanendi in illis perpetuò, ſed vel* AD ALIA PINGUIORA ASCENDENDI, *vel* RENUNTIANDI CUM ALIQUO EMOLUMENTO, *vel ſimplici penſione ſine obligatione animarum: hoc, inquam uſu conſiderato, ſatis probabilis modus loquendi eſt, quod iſti non ſtatum aſſumere, ſed miniſterium pro illo tempore habere dicantur.*

Sic ille probabile, id eſt, tutum ac ſecurum putat Eccleſiaſticum munus non inſtabili modo, ſed ſordido ac ſervili animo ſuſcipere. Sic vocationem Eccleſiaſticam, unde tota Sacerdotalis ſanctitas defluit, in ipſo fonte corrumpit. Sic Eccleſiam mercenariis ac falſis Paſtoribus implet, quibus non oves, ſed ſe paſcere cura ſit. *Væ paſtoribus Iſrael qui paſcebant ſemetipſos, & greges meos non paſcebant*, inquit Propheta. Sed ſi *qui talia agunt, digni ſunt morte*; non minùs certè nocentes ſunt, qui hujus profeſſione doctrinæ omnibus iſta facientibus conſentiunt.

§. 2.

Alterum exemplum ex Filiutio & Thoma Sanctio, Eccleſiæ ſanctionem de Blaſphemis ſine gravi pœnitentiâ non abſolvendis conſuetudine abrogatam eſſe cauſantibus.

Alterum exemplum ex Filiutio repetam: tum quia is ipſe locus eſt, in quo perperam illa formula utitur, *leges deſuetudine abrogari*: tum etiam quia ab Apologiſtà refertur Impoſt. 26. tanquam innoxius & nulla reprehenſione dignus. Ita autem ſe res habet.

Cùm graviſſimum ſit blaſphemiæ crimen, divinam Majeſtatem propalam invadens, plùs diabolicæ pravitatis, quàm humanæ fragilitatis habens, meritò ſemper & civilibus & divinis decretis, & in antiqua & in nova lege ſeveriſſimis pœnis affectum fuit. *Ad abolendam igitur execrabilem illam blaſphemiæ conſuetudinem*, ut loquitur Concilium Lateranenſe ſub Leone x. ab eodem Concilio conſtitutum eſt, *in foro conſcientiæ neminem blaſphemiæ reum abſque graviſſima pœnitentia ſeveri Confeſſoris arbitrio injuncta abſolvi poſſe.* Quo decreto non novum aliquod jus inſtituerat; ſed divinum tantùm, quo jubentur ſacerdotes congruas pro gravitate criminum ſatisfactiones im-

imponere, ad peculiare blaſphemiæ crimen applicarat. Eandem ſententiam renovavit magnus Carolus in prima ſua ſynodo Mediolanenſi. Quamobrem multi etiam Caſuiſtæ, ut Navarrus, Lopez, Ledeſma, huic decreto religiosè adhæreſcunt.

Quis crederet Jeſuitas, qui de iſtius criminis magnitudine dubitare non poſſunt, qui non ignorant quantopere illud Eccleſia deteſtetur, qui norunt Lateranenſis Concilii, noſtris penè temporibus celebrati, ſanctionem etiamnum à celeberrimis Caſuiſtis retineri, aliud hoc loco facturos quàm ut eorum à quibus non ſervatur, abuſum defleant; & ad illud deinceps ſtudiosè ſervandum Sacerdotes hortentur. Videamus igitur quis illis eadem re ſit ſenſus. *Iuxta decretum Concilii Lateranenſis ſeſſ. 9. Ad abolendam*, inquit Sanchez lib. 2. cap. 32. num. 44. *blaſphemus non poteſt abſolvi à Confeſſore, niſi graviſſima pœnitentia ipſius arbitrio impoſita. Sic enim expreſſè ibi definitur; & ita docent Navarrus, Lopez, Ledeſma.* Quid tu, mi Sanchez? Quid tui ſodales? Audiamus Jeſuiticam vocem. *At id decretum non eſt uſu receptum, & ita hodie non obligat, quod docent Armilla, v. blaſph. Emanuel Sa num. 2. Azor, Suarez t. 1 de Relig. tr. 3. lib. 1. cap. 7. num. 2.* (omnes Jeſuitæ præter Armillam.) Poſt illos autem Filiutius in eo de quo agimus loco. *Quod aliqui*, ait, *dicunt dandam non eſſe, etiam in foro conſcientiæ, abſolutionem niſi impoſita graviſſima pœnitentia; ut Navarr. colligit exemplo pœnarum, quas diximus ſtatutas eſſe jure antiquo & Conſtitutionibus Pontificum; verum eſſet, ſi eæ pœnæ eſſent uſu receptæ; vel non abrogatæ: at vel receptæ unquam non ſunt, vel jam deſuetudine abierunt.*

Quis ſine acerbiſſimo doloris ſenſu illas audiat voces? Sic ad noſtrorum dedecus temporum invaluiſſe videmus abominandum illum morem deridendæ Religionis, ac divinæ Majeſtatis blaſphemiis violandæ, ut jam creſcere non poſſe videatur. Nec diu eſt cùm tota Eccleſia Gallicana publicis precibus ad iſtam peſtem coërcendam etiam Regis ſui auxilium imploravit. Ubinam tanti mali remedium eſſe poteſt, niſi in vigore ſacerdotum? Et tamen Jeſuitæ, quorum erat à Regibus, ab Epiſcopis, à ſummis Pontificibus novas ad comprimendam hanc perniciem Conſtitutiones expoſcere, & gravioribus morbis graviora remedia comparare; etiam vigentes leges, etiam Caſuiſtis, cæteroquin ſatis diſſolutis probatas, infringere & abrogare laborant; ac ne in ipſis quidem pœnitentiæ tribunalibus debitis tantum ſcelus pœnis affici patiuntur, quod à magiſtratibus vix pro merito plecti poteſt. Præcipiunt ubique ſancti Patres peccantium flagitia ſalutari acerbitate caſtiganda, idem ſanciunt Conciliorum canones, idem ſummi Pontifices nominatim de blaſphemis decernunt: jacebunt tamen hæc omnia, nec ullam obligandi vim habebunt, quàm plurimùm oſcitanti alicui Caſuiſtæ ſcriptitare libuerit: *verùm hoc decretum non eſt uſu receptum.*

At enim ſcire pervelim quæ cauſa Filiutio fuerit cur ita ſentiret. Nam Navarro & Ledeſmæ videtur eſſe uſu receptum: uſu receptum eſt à S. Carolo, & à tota Eccleſia Mediolanenſi: nec dubium eſt quin à multis etiam nunc bonis ſacerdotibus uſurpetur. Cur igitur tam

fidenter

fidenter aſſerunt Jeſuitæ illud uſu non eſſe receptum; niſi quia apud ipſos uſus illius exolevit, aut nullus unquam fuit? Ita cùm illa Societas triginta hominum millibus conſtans, ac ſecum innumeram hominum multitudinem ſibi deditam, magnam etiam ſacerdotum ac religioſorum catervam nutibus ſuis obſequentem trahens, inita conjuratione aliquod Eccleſiæ decretum repudiare conſtituit; illico ſibi jus eſſe credit, illud decretum inter ea numerare, quæ deſuetudine abrogata ſunt. Quamobrem ſi ex Filiutio quæram, cur illum Lateranenſis Concilii canonem cenſeat abolitum? Statim reſpondebit; quia non eſt uſu receptum. At ſi pergam quærere quare non ſit uſu receptum? Reſpondere nihil aliud habebit, niſi Societati ſuæ per totum orbem ſparſæ, in gratiam peccantium placuiſſe, ut illud decretum non diutiùs obſervaretur; ne homines aulici, quibus ut plurimùm blaſphemiæ, execrationes, perjuria, inter ſermonis ornamenta numerantur, hac offenſi aſperitate, à tribunalibus ſuis refugerent.

Quemadmodum igitur res ire cœpit, quàmlibet ſummi Pontifices, Epiſcopi, Reges ad inſtaurandam Eccleſiaſticæ diſciplinæ collapſionem incumbant, proficere tamen nihil omnino poterunt. Nam cùm decretorum obſervatio maximè è Confeſſariis pendeat, ſi minùs illa Jeſuitis placeant (non placebunt autem certè ſi quid habeant ſeveritatis) primùm ipſis illi privatim in illis arcanis non obtemperabunt: mox deſuetudine abrogata cauſabuntur. Ergo illa Eccleſia, quæ ut nefariè à Cellotio dictum eſt de Hier. lib. 4. c. 12. Conciliorum & Pontificum decretis robur detrahit, non alia eſt quàm Eccleſia Jeſuitica, ex illorum Societate & illorum aſſeclis tota conſtans.

Obiter hic occultum quoddam myſterium enuntiari non erit alienum, quò magis pateat quàm falsò jactet Filiutius hoc decretum non eſſe uſu receptum. Vidimus ſupra inter eos qui abolitum illud putant, à Sanctio numerari Emanuelem Sa; & tamen in recentioribus ejus editionibus contraria prorſus ſententia his verbis reperitur expreſſa. *Ne blaſphemus abſolvatur ſine gravi pœnitentia, ſeveri Confeſſarii arbitrio injuncta, ſtatuit Concilium Lateranenſe, & conſonat Tridentinum Seſſ.* 14. *cap.* 8. An falſarius igitur Sanctius? Neutiquam. Quid igitur cauſæ eſt cur nunc in Emanuele quæ refert verba, minùs reperiantur? Rem patefecit Alegambus Jeſuitarum Bibliothecarius, qui narrat à Magiſtro ſacri palatii librum Emanuelis correctum, nonnullis mutatis: ſic ille graviorem Magiſtri ſacri palatii Cenſuram, qua plus quam octoginta propoſitiones ex iſto libello delevit, pro ingenio Societatis ὑποκρίζει. Cæterum ex delectarum illarum propoſitionum numero una eſt hæc de blaſphemis ſententia, quæ ſic in veteribus iſtius libri editionibus habetur: *Illud Lateranenſis, ne blaſphemis abſolutio ſine gravi pœnitentia detur, non eſt uſu receptum.* Si ita ſentit Sa, diſſentit Magiſter ſacri palatii. Ex quo patet illud decretum nec uſu abolitum, nec verò penitus aboleri poſſe: quia in divina illa lege à Concilio Tridentino relata fundatur, quæ pœnitentiam tanquam laborioſum baptiſmum inſtituit, & ingentibus criminibus congruam pœntientiam imponi præcipit.

SECT. III.

Sectio III.

Exemplum ipſum à Montaltio commemoratum ex Baunio, cujus occaſione antiqua Eccleſiæ diſciplina circa Presbyteros lapſos, ejuſque collapſio exhibetur.

§. 1.

Refertur turpiſſima Baunii & Maſcarenhæ Ieſuitarum doctrina.

Ad tertium exemplum ſufficiet ille Baunii locus, ſuper quo iſta Filiutii ſententia à Montaltio commemoratur: in quo quoniam multa occurrunt ſcitu digniſſima, diligentiùs illud excutiemus. Verba Baunii ſunt:

Si poſt habitam eo die copulam carnalem cum fœmina, aut pollutionem voluntariam, an non liberum erit Sacerdoti ſine culpa veniali rei divinæ incumbere? Negant Villalobos, diſſentit Sanctius, cujus mihi opinio & tuta & ſequenda videtur in praxi.

Idem docet Maſcarenhas Tract. 4. Diſp. 5. num. 284. & ne quid ſceleratam ipſius in flagitioſos ſacerdotes & laicos indulgentiam fugeret, generatim aſſerit id locum habere non in fornicatione modò, ſed *generatim in qualicunque pollutione mortaliter peccaminoſa. ſeu habita ſecum, vel cum complice; & hoc ſive habeatur per fornicationem, ſive per adulterium, ſive per peccatum contra naturam, ſeu quocunque alio modo. Et quamvis*, inquit, *P. Vaſquez credat antiquitus fuiſſe aliquam legem vel univerſalem vel provincialem, qua per aliquot ſaltem horas poſt pollutionem prohibeatur communio, ut videntur oſtendere loca ſuperiùs dicta; hoc tamen hodie communi & univerſali totius orbis conſuetudine eſt abrogatum.*

Hîc notandum Maſcarenham, itidem ut Baunium, tam de Preſbyteris quàm de laicis loqui; ac de utriſque intelligendum eſſe quod ait, fuiſſe olim aliquam legem, quæ iſtorum criminum reos per aliquot ſaltem horas communione vel ſacrificio prohiberet; ſed hanc contraria conſuetudine abrogatam. Quorum verborum imperitiam ſimul & impudentiam ſtudioſiùs non refellerem ex veteribus Eccleſiæ monumentis, niſi ad iſtius doctrinæ pravitatem detegendam multùm pertineret noſſe, quæ olim fuerit ſuper ea re antiquæ Eccleſiæ diſciplina.

§. 2.

Ob crimina, & maximè ob ea quæ caſtitatem violarent, laïcos per longum tempus communione, ſacerdotes ac diaconos in perpetuum ſacris miniſteriis eſſe privatos.

Quæ fuerit circa Laicos primævæ Eccleſiæ diſciplina, pluribus hoc loco non exequar, ne videar actum agere, cùm fuſe & eruditè ſcriptor de frequenti Communione parte ſecunda probave-

baverit hanc viguiſſe in Eccleſia per duodecim pene ſecula diſciplinam, ut propter lethalia flagitia pœnitentes ab Euchariſtia, non per aliquot horas, ut imperitè ſomniat Maſcarenhas, ſed per multos annos removerentur : quod idem latè confirmavit Morinus in libro de pœnitentia.

De Sacerdotibus, quos à lupanaribus ad altaria Baunius & Maſcarenhas immittunt, hoc dicere habeo, nullam unquam me vocem audiviſſe, quæ ab Eccleſiæ Spiritu, à Sacerdotii dignitate, à tantorum myſteriorum ſanctitate magis abhorreret. Quod ut pateat, latiùs paulò nobis antiqua circa presbyteros lapſos Eccleſiæ inſtituta proferenda ſunt : tum quo pacto illa poſterioribus ſeculis labefactata ſint : poſtremò quid ex iis maneat, & omnino abrogari & deleri non poſſit.

Primùm igitur generatim id affirmari poteſt, antiquo jure quo per multa ſecula Eccleſia uſa eſt, conſtitutum eſſe, ut Sacerdotes ac diaconi qui ſe aliquo crimine, maximè luxuriæ commaculaſſent, in perpetuum gradu dejicerentur. Neque tamen inficior, quin aliquando ob inſignem aliquam Eccleſiæ utilitatem, & cum grave ſchiſma componendum erat, aliquid de hujus diſciplinæ ſeveritate remiſſum ſit. *In hujuſmodi enim cauſis*, (inquit Auguſtinus Ep. 50. ad Bonifacium) *ubi per graves diſſenſionum ſciſſuras, non hujus aut illius hominis eſt periculum, ſed populorum ſtrages jacent, detrahendum eſt aliquid ſeveritati, ut majoribus malis ſanandis charitas ſincera ſubveniat.* Ob hanc cauſam Epiſcopi & Presbyteri Donatiſtæ ad Eccleſiam redeuntes, poſt actam de ſchiſmatis crimine pœnitentiam, priſtino gradu dejecti non ſunt. *Quod tamen non fieret*, ut inquit ibidem Auguſtinus, *quoniam reverà, quod fatendum eſt, fieri non deberet, niſi pacis ipſius compenſatione ſanaretur.* His ergo & ſimilibus exceptionibus omiſſis, quæ regulam firmant, non ægrè oſtendi poteſt ex ſacris Eccleſiæ canonibus ſacerdotes in crimen lapſos ab altaris miniſterio ſine ullâ reſtitutionis ſpe excluſos fuiſſe.

Teſtatur id prioribus ſeculis Baſilius Ep. Canonicâ 1. can. 3. dum *diaconos poſt diaconatum fornicatos à diaconatu haud dubiè ejectos* docet, *eaque ratione poſt perfectam ſuæ curationis demonſtrationem, communioni laicæ faciliùs reſtitutos, ne bis in idipſum vindicaretur ; & quia nunquam in eum ex quo ceciderant locum reſtituebantur.*

Teſtatur de ſequentibus ſeculis Concilium Aurelianenſe II. anno 533. can. 8. *Si quis diaconus in captivitate redactus uxori fuerit copulatus ; reverſus, ab officii omnino miniſterio removendus eſt. Cui ſufficere debet pro actus ſui levitate impleta pœnitentia pro ſatisfactione communio.*

Teſtatur Joannes II. Pontifex Romanus ſic ſcribens Epiſt. 1. ad Cæſarium Arelatenſem in causâ Contumelioſi Regienſis Epiſcopi, in fornicationem lapſi. *Dolemus de amiſſione Pontificis ; rigorem tamen canonum ſervare neceſſe eſt ; atque ideò prædictum ab Epiſcopatus ordine noſtra ſuſpendit autoritas. Neque enim fas eſt pollutum criminibus, ſacris miniſteriis deſervire. Sed te ordinante in monaſterio dirigatur, ubi delictorum memor, in pœnitentia lacrymas effundere non omittat, ut ab eo qui omnibus miſeretur Domino noſtro Ieſu Chriſto miſericordiam valeat promereri.*

Teſta-

Teſtatur Cæſarius Arelatenſis in eâdem Contumelioſi cauſâ; qui poſt accuratum variorum canonum ſyllabum à Joanne Papa ad ſe miſſum; quibus demonſtratur ex ipſa illorum inſcriptione, *clericos poſt crimina capitalia non poſſe ad honorem priſtinum reparari: Ecce*, inquit, *manifeſtiſſimè conſtat, quia ſecundum quod & tituli à ſancto Ioanne Papa tranſmiſſi, & trecentorum octodecim Epiſcoporum ſententia; ſed & canones Gallicani continere videntur, clerici in adulterio deprehenſi, aut ipſi confeſſi, aut ab aliis revicti, ad honorem redire non poſſunt: ideò aut plenâ voluntate præceptis illorum conſentiant; aut ſi non fecerint, omnibus ſe contrarios & inimicos eſſe agnoſcant. Quæ eſt iſta juſtitiæ inimica benignitas, palpare criminoſos, & vulnera eorum uſque ad diem judicii incurata ſervare?*

Id ipſum teſtatur non exiguo pòſt tempore Gregorius Magnus, plurimis iiſque luculentiſſimis Epiſtolarum ſuarum locis. Lib. 3. Ep. 26. *Pervenit ad nos*, inquit, *quoſdam de ſacris Ordinibus lapſos vel poſt pœnitentiam, vel ante, ad Officii ſui miniſterium revocari: quod omnino prohibemus, & in hâc re ſacratiſſimi quoque Canones contradicunt. Qui igitur poſt acceptum ſacrum Ordinem lapſus in peccatum carnis fuerit, ſacro Ordine ita careat, ut ad miniſterium ulterius non accedat.* Lib. 4. Ep. 16. *Ad fraternitatis tuæ conſulta reſpondentes ſtatuimus diaconum & Abbatem de Portu Veneris, quem indicas cecidiſſe, ad ſacrum Ordinem non debere vel poſſe ullomodò revocari. Subdiaconi quoque, quos ſimilis culpa conſtringit, ab officio ſuo irrevocabiliter depoſiti, inter Laïcos communionem accipiant.* Et Epiſt. ſeq. *Si lapſis ad ſuum ordinem revertendi licentia concedatur, vigor canonicæ procul dubiò frangitur diſciplinæ, dum pro reverſionis ſpe pravæ actionis deſideria quis concipere non formidat. Fraternitas ſiquidem veſtra nos conſulit, ſi Amandinus ex Presbytero & Abbate, qui à ſuo eſt deceſſore culpa exigente depoſitus, in eo quo fuerat ordine conſtitutus, debeat revocari. Quod* TAMEN NEC LICET, NEC FIERI POSSE ALIQUA RATIONE DECERNIMUS. *Ejus tamen ſi converſio fortè meruerit, ſacro per omnia ſicuti eſt privatus officio, in monaſterio eum ante alios, ut prævideritis, Monachos ordinate. Illud igitur præ omnibus ſtudete, ut lapſos in ſacrum Ordinem nullius vobis ſupplicatio aliquo modo revocare ſuadeat, ne ejuſmodi non ſtatuta, ſed temporaliter eis dilata credatur eſſe vindicta.* Idem de tribus diaconis in peccatum lapſis eâdem Epiſtolâ ſtatuit. Et lib. 6. Epiſt. 39. *Poſtquam ergo quemquam criminaliter abſcedentem, in locum de quo lapſus eſt, nulla permittit ratio revocari, fraternitas veſtra in loco lapſi debet Epiſcopum ordinare.* Idemque decernit de Presbytero lib. 7. Epiſt. 25.

§. 3.

Gregorii locus his decretis contrarius certiſſimè à falſario confictus.

Neque audiendi ſunt qui objectant eundem ſanctiſſimum Pontificem aliter ſenſiſſe lib. 7. Ind. 2. Ep. 54. ad Secundinum, qui à Gregorio *requiſiiſſe* dicitur, *ut ſibi de ſacerdotali officio poſt lapſum reſurgendi autoritates ſcriberet.* Jam dudum enim docti animadverterunt ſpurium hoc additamentum eſſe, in Gregorianam Epiſto-

lam ab aliquo falſario inculcatum. Vidit hoc Morinus, & indicat, de adminiſtr. pœnitentiæ l. 4. c. 15. Ubi etiam rectè Iſidori Epiſtolam ad Maſſanum falſi accuſat.

Sed de Epiſtolâ ad Secundinum fidem faciunt & octo antiqua manuſcripta Anglica à Jameſio memorata, & vetuſtiſſimus codex Regiſtri Gregoriani, in Clarevallenſi cænobio aſſervatus; à quibus omnibus hæc abeſt lacinia.

Verùm ſi iſta minùs argumenta ſuppeterent, tamen fraus ſatis ſe ipſa prodit, adeo imperitè ac ſtulte compacta eſt. Primùm quid ſibi vult ſtylus ille à Gregoriano tam diverſus; aut ubi ſic unquam Gregorius locutus eſt: *De ſacerdotali officio poſt lapſum autoritates reſurgendi?* Et mox idem repetens: *Dicit ſanctitas tua, ſe diverſas ſententias inveniſſe, alias reſurgendi, alias nequaquam poſſe.* Quæ verò ad hæc reſpondere Gregorium mentitur impoſtor, boni ſenſus planè inania ſunt. *Ideò ſanctas nos generales Synodos à Nicænâ incipientes, hanc cum reliquis quatuor veneramur; quia ipſam ſequentes, cæteræ in cunctis canonicis ſententiis unanimiter concordant.* Reliqua parem inſulſitatem ſapiunt.

2. In hoc Gregorianæ ad Secundinum Epiſtolæ aſſumento diſertè ſtatuitur: *Sacerdotes lapſos poſt dignam ſatisfactionem ad Eccleſiæ miniſterium debere revocari.* Quis autem credat Gregorium, qui tot locis tam conſtanter affirmavit, ut jam vidimus, *ſacerdotes qui ceciderint ad ſacrum Ordinem non debere, nec poſſe ullomodò revocari*: Qui toties & tam ſeverè Apoſtolicâ autoritate prohibuit, *ne de ſacris Ordinibus lapſi, vel poſt pœnitentiam vel ante, ad officii ſui miniſterium revocarentur; quia id nec liceret, nec fieri ulla ratione poſſet*: Qui tam apertè pronuntiavit *ſacratis canonibus id interdictum eſſe*; quis credat, inquam, graviſſimum ſanctiſſimumque Pontificem eâ fuiſſe levitate, ut qui tam frequenter ex illorum canonum diſciplina Epiſcopos, presbyteros, diaconos, ſubdiaconos in crimen lapſos, *à ſacris Ordinibus irrevocabiliter depoſuerat*, ad Monachum incluſum ſcribens, ad quem minimè omnium hæc pertinerent, decreta ſua ipſe refigeret, ſuique immemor, leviſſimis ratiunculis perpetuam horum temporum diſciplinam ſibi perſpectiſſimam & acerrimè propugnatam labefactaret?

3. Quid indignius Gregorio eâ ratione, quâ probat iſtius additamenti autor, *ſacerdotes in carnale delictum lapſos, ad honorem ſuum eſſe revocandos*; *quia pauci*, inquit, *ſine carnali delicto inveniuntur?* Itane tam malè Gregorius de ſui temporis ſacerdotibus ſenſit? Vel hæc verba illius eſſe poſſunt, qui illa *carnis delicta* perpetuâ & irrevocabili depoſitionis ſententia plectenda eſſe, tam apertâ & decretoria ſententia definiverat? *Qui*, inquit, *poſt acceptum ſacrum Ordinem lapſus in peccatum carnis fuerit, ſacro Ordine ita careat, ut ad altaris miniſterium ulterius non accedat.*

4. Fingitur Secundinus à Gregorio poſtulaſſe conciliationem canonum, qui de ſacerdotum poſt lapſum reſtitutione diverſa ſanciverant. Nihil tamen ad hoc reſpondit falſus ille Gregorius; ſed neglectis canonibus indiſcriminatim aſſerit illos ad officium ſuum

ſuum poſt pœnitentiam eſſe revocandos. Fac tamen de aliorum decretis minùs fuiſſe ſollicitum (quod tamen in Pontificem Eccleſiaſticæ diſciplinæ amantiſſimum, & ſtrenuiſſimum canonum vindicem non cadit:) etiamne ſuorum oblivisci, etiamne non meminiſſe potuit, contrarium à ſe ipſo toties fuiſſe, non ſtabilitum modò; ſed in rem judicatam miſſum? Quis homo ſanæ mentis in tam verboſa diſputatione paucis ſaltem non explicaret, quomodò hæc ſua de revocandis ſacerdotibus decreta cum iis conſentirent, quibus eos minimè revocandos eſſe toties antè decreverat, hac ipſa graviſſima addita ratione, qua totum hoc figmentum corruit: *Si lapſis ad ſuum Ordinem revertendi licentia concedatur, vigor canonicæ procul dubio frangitur diſciplinæ; dum pro reverſionis ſpe, pravæ actionis deſideria quis concipere non formidat?*

5. Denique certiſſimum hujus impoſturæ indicium eſt, quod ſanctiſſimus Pontifex Martinus primus quinquaginta pòſt annis, de ejuſmodi Presbyteris ſeu diaconis, *qui poſt ordinationes ſuas in lapſu coinquinantur*, ad Amandum Trajectenſem Epiſcopum ſcripſit: *Nullatenus*, inquit, *in hujuſmodi peccato delinquentibus ad deſtructionem canonum compaſſionem exhibeas. Nam qui ſemel poſt ſuam ordinationem in lapſum ceciderit, deinceps jam depoſitus erit, nullumque gradum ſacerdotii poterit adipiſci: ſed ſufficiat ei lamentationibus fletibuſque aſſiduis, quòuſque advixerit, in eâdem pœnitentiâ addurare; ut commiſſum delictum divina gratia extinguere valeat. Si enim tales quærimus ad ſacros Ordines promovendos, quibus nulla ruga nullumque vitæ contagium præpediat; quanto magis ſi poſt ordinationem ſuam quiſpiam in lapſum ceciderit, & prævaricationis peccato deprehendatur obnoxius, omnino prohibendus eſt cum manibus lutulentis atque pollutis myſterium noſtræ ſalutis tractare? Sitque hujuſmodi ſemper juxta ſacrorum canonum ſtatuta in hac vita depoſitus; ut ab illo qui mentis interiora ſcrutatur, nullamque de ovibus errare congaudet, dum aſpexerit ſinceram pœnitentiam ejus, in terribili judicio habeat reconciliatum*, id eſt reconciliationem.

Cæcus profectò ſit qui non videat, ſi verè à Gregorio conſtitutum fuiſſet, ut ſacerdotes lapſi poſt pœnitentiam ad honorem ſuum revocarentur, quemadmodum in hâc ad Secundinum Epiſtolâ conſtituitur, id à Martino primo ignorari non potuiſſe; nec illum unquam ſic affirmatè dicturum, *hujuſmodi ſacerdotes juxta ſacrorum canonum ſtatuta perpetuo depoſitos manere debere*, ſi contraria Gregorii ſanctio in manibus omnium tunc fuiſſet.

§. 4.

Additamenti iſtius autorem videri Iſidorum, notiſſimum impoſtorem.

Hactenus de fraudis argumentis; cujus autorem ſi inveſtigare placuerit, in nullum probabiliùs eam conferri poſſe exiſtimo, quàm in illum Iſidorum Mercatorem, ſimilibus impoſturis celeberrimum: qui nobis octavo ſeculo tot ſpurias obtruſit epiſtolas, & ſub priorum Pontificum nomine venditavit. In primis hujus laciniæ barbaries Iſidorum mirificè ſapit, tam ſæpe figmenta ſua ſolœciſmis aſpergentem. Deinde huic homini ſolemne fuit multis

Pontificibus eadem commenta adſcribere. In Epiſtolâ verò Calixto affictâ iiſdem argumentis, iiſdem Scripturæ teſtimoniis ad inſtitutum ſuum malè detortis, iiſdem etiam nonnunquam verbis idem quod in illâ ad Secundinum Epiſtolâ probare nititur: *Indubitanter credendum eſſe, tam Domini ſacerdotes, quàm reliquos fideles poſt dignam ſatisfactionem poſſe redire ad honores: imo non errare modo, qui ſecus exiſtimant, ſed etiam contra traditas Eccleſiæ claves diſputare.* Qui ergo ſub Calixti perſonâ ſacratiſſimorum canonum conditores, omnem ſacerdotibus lapſis ad honorem priſtinum redeundi ſpem adimentes, tam impudenter *erroris* accuſare auſus eſt, idem ſancto Gregorio ſimile commentum affingere non dubitavit. Certè adeò ſimilis uterque fœtus, ut ab eodem parente prodiiſſe dubitandum non ſit.

Poſtremò tempus ipſum, quo primùm hic locus in Gregorio apparuit, eidem conjecturæ favet. Non enim, ut credo, ullus antiquior Hincmaro reperietur, qui hujus pſeudo-Gregoriani loci meminerit, quo tempore norunt omnes eruditi interpolatas Iſidori merces in Chriſtianum orbem invectas fuiſſe. Accedit quod Hincmarus ſimul affert Epiſtolam Calixti de hoc argumento, & fictitiam illam partem Epiſtolæ ad Secundinum. Sic enim inquit in Capitulis An. 852. c. 26. *S. Gregorius, quod & prædeceſſor ejus Calixtus ſcripſerat, de lapſis in ordine Eccleſiaſtico, ſed non detectis, interroganti ſe reſpondit: Nos præcedentes Patres ſequimur &c. quæ non alibi apud Gregorium, quàm in illa ad Secundinum Epiſtola reperiuntur.*

Cùm ergo nunc agnoſcant omnes eruditi, Epiſtolam quæ Calixti nomen præ ſe fert, ab Iſidoro Mercatore eſſe confictam, vix dubitandi locus eſt quin ab eodem quoque confictum ſit Gregorianum illud ſimilis planè & argumenti & ſtyli additamentum.

Extat de eodem argumento S. Iſidori Hiſpalenſis nomine ad Maſſanum Epiſcopum Epiſtola, ſed quam etiam ſpuriam eſſe jam diximus; & S. Iſidori eruditione omnino indignam docti conſentiunt, ut pote perpetuæ ejus doctrinæ manifeſtè contrariam. Videri poſſunt inſignes ejus loci in Epiſtolâ ad Helladium, & Lib. 2. de offic. Eccleſ.

§. 5.

Ex ſpuriis Calixti, Gregorii, & Iſidori Hiſpalenſis Epiſtolis, antiquæ erga ſacerdotes lapſos diſciplinæ collapſionem fluxiſſe.

Conſtitutam tot canonibus, de ſacerdotibus lapſis ad Ordinem ſuum non revocandis diſciplinam, impudenter ſub Calixti & Gregorii nomine ab audaciſſimo impoſtore labefactatam eſſe demonſtravimus. Quæ fraus quantùm Eccleſiæ exitioſa fuerit, hinc perſpici licet, quòd ex eâ maximè ſanctiſſimæ diſciplinæ collapſionem fluxiſſe, probari non difficilè poſſit. Nam qui adulteratas illas Epiſtolas graviſſimis Calixti & Gregorii, atque etiam Iſidori Hiſpalenſis nominibus cohoneſtatas primi legerunt, cùm fraudem non deprehendiſſent, tantæ autoritati repugnare non auſi, novis diſtinctionibus vim canonum elevare coacti ſunt, ne ſcilicet id convellerent, quod à ſanctiſſimis viris de ſacerdotum poſt pœnitentiam in

integrum

integrum reſtitutione ſtatutum fuiſſe falsò exiſtimabant. Si enim diligenter attendatur quicquid de lapſis ſacerdotibus ad ſtatum ſuum revocandis ſcriptum eſt, non aliunde quàm ex illis ſpuriis Calixti, Gregorii & Iſidori Epiſtolis ortum deprehendetur: quod nonnullis, iiſque illuſtribus exemplis demonſtrare non abs re erit.

Hincmarus Rhemenſis Archiepiſcopus in Capit. ad presbyteros, datis an. 852. acriter eos confutat *qui dicebant, non debere presbyterum vel diaconum de crimine confeſſum ſive convictum deponi; ſed tantùm ſuſpendi: quia*, inquiebant, *ſic poſſunt confeſſionem & pœnitentiam, ſicut & alii homines facere: Sed viderint*, inquit, *qualiter ſe à laqueo liberent quo ſe innectunt, ponentes in cœlum os ſuum, & loquentes adverſus ſacros canones, ut Leo dicit, Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentia conſecratos; qui* (canones) *ſequentes Apoſtolicam doctrinam, dicunt in crimine detectos non oportere ad Eccleſiaſticum gradum accedere, vel in clericatu manere, vel ad clericatum redire.* Quod poſtquam probavit luculentiſſimis Rom. Pontificum Leonis, Hilarii Gelaſii, Gregorii, & ſancti Auguſtini teſtimoniis, in quibus ne minimum quidem inter detecta & occulta crimina diſtinctionis veſtigium apparet; huc tamen relabitur, id demum in manifeſtis criminibus locum habere, ut quod à Calixto & Gregorio ſtatutum fuiſſe exiſtimabat de ſacerdotibus lapſis in locum ſuum revocandis, in occultis ſaltem lapſibus ſervaretur. *Lapſos autem*, inquit, *in ordine Eccleſiaſtico, ſed non detectos judicio Dei committimus; cujus miſericordiæ, ut Leo dicit, nec menſuras poſſumus ponere, nec tempora definire..... Et S. Gregorius* (*quod & prædeceſſor ejus S. Calixtus ſcripſerat*) *de lapſis in Ordine Eccleſiaſtico, ſed non detectis, interroganti ſe reſpondit: Nos præcedentes Patres ſequimur* &c. Quæ verba deprompta ſunt ex adulterinâ Epiſtolâ ad Secundinum. Hâc ſolâ fretus autoritate mox addit: *Sic nimirum erga lapſos atque detectos cum Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ doctrinâ, ſacrorum canonum ſeveritatis cenſuram ſequimur: ſic de lapſis, ſed non detectis*, PECCATA SUA PERFECTE LUGENTIBUS, *cum Eccleſiâ Catholica de omnipotentiſſima Dei benignitate ſentimus..... Ita Apoſtolica ſedes ſibi ipſi adverſa non eſt, quæ ſecundum ſacros canones de manifeſtis peccatis confeſſos ſive convictos à gradu Eccleſiaſtico jubet deponi: & non publicè confeſſos, vel legaliter ac regulariter convictos, damnari ac degradari nulla ratione permittit.* Quibus autem autoribus Apoſtolica ſedes id non permittit? Non aliis quam Pſeudo-Calixto, & pſeudo-Gregorio, qui de quibuſcunque criminibus, nulla inter detecta & occulta diſtinctione ſervata generatim ſanciunt, *ſacerdotes in carnale delictum lapſos ſuſpendi tantummodò, non deponi debere.* Idque Petri Chriſtum negantis exemplo confirmant, cujus profectò crimen occultum non fuit. Unde patet Apoſtolicam ſedem reverà ſibi adverſam fore, ſi quod impoſtor Calixto & Gregorio affinxit, Apoſtolicæ ſedi adſcribendum foret.

S. Anſelmus Cantuarienſis Epiſcopus, iiſdem Calixti & Gregorii adulterinis Epiſtolis in fraudem inductus, in Epiſt. 65. negat *aſſerendum eſſe de lapſis ſacros Ordines habentibus, & ſpontaneâ humilitate ſecretè quibus debent confitentibus, quòd eiſdem Ordinibus ampliùs uti nulla-*

nullatenus poſſint, ſi per ſacrificium ſpiritus contribulati, cordiſque contriti & humiliati Deum placantes, ad virtutum profectum ſtudiosè contenderint.... Qui autem, inquit, *huic ſententiæ, quæ ad Sacri Ordinis officium reditum poſt lapſum concedit, nequaquam aliqua ratione, niſi autoritate fulciatur divinarum ſcripturarum, vult conſenſum adhibere; legat Epiſtolam B. Calixti Papæ, decretum univerſis Epiſcopis per Galliam conſtitutis, & B. Gregorii ad Secundinum incluſum, ubi ipſi hanc ſententiam ſic firmis & pene eiſdem rationibus confirmant, ut nullatenus aliorum probatione indigeat.* Vix aliter Anſelmus, Apoſtolicæ ſedis obſervantiſſimus, de illis Epiſtolis ſentire potuit, quas à ſanctiſſimis Pontificibus ſcriptas fuiſſe non dubitabat; aliter profectò locuturus, ſi fraudem eſſet odoratus. Nam quæ ipſi hoc errore occupato firmæ viſæ ſunt ex Scriptura petitæ rationes, vel nimis probant, vel nihil. Cùm enim ad manifeſta æque ac ad occulta, ut notat Morinus locis ſupra citatis, crimina pertineant; ſi illis conficitur, in occultis criminibus ſacerdotibus lapſis ad ſacros ordines poſt pœnitentiam reditum eſſe concedendum; pariter etiam conficeretur idem ſervandum eſſe in manifeſtis; maximè cùm plebis ſcandalum vitari poteſt, presbyteris ad alias Eccleſias ablegatis. Quod tamen à Beato ipſo Gregorio interdictum eſſe Anſelmus continuò agnoſcit. *Sed quoniam*, inquit, *idem B. Gregorius in aliis ſuis quibuſdam* Epiſtolis *ſtudiosè prohibet; ne ſibi ipſe contrarius ſit, de apertis quidem prohibuiſſe, de occultis verò* POST CONDIGNAM POENITENTIAM *conceſſiſſe intelligitur.*

Clariùs id etiam demonſtrant antiqui recenteſque canonum collectores, Burchardus, Ivo, Gratianus, Antonius Auguſtinus: qui cùm in hâc quæſtione verſantur, hinc multa Pontificum, Conciliorum, Patrum ſolida & germana loca congerunt, quibus lapſi ſacerdotes in perpetuum ſacris miniſteriis abdicantur: illinc iſta fictitia Calixti ad Gallos, Gregorii ad Secundinum, Iſidori ad Maſſanum opponunt loca; quibus perturbati atque diſtracti, ad varias diſtinctiones confugiunt, ad illamque præſertim de criminibus manifeſtis & occultis. Videſis Burchardum lib. 19. c. 42. & 43. Ivonem Decreti parte 6. cap. 78. 79. 80. 83. 85. Gratianum diſt. 50. & Antonium Auguſtinum in Pontificii juris veteris epitome lib. 6. tit. 46. & lib. 25. tit. 21.

Ex quibus patet verè & ſcienter affirmaſſe Morinum l. 4. c. 15. *per mille & amplius annos ſacerdotibus ſive clam, ſive palam in carnis flagitia lapſis, reditum ad ſuam dignitatem nullum patuiſſe.*

§. 6.

Flagitioſam eſſe Maſcarenhæ & Baunii doctrinam, etiam ex collapſâ Eccleſiæ diſciplinâ probatur.

Certis, ut nobis videmur, argumentis oſtendimus, veram hanc & germanam eſſe Eccleſiæ diſciplinam, multis canonibus conſtitutam, & per mille & ampliùs ſecula religioſè ſervatam; ut ſacerdotes qui crimen aliquod, & præcipuè luxuriæ ſuſcepiſſent, per omnem vitam ſacris miniſteriis arcerentur, laïcâ poſt actam pœnitentiam communione contenti.

Planum

Planum deinde fecimus hanc ſanctiſſimam ſeveritatem, non aliquo temperatam Eccleſiæ decreto, ſed conſuetudine potiùs contra mentem ejus invaleſcente, exoleviſſe; cui clariſſimi Eccleſiæ viri falſis illis Gregorii & Calixti decretis decepti, minùs fortiter repugnarunt, ne tantis Pontificibus adverſari viderentur.

Verùm obiter cernere licuit in illo ipſo fatiſcentis diſciplinæ defluvio deteſtatam tamen omnibus ſemper fuiſſe novam illam Jeſuitarum corruptelam, quâ ſacerdotes à nefandis abominationibus adhuc recentes, interpoſitâ ſolius confeſſionis morâ, ad ſacratiſſima myſteria ipſis Angelis tremenda propellunt. Omnibus enim illis ſcriptoribus à nobis allatis, qui ſacerdotes hujuſmodi criminum reos, in integrum reſtitui poſſe exiſtimarunt, certum tamen fuit nonniſi *poſt actam pœnitentiam*, eamque ſceleribus ſuis *condignam, eſſe reſtituendos*. Sic Hincmarus lapſis tantùm *peccata ſua perfectè lugentibus* eam indulgentiam concedit. Sic Anſelmus tunc demum *ſuis Ordinibus uti poſſe lapſos* illos ſacerdotes cenſet, *ſi per ſacrificium ſpiritus contribulati, cordiſque contriti Deum placantes, ad virtutum profectum ſtudiosè contenderint: Si pro illis ſupplicet humilitas, ſuggerat contritio, intercedat vitæ mutatio.* Quod quia explorari niſi per tempus non poteſt, ideò illis *neceſſarium* cenſet, ſi non in perpetuum, ſaltem *ad tempus abſtinere.* Ipſi denique Canoniſtæ, non eam quæſtionem inſtituunt, utrùm ante peractam pœnitentiam poſſint lapſi ſacerdotes in integrum reſtitui: illud tantùm quærunt, an etiam poſt peractam.

Nefariè igitur & contumeliosè in Eccleſiam Maſcarenhas decretum ſuum totius orbis conſuetudine confirmari aſſeruit. Nec ita prolapſa eſt Eccleſiæ diſciplina, nec verò etiam ita prolabi poteſt, ut iſta liceant. Nam ut extinguatur poſitiva lex; extingui tamen non poteſt ratio naturalis, & ipſe communiſſimus pietatis & reverentiæ erga ſanctiſſimum ſacramentum inſtinctus, qui tantam impudentiam refugit, horret, deteſtatur.

Atenim eluit omnia ſcelera confeſſio, quam præmitti volunt: utique ſi eam vera cordis converſio comitetur, quam ſibi non adeſſe certiſſimum ille præbet indicium, cui tanta impudentia ſit, ut ſic pollutus audeat de adeundo altari cogitare? Perpetuam ſacerdotibus caſtitatem Eccleſia ſemper indixit, lege Euangelio ipſi coævâ; quam etſi non teneant Græci ſacerdotes, tamen ipſi, quoties altaribus miniſtrant, temporariam ſaltem caſtitatem ſervant. Quî poſſit igitur fieri, ut quem verè Deus ad ſe convertiſſet; cujus oculis hinc fœditatem ſuam ac turpitudinem, illinc tanti myſterii, etiam caſtis, etiam innocentibus, etiam angelis tremendam ſanctitatem ſubjeciſſet; ad illud tamen impuras manus, impuriorem animum, & libidinibus adhuc calentem inferre non reformidet?

Quanquam quod cenſent vulgò fieri, ut in crimina lapſi ſacerdotes, poſt unam aut alteram horam ad accipiendam abſolutionem parati ſint, perniciosiſſimo errore tenentur. Quò major eſt ſacerdotalis gratia; quò celſior illius Ordinis dignitas; eò graviori lapſu inde deciditur, eò difficiliùs poſt lapſum ſurgitur. Non vulgaris, ſed

horribilis quidam eſt lapſus, quo ſacerdos ad dignitatem evectus angelicâ majorem, ad ſtatum decidit longè miſeriorem, quàm ſit Turcarum aut Infidelium ſtatus. Nam quod in eo manet character, ad augendum illius crimen, ad augendam infelicitatem manet. Paucos omnino hinc erigit Deus, & per veram pœnitentiam ad ſe revocat: & cùm id facit, ſi uſitatum gratiæ ordinem attendamus, non ſtatim facit, nec continuò in homine maturam illam accipiendæ cum fructu abſolutioni affectionem operatur. *Fateor*, inquit inviſus Jeſuitis ſcriptor, at Epiſcopis Galliæ probatiſſimus, *quemvis ſceleratiſſimum ab impietate ad pietatem puncto temporis traduci poſſe, omiſſiſque tot moris & conditionibus, repente reconciliationi idoneum fieri, aſſentior id etiam aliquando contigiſſe. Verùm ad illa exempla cum Bernardo reſpondeo, non tam exempla eſſe quàm miracula in ipſo gratiæ ſtatu, qui totus per ſe miraculis conſtat: mutationes illæ ſunt dexteræ excelſi; inuſitata miſericordiæ nullis ſubjectæ legibus opera, quibus ſolemnes leges non ſunt perturbandæ. Has enim ad maximè vulgarem ordinem expendi convenit, quemadmodum medicinæ inſtitutiones familiari naturæ curſu diriguntur. Converſiones autem & motus in hominum animis ita celeres gratia efficere non ſolet. Divinus quidam dies eſt, ut præclarè magnus Gregorius: hic itidem, ut ille naturæ, habet diluculum, habet progreſſum; ſenſim ac pedetentim augeſcit; ac crebeſcente luce mentium noctem tenebraſque depellit. Novus homo ſicut & vetus, non repentè fingitur: rudiores habet progreſſus, nec niſi longo pòſt tempore naſcitur Eſt igitur cur prudens animarum rector vehementiùs pertimeſcat, ne abortiones tantùm præproperâ illâ feſtinatione procuret: eſt cur vereatur, ne quandoque à Deo arguatur, quòd in ſpirituali animarum generatione eo modo ſe geſſerit ac corporis mater; quæ ut primum prægnantem ſe ſentiat, fœtum excutere conetur, quò citius vitæ ac lucis particeps fiat, naturalique cuſtodiâ liberetur. Sic prorſus nonnulli ſacerdotes adverſus peccatores benigni videntur, ſi eis præcipiti abſolutione vincula relaxent, eoſque per ſacramenta quaſi in lucem edere properarint: nec attendunt, inconſultæ illius matris inſtar primam in ipſis exorientis vitæ ſcintillam obruere: qui ſi gratiæ ſolitum curſum tenuiſſent, eoſque viâ ac ratione ab Euangelio præſcriptâ, hoc eſt, precibus, jejuniis, eleemoſynis, aliiſque piis operibus ad perfectiora pœnitentiæ ſtudia paulatim evexiſſent, procedente tempore ad veram eos ac ſolidam converſionem perducere potuiſſent.* Hanc doctrinam ille non ex ſe didicerat; ſed ex Patribus, & præcipuè ex ſancto Thomâ expreſſerat: qui aſſerit diſpoſitiones ad gratiam uſitatè non niſi per tempus in animum à Deo immitti, & converſiones illas ſubitas miraculis accenſet. *Contingit*, inquit 1. 2. q. 112. art. 2. ad 2. *quandoque quòd Deus movet hominem ad aliquod bonum, non tamen perfectum; & talis præparatio præcedit gratiam. Sed quandoque ſtatim perfectè movet ipſum ad bonum, & ſubitò gratiam homo accipit, ſecundum illud Ioannis 6. Omnis qui audit à Patre & didicit, venit ad me. Et ita contigit Paulo, qui ſubitò cùm eſſet in progreſſu peccati, perfectè motum eſt cor ejus à Deo audiendo, & addiſcendo, & veniendo: & ideò ſubitò eſt gratiam conſecutus.* Et ibid. q. 113. art. 10. in quo quærit utrum juſtificatio impii ſit miraculoſa. *Eſt*, inquit, *communis & conſuetus curſus*

juſti-

juſtificationis, ut Deo movente interiùs animam, homo convertatur ad Deum: primò quidem converſione imperfectâ, ut poſtmodùm ad perfectam deveniat: quia charitas inchoata meretur augeri, ut aucta mereatur perfici, ſicut Auguſtinus dicit. Quandoque verò tàm vehementer Deus animum movet, ut ſtatim quandam perfectionem juſtitiæ aſſequatur, (ſicut fuit in converſione Pauli) adhibitâ etiam exteriùs miraculosâ proſtratione: & ideò converſio Pauli tanquam miraculoſa in Eccleſiâ commemoratur celebriter.

Hoc videlicet ſpectarunt SS. Patres, cùm pœnitentes tam longis pœnitentiæ officiis ad percipiendam abſolutionis gratiam præpararent, medicorum in hoc ſolertiam imitati. *Medicus*, inquit Ambroſius in Pſal. 37. *medendi tempus expectat, ut digeſtis ægritudinibus, medicinæ ſubſidia deferantur, ne acerba adhuc & immatura, ut aſſerunt, ægritudo curationis remediis reluctetur, & beneficium ſentire non poſſit. Nam etiam medendi periti, cùm vident notas ægritudines, ut ipſi appellant, medicinam quidem non adhibent, ſed tamen medicinæ tempus expectant: nec deſerunt invalidum; ſed lenioribus verbis, aut quibus poſſunt palpant delinimentis: ne aut intermiſſa ægritudo deſperatione animi graveſcat, aut crudior medicinam reſpuat; eo quòd ad maturitatem pervenire nequeat, ſi indigeſtæ inſolens rerum hujuſmodi medicus adhibeat manus.* Ergo non modo non Euchariſtiâ, non ſacrificii aditu; ſed nè abſolutione quidem ſacerdotes illi flagitioſi, adhuc libidinum ſuarum æſtu flagrantes omnino dignandi ſunt; non quia converſis abſolutionem differre neceſſe ſit; ſed quia pro converſis habendi non ſunt.

Sin autem reperti quidam fuerint quorum ſingulari miraculo Deus puncto temporis animum immutarit, & quibus verum ſpurcitiarum ſuarum dolorem, verum ac firmum melioris vitæ propoſitum immiſerit, næ illos ſacris altaribus arcere neceſſe non erit. Ipſe enim eos inde pœnitentiæ ſpiritus vel nullo monente, removebit. Videbunt indignum & injuſtum eſſe, ut qui modò animum & corpus luxuriâ polluit, ſanctum ſanctorum impuris manibus audeat contrectare: ut pro totâ Eccleſiâ ſacrificet is, qui Eccleſiæ precibus ad obtinendam flagitiorum ſuorum veniam eget: ut placare Deum attentet, propter quem, ut ait Pacianus, *laboratura eſt tota fraternitas*: ut qui violatâ baptiſmi & ſacerdotii ſanctitate infra infideles ſe dejecerit, in ſacerdotum, id eſt, perfectiorum ſtatu maneat. Hi germani & genuini motus miſeri ſacerdotis, quem veræ pœnitentiæ ſpiritus tangat. Quælibet alia pœnitentia non modò ſuſpecta, ſed apertas præfert falſitatis notas. Non enim verè pœnitet, niſi qui congruam ſatisfactionem obire vult. Nihil autem congruentius ſacerdoti lapſo, quàm ut ad lapſorum ſtatum non tranſeat, ſaltem ad aliquod tempus: quàm ut Sacerdotii muneribus abſtineat, qui Sacerdotium commaculavit, & ſacerdotalem gratiam amiſit. Ergo aut ſic affectus non erit, atque ita pœnitens non erit; adeòque & ab altari, & ab abſolutione rejiciendus: aut ſic animo conſtitutus ad Confeſſarium accedet, ac ſe ipſe ſacris miniſteriis judicabit indignum. Hunc igitur cur ad altare mitteret Confeſſarius, qui ſibi à

Concilio Tridentino præcipi novit,ut pro modo criminum condignum imponat pœnitentiæ modum; qui novit ab eodem Concilio omnes antiquos canones,qui ad Sacerdotes pertinebant,eſſe renovatos. Cur ergo vereatur omnibus obtemperare Conciliis, omnium Pontificum parere decretis, omnium Patrum vocem audire?

Ex his omnibus patet quàm impiè Maſcarenhas omnes illas Eccleſiæ leges abolitas prædicet. Primum enim falſum eſt penitus illas aboleri potuiſſe, cùm aliquid divini juris includant; ſecluſâ enim omni lege, ac ſpectatâ ſolùm naturâ & inſtitutione Sacerdotii, diviniſſimique ſacrificii ſanctitate, indignum ac Deo contumelioſum eſt, ut à ſcortationibus, imò quod longè pejus eſt, ab illis flagitiis quæ *non crimina*, *ſed monſtra* Tertullianus appellat, Sacerdos interjectâ Confeſſionis morulâ ad altaria prodeat. Deinde falſum eſt prorſus uſu abolitas fuiſſe, cùm & à Concilio Tridentino renovata ſint illa Decreta, & à bonis omnibus, ſaltem aliquâ ex parte ſerventur; imò etiam ab improbis. Haud ſcio enim an nullus ſit tam profligatus & perditus ſacerdos, qui hac in re probantibus, laudantibus, ſuadentibus audeat parere Jeſuitis.

§. 7.

Horrenda Eſcobarii doctrina repræſentatur.

Similis impudentiæ eſt quartum exemplum quod à Montaltio in Litteris vernaculis obſcurè perſtringitur, ſed à me referri non erit alienum latinè ſcribente.

Nulla ſunt magis deteſtanda, atque à Chriſtianorum, & maximè ſacerdotum ſanctitate magis abhorrentia crimina, quàm *illæ*, ut loquitur Tertullianus, *libidinum furiæ in corpora*, *in ſexus*, *ultra jura naturæ*. Horum reis ne in fine quidem dandam eſſe communionem, Elibertanum Concilium decernit. Ancyranum, quod tantiſper egit cum eis remiſſiùs, non breviorem quam viginti annorum pœnitentiam indicit. Hujus decreta anno 789. in Concilio Aquiſgranenſi. cap. 49. & anno 829. in Concilio Pariſienſi renovata ſunt. Poſtremò varii Pontifices, & proximè Pius V. dignam tanto Pontifice edidit ſanctionem his verbis conceptam: *Horrendum illud ſcelus quo pollutæ fœdatæque civitates à tremendo Dei judicio conflagrarunt, acerbiſſimum nobis dolorem inurit, graviterque animum noſtrum commovet, ut ad illud quantum poteſt comprimendum, ſtudia noſtra conferamus. Sanè Lateranenſi Concilio dignoſcitur conſtitutum, ut quicunque Clerici illa incontinentia quæ contra naturam eſt, propter quam ira venit in filiòs diffidentiæ, deprehenſi fuerint laborare, à Clero dejiciantur, vel ad agendam in monaſteriis pœnitentiam detrudantur. Verum ne tanti flagitii contagium impunitatis ſpe, quæ maxima peccandi illecebra eſt, fidentius invaleſcat, clericos hujus nefarii criminis reos, gravius ulciſcendos deliberavimus; ut qui animæ interitum non horreſcunt, hos certè deterreat civilium legum vindex gladius ſecularis. Itaque quod nos jam in ipſo Pontificatus noſtri principio hâc de re decrevimus, pleniùs nunc fortiùſque perſequi intendentes, omnes & quoſcunque presbyteros, & alios clericos ſeculares, cujuſcunque gradus & dignitatis, tam dirum nefas*

exercentes, omni privilegio clericali, omnique officio, dignitate, & beneficio Eccleſiaſtico præſentis canonis autoritate privamus.

Impius ſit qui non agnoſcat, non tam novum aliquod ab iſto Pontifice jus conſtitutum, quàm veteribus decretis, imo rationi & pietati obtemperatum. Quando enim, niſi his locis illud uſurpabitur Zozimi dictum: *Removendæ à ſancto corpore putridæ carnes, & à maſſâ ſanctificationis acidum execrandumque fermentum.* Et tamen vide quo pacto Bullam illam ludificetur Eſcobarius, Tr. 1. Exam. 8. num. 102. *Num Bulla Pii V. contra clericos ſodomitas obliget in foro conſcientiæ? Henriquez ſentit uſu non eſſe receptam probabiliter, nec in conſcientiæ foro obligare. Quod ſi uſu recepta ſit, clericus fœminam in indebito ſubigens vaſe, non committit propriè ſodomiam; quia licet non ſervet debitum vas, ſervat tamen ſexum. Nec incurrit ex Suario pœnas Bullæ intra vas maſculi ſemen non immittens, quia delictum non eſt conſummatum. Nec ex eodem qui non niſi bis aut ter in Sodomiam ſunt lapſi: quia Pontifex has pœnas clericis exercentibus ſodomiam infligit. Nec (adhuc ex Suario) ante ſententiam judicis declaratoriam pœnas Bullæ in foro conſcientiæ incurrunt: quia nulla lex pœnalis obligat homines ad ſe prodendum. Colligo clericum exercentem Sodomiam, ſi ſit contritus, etiam retento beneficio, officio, & dignitate, omnino eſſe abſolvendum.*

Non placet in iſtis ſordibus diutiùs verſari. *Valeat*, inquit Auguſtinus, *ad ſeipſam perſuadendam ipſa evidentia:* valeat ad Chriſtianos ab iis avertendos ipſa improbitas, & non occulta, ſed oculis ultro ſe ingerens iſtius dogmatis fœditas. Dignentur modò illam contueri Jeſuitæ: nec deſpero fore ut ipſos quoque ſuæ doctrinæ, ſui Eſcobarii pudeat.

Nota III.

Baunii ſententia de famulis bona dominorum occultâ compenſatione ſurripientibus à duabus Facultatibus, Pariſienſi & Lovanienſi, damnata.

Impoſturæ 12. quâ Baunii doctrinam furtum famulis concedentis apertè defendunt Jeſuitæ, ſatis eſt opponere duarum præſtantiſſimarum Facultatum judicium, Pariſienſis nempe & Lovanienſis.

Pariſienſis cenſura anno 1641. in Baunium lata, & omnes ejus reſtrictiones afferens, ſic habet: *Falſa eſt & periculoſa, etiam additis reſtrictionibus; & domeſticis furtis viam aperit.*

Lovanienſis, quæ Baunium non nominat, his verbis concepta eſt: *Famuli & famulæ domeſticæ poſſunt occultè heris ſurripere ad compenſandam operam ſuam, quam majorem judicant ſalario quod recipiunt. Hæc aſſertio falſa eſt, naturam hominis de ſe pronam ad malum præcipitans in furta, ac domeſticam pacem perturbans; eò vel potiſſimùm, quod iſta compenſatio ipſorummet famulorum & famularum judicio relinquitur.*

At quòd eam ſententiam etiam ex Patrum autoritate repetunt, inauſpicatò hîc primùm Patribus utuntur. Quorſum enim pertinet quod ex Tertulliano afferunt de Iſraelitis Ægyptiorum bona ſurri-

ſurripientibus, quaſi quidquam eſſet diſſimilius? Jus habebant Hebræi in illa Ægyptiorum bona propter acceptas ab illis injurias; & præterea Dei juſſu eorum domini facti erant. Sed nec famulis jus eſt in domini bona qui pactis non deeſt; nec Deus illis, itidem ut Iſraëlitis, bonorum domini ſui poſſeſſionem adjudicavit. Idem de Jacobo dici poteſt, qui non ſibi ſumpſit quod non debebatur; ſed arte providit ne quæ conventione ſua erant, à ſocero ſibi contra jus eriperentur. Quàm autem alienus fuerit à ſurripiendis ſoceri bonis ex pacto ſibi non debitis, nòn aliunde meliùs diſci poteſt, quàm ex ipſius Jacobi verbis. Ecce enim quàm hoc ſibi à Labano exprobratum indignè ferat: *Quam ob culpam meam, ob quod peccatum meum ſic exarſiſti poſt me, & ſcrutatus es omnem ſupellectilem meam? Quid inveniſti de cunctâ ſubſtantiâ domus tuæ?*

Verùm ſatis multa de illo capite, ſuper quo ſatius erit Jeſuitas ad Senatum Pariſienſem remittere, quàm operoſè de re certiſſimâ diſputare.

EPISTO-

EPISTOLA SEPTIMA AD PROVINCIALEM.

Lutetiæ Pariſ. VII. *Kal. Maij 1656.*

Poſtquàm commodum illum Jeſuitam Joannes Albani hiſtoriunculâ nonnihil perturbatum hâc ſponſione placavi, ejuſmodi narrationes nullas me deinceps inculcaturum, inceptum ille ſermonem proſecutus, commoda nobilibus ſuorum decreta his ferè verbis recenſuit.

Non es neſcius, inquit, in hoc hominum genere cæterorum affectuum imperioſam eſſe honoris & gloriæ cupiditatem: hâc illi ſæpiſſime ad vim aliis inferendam impelluntur, quo nihil à Chriſtianâ pietate alienius videri poteſt. Itaque omnes ferè à tribunalibus noſtris arcendi forent, niſi de ſeveritate Religionis aliquid remiſiſſent noſtri Doctores, ut ſe ad hominum imbecillitatem attemperarent. Nam ut ab Euangelii præceptis deſciſcere vetabat ſingularis ipſorum in Deum pietas, ſic rurſum urgebat charitas hominibus nonnihil indulgere. Omnem ergo animi ſui ſolertiam ad excogitandas ſubtiles quaſdam rationes adhibuerunt, quibus res tam æquâ temperatione componerentur, ut conſcientiæ integritatem ſervare, & honorem nihilominùs tueri, ac injurias viâ pervulgatâ perſequi fas eſſet, quò ſtudium honoris & Dei cultus, licet inter ſe maximè oppoſita, ſimul tamen poſſent à viris militaribus retineri.

Sed quò conſilium iſtud utilius, hoc erat etiam ad exequendum difficilius. Nam tu, credo, iſtius incœpti & magnitudinem perſpicis & laborem. Hîc ego ſatis frigidè: Utrumque miror, inquam. Ille autem: Miraris, inquit: equidem facilè credo; quis enim non miretur? An tu illud neſcis, hinc lege Euangelicâ præcipi *ne quis malum pro malo reddat,*

reddat, & ne quis Deo præripiat ultionem : illinc mundi legibus ſanciri ne quis inultas patiatur injurias, ſed eas quiſque vel ſanguine inimicorum eluat. Quæ poſſunt inter ſe magis adverſa cogitari? Tu tamen cùm ea dico à Patribus noſtris in concordiam adducta, lentè reſpondes te te mirari! Rectè mones, inquam: levius omnino hoc verbum pro rei magnitudine; verùm non ſatis eloquebar quid ipſe ſentirem. Enimverò tantùm hoc cenſeo, ut nullâ ratione fieri poſſe prorſus arbitrarer, niſi ſæpius eam in Patribus veſtris expertus eſſem induſtriam, ut non difficilè eò pertingant, quod cæteris non dicam arduum, ſed inacceſſum eſt. Hinc aliquam ab iis inventam rationem ſuſpicor, quam neſciens admiror, quam te explicante cognoſcere aveo.

Tum ille: Quandoquidem, inquit, iſtuc in eam partem accipis, facere non poſſum quin tibi morem geram. Sic habeto igitur, mirabile illud inventum magna illâ & latiſſimè fusâ *dirigendæ intentionis methodo* contineri; cujus tantùm in noſtrâ morum inſtitutione momentum eſt, ut eam probabilitatis doctrinæ ferè æquipararim. Atque illius quidem methodi nonnullos fructus in quibuſdam eorum quæ commemoravi decretis, jam tu præcerpere potuiſti. Cùm enim docui quâ ratione famuli citra culpam nonnullis officiis valde lubricis fungi poſſent, animadvertere poteras hoc confici animo ab ipſis flagitiis averſo, & ad rediens inde lucrum converſo. Hoc illud eſt quod *intentionis directionem* appellamus. Ita qui pro ſacerdotiis pecunias offerunt, ſine hoc animi flexu certiſſimi ſimoniaci forent. At nunc ſingularis illa methodus in cædibus noxâ purgandis, omni ſuo ſplendore fulgens exhibenda eſt, ut ex tanto opere conjicias quid ab eâ ſperari poſſit.

Cerno jam animo, inquam, nihil omnino illicitum fore, nec quicquam exceptum iri. Tibi, inquit, illud vitium eſt, ut vel in hoc, vel in illud extremum ruas, nuſquam in medio reſiſtas: facito, ut illud emendes. Nam ut noris quàm

non

non omnia permittantur à noſtris, hoc ſcito, nulli ipſorum unquam probatum eſſe, ut quis peccandi voluntatem habeat propter ſolum peccandi propoſitum. Itaque ſi quis nullum alium præter ipſum peccatum finem ſibi præſtituat, cum hoc ſtatim diſſidium facimus. Diabolicum iſtud prorſus eſt: hoc nulla ætatis, nulla ſexus, nulla dignitatis ratio prætexat. At ſi quis ab iſtâ mentis pravitate diſceſſerit, tum dirigendæ intentionis methodum adhibemus, in eo ſitam ut in ſuis quiſque actibus licitum aliquem finem intueatur. Nos quidem pro virili homines etiam ab illicitis rebus abſterremus: at ubi actum ipſum impedire non poſſumus, ſaltem intentionem dirigimus, ut actionem per ſe nocentem emendet finis innoxius.

Hâc ratione noſtri cædes, percuſſiones, ac cæteras defendendi honoris, ut loquuntur, vias licitas effecerunt. Nihil enim aliud opus eſt, quàm ut animus abſtrahatur à cupiditate vindictæ, & ad tuendi honoris voluntatem conferatur. Alterum enim nefandum: alterum ex Patribus noſtris vitio caret. Sic Deo ſimul & hominibus ſatisfacimus. Actus ipſos expetunt homines, intentionem Deus: ergo hominibus actus, Deo intentionem concedimus. Hoc veteribus ignoratum eſt, hoc Societati noſtræ maximè debetur. Quid tu ad hæc? Intellexiſtin? Probe, inquam; ſcilicet hominibus datis exteriorum actuum veluti corpus & rudem materiam; at Deo interiorem illum intentionis flexum relinquitis; atque iſtâ tam æquâ partitione cum divinis legibus humanas cupiditates copulatis. At quod ſimpliciter dictum ſit, tantis promiſſis nonnihil diffido, mi Pater; vereorque ut Doctores tui tam longè quàm tu progreſſi ſint.

Tum ille: Iniquiùs, inquit, de me exiſtimas. An tu quidquam à me afferri putas quod probare nequeam? Imò verò tot teſtimonia congeram, ut illorum numerus & pondus ſtupori tibi futurum ſit. Nam ut tu Evangelicas leges cum ſeculi inſtitutis hoc dirigendæ intentionis artificio con-

conjunctas perſpicias, auſculta quæſo quid dicat Reginaldus in praxi l. 21. n. 62. p. 260. *Vindicare propriè eſt velle reddere malum pro malo; quod illicitum eſt privatæ perſonæ, per illud ad* Rom. 12. *Nulli malum pro malo reddentes: & illud Eccleſiáſt.*38. *Qui vindicari vult, à Domino inveniet vindictam, & peccata illius ſervans ſervabit: & demum illud quod habetur* t. 6. & 18. *Matthæi de condonandis offenſis.* Ibi tum ego: Si poſt hæc Reginaldus à Scripturâ diſſentiat, non imprudens certè diſſentiet. Quid igitur tandem ſtatuit? Me vide, inquit. *Cùm hæc ita ſint*, ait, *patet illud rationem defenſionis, non vindictæ habere, quòd homo militaris eum à quo vulneratus eſt, inſequatur; non quidem ut malum pro malo reddat, ſed ut conſervet honorem ſibi ablatum* &c. Attendiſne quàm ſtudioſè mali pro malo reddendi propoſitum prohibeat, quia prohibetur à Scripturâ? Nuſquam illud in noſtrorum ſcriptis toleratum reperies. Vide enim quid referat & probet ex Victoriâ Leſſius de Juſt. & jur. l. 2. c. 9. d. 12. n. 79. *Qui colaphum accepit, poteſt ſtatim repercutere, etiam cum gladio; non ad ſumendam vindictam, ſed ad vitandam infamiam & ignominiam.*

Adeò autem vindictæ cupiditatem improbant noſtri, ut etiam inimicis mortem optare malevolo animo vetent. Graviter enim Eſcobarius Tr. 5. Ex. 5. n. 145. *Potes hoſti tibi alioqui valde nocituro mortem exoptare; non odio, ſed ad vitandum damnum tuum; & de morte ejus gaudere ob bonum inde ſecutum.* Nam adſit modò illa intentio, ita legitimum eſt iſtud deſiderium, ut magnus Hurtado de Mendoza è Societate noſtrâ dicere non ſit veritus: *Si inimicus injuſtè eſt me vexaturus, ego poſſum deſiderare & orare Deum ut eum è vivis tollat, ſi aliter inferenda mala vitari non poſſunt.* Habes hunc locum de ſpe & char. vol. 2. diſ. 15. ſec. 4. §. 48. apud Dianam part. 5. tr. 13. reſol. 48. Malè factum, inquam, mi Pater, quod ejuſmodi precationes in officii divini librum Eccleſia inſerere oblita eſt. Quaſi verò, inquit, omnium quæ poſſunt à Deo poſci, ibi precationes extent.

Deinde

Deinde nec talis precatio omnino inſeri in Breviarium poterat: eſt enim Breviario recentior: rationes temporum non bellè ſubducis. Audi in eandem ſententiam Gaſparem Hurtadum ſocium item noſtrum à Diana citatum part. 5. Tr. 14. Reſol. 99. (Hic etiam ex 24 ſenioribus Eſcobarii) *Delectatio filii de morte patris, quia ei ſuccedit in bonis; & delectatio beneficiarii de morte ſui penſionarii, quia liberatur à debito ſolvendi penſionem, non ſunt mortales: & item de deſiderio ſimplici quo prædicti deſiderant prædictis mortem ob dicta motiva, & non ob odium, nec ob aliud motivum mortale.*

O pulcherrimos, inquam, directæ ex methodo veſtrâ intentionis fructus! Satis cerno illam latiſſimè patêre. At multæ adhuc Nobilium cauſæ ſuperſunt, ad cognoſcendum quidem neceſſariæ, ad judicandum tamen valde difficiles. Ille autem: Proferas tantùm, nos videbimus. Tu verò, inquam, cum toto illo dirigendæ intentionis artificio facito ut licitum ſit duello depugnare. Non ego, inquit; at pro me jam faciet magnus Hurtado. Audi enim quid ille in hoc libro à Dianâ citato par. 5. tr. 14. reſol. 99. *Pone hominem nobilem ab alio provocari ad duellum, qui ſi illud recuſet, non cenſebitur illud recuſare propter legem Dei, ſed propter timiditatem; quia non bene audit de obſervatione legis; quia ſe facilè projicit in alia peccata: vel certè aliâ ex cauſâ cenſebitur timidus, & ab aliis deſpicietur, apud quos ſemper erit inglorius, ex quo non levia damna & incommoda ſequerentur. Eſt igitur quæſtio utrùm in hoc caſu poſſit provocatus exire in locum condictum, non cum abſolutâ voluntate pugnandi, ſed cum conditionatâ, ſi à provocatore priùs petatur injuſtè. Provocati autem abſoluta voluntas, eſt tueri opinionem viri fortis, & depellere infamiam timiditatis; quæ objecta per ſe ſunt honeſta, neceſſaria viro nobili ad degendam vitam decorè inter ſuos, præcipuè militi, qui ab exercitu cenſebitur* GALLINA ET NON VIR: *media autem quæ elegit ad hunc finem ſunt indifferentia ad bonum & malum: nempe egredi in agrum, & in eo deambulare, quæ media honeſtantur ab eo fine: hæc abſolutè vult provocatus,*

 pugnare

pugnare autem non vult. Si ab alio petatur injuſtè, vult ſub eâ conditione ſe inculpatè tueri; ſi aliâ ratione commodè non poſſit: in hâc occaſione videtur provocatus minimè peccare, neque acceptare duellum: quia acceptatio duelli eſt voluntas deliberata ſeu abſoluta, quâ homo iſte caret.

Non hoc eſt, inquam, mi Pater, promiſſa perſolvere. Duellum, ſi accuratè loqui velis, non permittunt iſti; ſed potiùs ſic illicitum exiſtimant, ut quò licitum fiat, duello duelli nomen eripiant. Hahahæ, inquit ille, tu jam aliquid in iſtis rebus cernis acutiùs. Et gaudeo tuâ causâ. Poſſem tamen reponere, illud omne quod à depugnandi cupidis poſtulatur, ultro ab Hurtado permitti. At quoniam accuratam & limatam reſponſionem exigis, tibi ſatisfaciet Laimanus noſter, qui duellum non diſſimulanter approbat, modò ad honoris vel fortunarum tutelam duntaxat intentio dirigatur. Habes locum illum l. 3. par. 3. c. 3. n. 2. *Si rariſſimo caſu*, ait, eo loco, *res ſita ſit, ut miles in exercitu, vir equeſtris in aulâ regiâ, officio, dignitate, Ducis aut Principis favore ob ignaviæ ſuſpicionem excidere debeat, non audeo damnare eum qui meræ defenſionis gratiâ paruerit, juxta doctrinam Navarr. c.5. n.3. v.4.* Idem ſentit Petrus Hurtado, ut refert Eſcob. Tract. 1. Ex. 7. n. 96. addit etiam num. 98. hæc Hurtadi verba: *Poteſt acceptari duellum in temporalium bonorum defenſionem, ſi non adeſt alia via tuendi: quia unuſquiſque habet jus bona ſua tuendi, etiam cum inimici internecione.*

Hoc loco vehementior me ſubiit indignatio, dum Regis pietas ad exſcindendam è ſuo regno duelli conſuetudinem, omnem ſuam potentiam confert; eodem tempore Jeſuitarum pietatem, ſubtilitatem omnem ſuam eò conferre, ut duellum in Eccleſiâ vigeat. At ille noſter Jeſuita tam alacriter iſta decurrebat, ut ſe retineri ægrè tuliſſet: itaque ſic, me ferente, loqui perrexit: Poſtremò Sanctius, inquit, (vidè quos tibi allegem viros) ultra progreditur: duellum enim licitè cenſet offerri poſſe, nedum oblatum accipi, dum-

dummodò rectè dirigatur intentio. Hunc ibidem ſequitur Eſcob. num. 96. Tum ego: Mi Pater, victum me fateor, ſiquidem ita eſt ut prædicas: at quod ex Sanctio refers, niſi viderim omnino non credam. Medicare igitur diffidentiæ tuæ, inquit; & hunc locum inſpice apud Sanctium in Sum. l. 2. c. 39. n. 7. *Meliùs alii dicunt, licere innocenti duellum acceptare & offerre ad vitam, honorem, & res familiares in notabili quantitate tuendâ, quando conſtat omnino injuſtè & per calumniam actorem procedere, & certum eſt omnino fore ut hæc innocens amittat, nec aliud ſibi evadendi remedium ſuppetat: atque optimè Bannes ait, licere innocenti in his caſibus* ACCEPTARE ET OFFERRE DUELLUM; *imò & non provocando ad duellum,* OCCIDERE OCCULTE *actorem illum calumnioſum: cùm hæc occiſio ſit vera defenſio. Imò bene Navarra n.* 290. *ait, teneri innocentem non acceptare duellum nec indicere, ſi poteſt* OCCULTE ILLUM OCCIDENDO *id vitæ, honoris, rerum familiarum periculum evadere: quippe ſic proprium vitæ periculum in duello imminens vitabit, & peccatum actoris offerentis vel acceptantis duellum.*

Iſtuc eſt, mi Pater, pié quidem, at ex inſidiis tamen hominem interimere; quando, ut ais, licitum eſt inimicos per proditionem obtruncare. Tum Pater: An tibi, inquit, hoc à me dictum, licere cuiquam *per proditionem* inimicum interficere? Abſit. *Clam* illum occidi poſſe dixi: hinc tu tuo jure ſumpſiſti etiam *per proditionem* poſſe trucidari, quaſi hæc nihil inter ſe diſtent; ex Eſcobario diſce quid ſit hominem *per proditionem* interficere; ac deinde loquere prudentiùs. *Dicitur,* inquit Tr. 6. Ex. 4. n. 26. PRODITORIE *occidere, qui aliquem id minimè ſuſpicantem interficit: quarè qui inimicum necat, haud* PRODITOR *dicitur, licet per inſidias aut à tergo percutiat.* Et eodem Tract. n. 56. *Reconciliatur quis inimico cum fidei-juſſione de non occidendo, poſteà tamen illum occidit, fruiturne Eccleſiæ immunitate? Affirmo: quia non dicendus abſolutè* PRODITORIE *occidiſſe, niſi interceſſiſſet arctior aliqua amicitia ſimul comedendo,*

dendo, alloquendo; unde poterat præſumi non obſtante fidei-juſsione adhuc odium durare. Sentiſne, mi Ludovice, ne verborum quidem notionem tibi cognitam eſſe, & tamen tibi Doctoris autoritatem in loquendo ſumis. Nova, inquam, iſtæc mihi eſſe fateor, quin illud ex tuâ illâ definitione percipio, vix ullum unquam per proditionem interfectum. Quàm enim inſolens, ut quis hominem non inimicum interimat?

Sed ut ut ſit, ex Sanctio ſine ullo conſcientiæ morſu, licet calumniatorem exitium nobis in judicio molientem interficere, non jam dico per proditionem; at clam dico, & ex inſidiis. Licet omnino, inquit ille; at ſi intentionem bene direxeris: hoc caput eſt quod tibi ſemper excidit. Idem Molina egregiè tuetur Tom. 4. tr. 3. diſp. 12. Imò etiam ex Reginaldo noſtro l. 21. c. 5. n. 57. non modò calumniatorem, ſed & falſos teſtes ab ipſo appoſitos interimi fas eſt. Denique ex Tannero & Emanuele Sa, duobus Societatis noſtræ facibus, ipſum etiam cum teſtibus judicem, ſi cum adverſariis noſtris ad perniciem noſtram conſenſerit. Hem tibi Tanneri verba, Tom. 3. diſp. 4. qu. 8. n. 83. *Licitum eſt prævenire injuſtum aggreſſorem, ſi alia via commoda defenſionis non ſuppetat &c. Sotus tamen & Leſsius excipiunt judicem & teſtes mortem alicui per injuriam machinantes in judicio. Quod de foro conſcientiæ loquendo rectè improbat Sa, P. Navarrus, Bannes.*

Hîc ego: Dirigendæ quidem intentionis doctrinam ſatis jam percallere mihi videor; at nunc diligentiùs edoceri cupio, quænam ex eo capite conſequutiones ducantur; & quibus in locis iſta methodus interimendorum hominum veniam largiatur. Quamobrem ne ſit errori locus, quas tu enumeraſti cauſas, quæſo recenſeamus. Periculoſum fuerit in ejuſmodi rebus æquivoco falli. Non temere quenquam ad interficiendos homines aggredi par eſt, nec niſi legitimâ probabilitate ſecurum.

Ex te igitur didici, dummodò probè dirigatur intentio,

hæc

hæc omnia licere: ad tutelam honoris aut fortunarum duellum vel accipere, vel offerre: falſum accuſatorem & teſtes, imò judicem ab eodem corruptum clam occidere: poſtremò eum qui alapâ nos percuſſerit, modò ſine vindictæ labe; tamen cum gladio inſequi. At illud, mi Pater, à te prætermiſſum, quis modus hîc adhibendus ſit. Vix eſt, inquit, hâc in parte locus errori. Nam ad cædem uſque perveniri poteſt citra culpam: quod doctè probat doctus Henriquez, & alii ſocii noſtri quod Eſcob. Tr. 1. ex. 7. n. 45. his verbis. *An licet poſt impactam alapam percutientem inſequi & interimere? Aliqui negant, quia id eſſet injuriam vindicare, non defendere; at Leſsius licere exiſtimat ſpeculativè, ſed in praxi non conſulendum ob periculum odii, vindictæ, & exceſſuum, & cædium in Republica perniciem. Alii ſecluſis his periculis in praxi probabilem & tutam judicarunt, Henriquez l. 14. c. 10. Ratio eſt, quia quandiu damnum illatum manet in ſuſpenſo, ſemper eſt locus defenſioni, ut patet in eo qui furem inſequitur fugientem ad recuperandum ablatum. Nam quamvis honor non ſit apud percuſſorem, ſicut ablata res apud furem, poteſt tamen non ſecus ac res furtiva recuperari, oſtendendo ſigna excellentiæ & æſtimationem apud homines captando.* AN NON ALAPA PERCUSSUS CENSETUR TANDIU HONORE PRIVATUS, QUANDIU ADVERSARIUM NON INTERIMIT?

Vix me repreſſi, ita mihi hæc deteſtanda videbantur: at ut reliqua cognoſcerem, non interpellavi. Ille autem: Imò, inquit, ut intentatam alapam effugias, interfici percuſſor poteſt, ſi alius hujus dedecoris fugiendi modus non ſuppetat. Pervulgatum id apud noſtros. *Quæritur*, inquit Azorius (hic etiam è 24. ſenioribus unus) Inſt. Mor. part. 3. l. 2. p. 105. *an ſi invaſor percutiat v. g. alapâ, vel fuſte, vel verbere hominem alicujus notæ & honoris, ita ut ignominioſum ſit illi; licitum ſit occidere invaſorem, ne alapa, vel fuſte, vel verbere lædat? Duæ ſunt opiniones: prima aſſerentium non licere occidere: ſic videtur ſentire Major 4. diſt. 15. q. 20. quia vita*

proximi pretioſior eſt noſtro honore: deinde quia eſt inhumanum occidere alium ne nos alapâ, vel verbere, vel fuſte percutiat. Opinio ſecunda eſt aſſerentium id eſſe licitum, nimirum quando alapâ vel verbere, vel fuſte percuti, eſſet valde homini percuſſo dedecoroſum. Ita Sotus, Covar. Nav. locis ſupra citatis. Certè hoc videtur probabile, cùm alio modo ſuum honorem defendere non poteſt. Aliter enim ex malitiâ hominum honor innocentis paſſim tolli poſſet. Ita ſentit magnus Filiutius t. 2. tr.29. c. 3. n. 50. Herellus in lectionibus de homicidio. Ita Hurtadus Mendoza in 2.2.diſp.170.ſec. 16. §. 137. Ita Becan.ſum. Th. t. 1. q. 64. de hom. Ita noſtri ſocii Flahautius & Curtius in dictatis illis quæ latè in 3. poſtulatione, quò illis invidiam faceret Univerſitas Pariſienſis recenſuit,ſed fruſtra; malè enim ipſi res ceſſit.Ita ſentit etiam Eſcobarius eodem loco n. 48. Poſtremò id adeò pervagatum apud ipſos ut Leſſius hoc ita definiat, quaſi huic decreto nullus Caſuiſtarum reclamet. *Fas eſt*, inquit l. 2. c.9. d. 12. n. 76. *viro honorato occidere invaſorem qui fuſtem vel alapam nititur impingere, ſi aliter hæc ignominia vitari nequit.* Deinde ſubjicit multos huic ſententiæ ſuffragantes, neminem diſſentientem; imò generatim de omnibus contumeliis (è quibus acerbiſſima eſt alapa) Navarram inducit ita loquentem: *Ex ſententiâ omnium licet contumelioſum occidere, quando aliter ea injuria arceri nequit.* An tu plura tibi afferri deſideras?

Benignè, inquam: nimis enim multa jam audieram. At quò tandem proruerit nefaria illa doctrina perſpecturus: Nunquamne, mi Pater, levior cauſa ad interficiendum ſufficit? Annon ſic dirigi poſſet intentio, ut qui nos mentiri dixerit,citra peccatum interimatur? Poteſt omnino, inquit, ex Baldello noſtro, quem laudat & ſequitur Eſcob. n. 49. *Quærit enim num liceat contumelioſum, ſeu profantem* MENTIRIS *honorato viro, internecare? Negat Azor,* inquit: *at Baldellus l. 3. diſp. 24. n. 24. putat licitum eſſe occidere contumelioſum; ſed in caſu quo aliter arceri non poſſet, ne detur licentia improbitati optimos viros contumeliis afficien-*

di,

di, quàm facta acerbioribus. Imò pro maledicis vocibus & detractionibus licitam eſſe cædem indicant noſtri. Nam Leſſius, cujus veſtigia accuratè perſequitur Herellus. *Si nomini*, inquit, *meo falſis criminationibus apud judicem vel viros honoratos detrahere nitaris, nec ullâ ratione poſſem illud damnum famæ avertere niſi te occultè interficiam, Pet. Navar. inclinat licitum eſſe; & Bannez addens, idem dicendum etiamſi crimen ſit verum; ſi tamen eſt occultum, ita ut ſecundum juſtitiam legalem non poſſit pandere. Idem tenent quidam recentiores. Probari poteſt: quia ſi baculo vel alapâ impactâ velis meum honorem vel famam violare, poſſum armis prohibere, ergo etiam ſi id coneris linguâ. Nam parum videtur referre; quo inſtrumento quis nitatur inferre noxam, ſi æquè efficaciter noceat. 2. contumeliæ poſſunt armis impediri: ergo etiam detractiones. 3. periculum famæ æquiparatur periculo vitæ: atqui ob periculum vitæ evadendum licet occidere.* En tibi ſyllogiſmos omnibus numeris abſolutos: non differit ille; ſed rem conficit. Poſtremò eodem loco idem Leſſius vel ob nutum, aut contemptus ſignum, non illicitam per ſe innuit defenſionem, id eſt cædem, his verbis: *Notandum eſt*, inquit, *variis modis honorem poſſe impeti & auferri, in quibus videtur conceſſa defenſio. 1. ſi baculum vel alapam nitaris impingere. 2. ſi contumeliis afficias, ſive per verba, ſive per ſigna; hîc etiam eſt jus defenſionis.*

Tum ego: Nil jam eſt, inquam, mi Pater, quod optari ampliùs poſſit, uti meliùs honori conſulatur. At quantis objicitur vita periculis, ſi propter nuda verba aut geſtus aliquid faſtidii præ ſe ferentes, occidi homines illæſâ conſcientiâ poſſint. Eſt ut dicis, inquit: ſed ut magna Patribus noſtris cautio eſt, ideò viſum ipſis eſt multis in locis hanc de interficiendis hominibus doctrinam in praxi prohibere, ut in illatis nutu contumeliis, calumniis & detractionibus. Tunc enim, ut ajunt Laimanus & Leſſius, *practicè vix probari poteſt*; nec id ſine gravi ratione: hem illam tibi. Novi, inquam, tametſi nullus moneas, nempe quia cædem lex

lex divina damnat. Non hâc, inquit, iſtud reputant viâ: innoxium id eſſe ſpeculativè ſtatuunt; id eſt, ſi ipſa demum veritas, ipſa juſtitiæ regula ſpectetur. Cur igitur, inquam, vetitum id aſſerunt? Propter externas, inquit, cauſas, ab ipsâ interiori actionis juſtitiâ ſejunctas; quia ſic brevi vaſtarentur regna, ſi maledicos omnes interimi placeat. Audi noſtrum Reginaldum lib. 21. num. 63. p. 260. *Quamvis in ſpeculatione pars aſſirmans non careat omni probabilitate, in praxi tamen negans eſt ſequenda*; *quia in jure defenſionis ſemper conſiderandum eſt ne uſus illius vergat in perniciem Reipublicæ: nec dubium eſt quin ſequendo affirmantem, præberetur occaſio multis cædibus occultis, cum magnâ Reipublicæ perturbatione.* Quod iiſdem pene verbis Leſſius loco citato de cæde detractorum. *In jure defenſionis ſemper conſiderandum ne ejus uſus in perniciem Reipublicæ vergat: tunc enim non eſt permittendus.* Ain tandẽ, Pater? Ergo legis iſtius interdictum è Reipublicæ potiùs utilitate, quàm ex ipsâ Religione ducitur. Quàm paucos illa cohibebit, præſertim iratos? Non ægrè enim ſibi quis in animum inducat nihil damni Reipublicæ inferri, ſi improbo quodam homine perpurgetur. Eâ re, inquit, noſter Filiutius aliam rationem ſatis gravem adjicit; nimirum *pœnas in judicio daturum, qui ob iſtas cauſas hominem interfecerit.* Non injuriâ, inquam, monebam, mi Pater, nihil agere vos niſi veſtras in partes judices pertrahatis. Tum ille leniter: Actum externum, inquit, & quaſi corticem intuentur judices; nos ipſam intentionem præcipuè ſpectamus: ita fit ut nonnunquam noſtri ſenſus aliquantò disjuncti ſint. Ut ut ſit, inquam, ex veſtris decretis ſecluſo illo Reipublicæ damno certè ſat bene colligitur interfici maledicos tutâ conſcientiâ poſſe dum ſalus corporis in tuto ſit.

At poſtquam, mi Pater, ita diligenter honori proſpectum à vobis, ecquid nihil fortunis providiſtis? Scio eas tanti non eſſe: nihil tamen refert, nec abſurdi quicquam fore videtur, ſi ad eas morte invadentis tutandas intentio diri-

dirigatur. Sic eſt, inquit; & jam aliquid attigeram unde tu illuc perſentiſcere potuiſti. Conſentiunt omnes noſtri Doctores. Quin hoc concedunt etiam iis qui nullam vim jam pertimeſcunt, ut ſi latrones fugam ceperint. Adſtruit id Azorius noſter p. 3. lib. 2. c. 1. q. 20.

Attamen, mi Pater, quanti tandem rem eſſe convenit, pro qua eò devenire liceat? non parvi, inquit, ſit oportet judicio viri prudentis: ita docet Reginaldus l. 21. c. 5. n. 66. & Tannerus in 2. 2, diſp. 4. q. 8. d. 4. num. 69. Laimanus item & Filiutius in eamdem ſententiam loquuntur. Nihil prorſus iſti dicunt, mi Pater: ubinam enim virum illum prudentem, quo nihil rarius, inveniemus, qui pretium illud nobis æſtimet? Quin nobis certum iſti pretium eloquuntur. An tu, inquit, tam proclive cenſes fuiſſe, hominis & Chriſtiani vitam cum pecuniâ contendere. Hîc tu ſentias velim quantum Doctoribus noſtris debeat orbis: quære apud antiquos Patres quanti liceat hominem interficere. Quid referent illi? NON OCCIDES: nihil ampliùs. Quis ergo, inquam, hoc pretium definivit? Eximius, inquit, ille Molina, maximum Societatis noſtræ decus: hic prudentiæ ſuæ ſublimitate rem totam ſex aut ſeptem ducatis æſtimavit, pro quibus furem, tametſi fugientem interfici poſſe decernit. Habes ſanctionem t. 4. tr. 3. diſ. 16. d. 6 ubi etiam iſta ſubjungit: *Quando quis injuſtè aggrederetur uſurpare rem etiam valoris unius aurei, vel minoris adhuc valoris, reſiſtente domino aut cuſtode illius; certè neque ad culpam, neque ad pœnam auderem condemnare qui illum defendendo interfecerit cum moderamine inculpatæ tutelæ injuſtum aggreſſorem.* Inde Eſcobarius generale hoc pronuntiatum fixit: *Regulariter*, inquit, *Molina unum aureum aſſignat, pro cujus conſervatione poſſum furem occidere.* Tum ego: O mi Pater, inquam; quod tandem Molinæ veſtro lumen affulſit, ut rem tantam ſine ullo Patrum, Conciliorum vel Scripturæ denique præſidio definiret? Certè vir ille in homicidii doctrinâ, ſicut in gratiæ myſteriis multa vidit, quæ cæteri, & Auguſtinus præſertim omnino non vidit.

Jam mihi videor in hoc argumento eruditus apprimè: etenim liquidò percipio, ſolis demum Eccleſiæ miniſtris exceptis, qui cæterorum vel bonis vel honori injuriam inferat, occidi citra culpam poſſe. Num tu homo, inquit, ridiculus es? An tu æquum cenſes ut quibus omnium maxima debetur reverentia, ſoli improborum audaciæ impunè violandi ſubjiciantur? Sed enim tantum incommodum anteverterunt noſtri Doctores. Luculenter enim Tannerus t. 2. d. 4. q. 8. d. 4. num. 76. oſtendit *licitum eſſe Clericis, imò Religioſis occidere ad defenſionem, non modò vitæ, ſed etiam bonorum aut ſuorum, aut ſuæ ſocietatis.* Molina relatus ab Eſcobario num. 43. Becanus in 2. 2. Tom. 2. q. 7. de hom. concl. 2. num. 7. Regin. lib. 21. cap. 5. num. 68. Laimanus lib. 3. tr. 3. p. 3. cap. 3. num. 4. Leſſius lib. 2. cap. 9. d. 11. num. 72. iiſdem penitus utuntur verbis. Atque adeò Franciſcus Amicus ſocius noſter ſacerdotibus & Religioſis permittit, ut eos qui famam ſuam calumniis lædere parent, ipſi occidendo compeſcant: ſed hîc ut cùm maximè aptè intentio debet dirigi. En ipſius verba tr. 5. diſput. 36. num. 118. editionis Duacenæ. *Unde licebit Clerico vel Religioſo calumniatorem gravia crimina de ſe vel de ſuâ Religione ſpargere minantem occidere, quando alius defendendi modus non ſuppetit, uti ſuppetere non videtur ſi calumniator ſit paratus ea vel ipſi Religioſo vel ejus Religioni publicè coram graviſſimis viris impingere.* Et infra. *Quo jure licitum eſt ſeculari in tali caſu calumniatorem occidere, eo jure videtur Clerico ac Religioſo; cùm in hoc Religioſus & ſecularis ſint omnino pares: cùm non minùs jus in talem honorem habeat Clericus & Religioſus, imò majus, quantò major eſt profeſſio ſapientiæ & virtutis ex quâ hic honor Clerico & Religioſo progignitur, quàm ſit valor & dexteritas armorum, ex quâ honor ſecularis naſcitur.*

Ego verò, inquam, iſta nunc primùm audio; ſimpliciterque & ſine animadverſione nefarium hoc eſſe eâ re credideram, quòd tantopere à fundendo ſanguine Eccleſia di-

citur

citur aliena, ut irregulares cenſeat Clericos qui capitalibus judiciis interfuerint! Te verò, inquit, nihil iſta morentur: validiſſimè hanc doctrinam ſtabilivit Amicus, quamvis pro eâ quæ tantum virum decebat modeſtiâ, *maturum de eâ judicium penes prudentem lectorem relinquat.* Itaque Caramuel, inſignis ille noſtræ propugnator Societatis, Amici decretum in ſuâ Theologiâ fundamentali refert pag. 544. & de illo hoc judicium promit: *Doctrinam Amici ſolam eſſe veram, & oppoſitam improbabilem* CENSEMUS OMNES DOCTI. Inde verò mira quædam conſectaria derivat, in quibus eſt illa quam concluſionem concluſionum vocat. *Si Titium ſacerdotem Albericus infamet, perfidè nimirum & injuſtè, ſi verum ſit Titii opinionem & autoritatem graviter lædi: nam leves jacturæ indignæ ſunt remediis gravioribus: ſi verbis non ſe poſſit defendere, ſi eum Reſpublica protegere & defendere nolit aut nequeat; & tandem ſi ſuum honorem verè tueri poſſit occidendo Albericum: in tali, inquam, circumſtantiarum concurrentiâ, ſtando juri naturæ poterit Titius Albericum occidere; & ſi poſſit, aliquando etiam debebit, eo videlicet caſu quo debeat ſuum honorem defendere.*

Varias etiam quæſtiones indidem pendentes excutit Caramuel, atque iſtam inprimis: *Vtrum Ieſuitis liceat Ianſeniſtas occidere.* Novum, mi Pater, & inauditum Theologiæ caput! atque adeò ex Amici placitis actum eſt, reor, de Janſeniſtis. Tu verò, inquit, omnino falſus es: ex iiſdem principiis in contrariam prorſus ſententiam abit. Quî poteſt, mi Pater, inquam? Quia noſtræ, inquit, exiſtimationi nihil nocent. En ipſius verba num. 1146. & 1147. pag. 547. & 548. *Ieſuitas eſſe Pelagianos dixerunt Ianſeniani, & dicunt: anne ideò occidi poterunt? Minimè, quoniam quot radios noctua ſoli, tot Ianſenius Societati detraxit. Reſpondeo igitur Ianſenium occidi non poſſe ſi viveret, nec hodie Ianſenianos poſſe qui ſuperſunt: quia tametſi nocere voluerunt, non potuerunt.* Ain verò, mi Pater? Ergo Janſenianorum ſalus inde ſuſpenſa eſt, utrùm veſtræ exiſtimationi officiant, nec

ne?

ne? Id ſi eſt, parum illos ſecuros puto. Nam ſi tantillùm probabile fiat obeſſe illos honori veſtro, jam (ſi eſt novè dicendum) certiſſimè obtruncabiles erunt: rotundo id ſyllogiſmo concludetis; adde directam intentionem: nil ampliùs requiritur ut quis tutâ conſcientiâ de medio tollatur. Felices qui injurias ferre nolunt ſi hanc doctrinam perdidicerint; at infelices qui tales læſerint! Equidem non minùs periculoſum eſt cum hominibus ad hanc uſque *intentionis directionem* religioſis rem habere, quàm cum impiis prorſus & irreligioſis. Quid enim tandem hominem confeſſum levat directa confodientis intentio? Directum ille in viſcera gladium ſentit, arcanam illam directionem omnino non ſentit: atque haud ſcio an aliquis ab impotentibus inimicis immaniter obtruncari malit, quam ab iſtiuſmodi bonis viris religioſè jugulari.

Nihil diſſimulabo, mi Pater: veſtris illis decretis nonnihil commoveor, nec omnino mihi placent Amici veſtri & Caramuelis quæſtiones. Quamobrem, inquit; an tu Janſenianus es? Aliam, inquam, habeo propiorem timoris cauſam. Identidem enim ad amicum Provincialem ſimpliciter perſcribo quæ tu me docere dignaris: quamquam autem tantùm Doctorum veſtrorum ſententias refero, & verba cum fide deſcribo; metuo tamen ne quis reperiatur pravus atque diſtortus animus, qui vobis hæc fraudi futura credens ex doctrinâ veſtrâ funeſtum in me aliquid eliciat. Abi, inquit; nihil inde nacturum te mali ſpondeo & præſto: quod Præpoſitorum permiſſu ſuâ ſponte noſtri ſocii emanare in vulgus ſinunt, hoc ſcito nec noxium, nec ad evulgandum periculoſum eſſe. Ergo ſponſore Patre hæc ad te mitto. Deficit autem me carta, ſuppetentibus adhuc abundè Jeſuitarum locis. Tot enim ſunt & tam illuſtria, ut recenſeri niſi ingentibus voluminibus omnia non poſſint. Vale.

IN

IN SEPTIMAM EPISTOLAM
NOTA UNICA.

De Ieſuiticâ dirigendæ intentionis methodo.

Criminationibus Jeſuitarum ad homicidium pertinentibus, accuratè duabus Epiſtolis, nimirum 13. & 14. reſpondit Montaltius. Quamobrem ſi quid cavillationum adhuc ſupereſt, ad appoſitas illis Epiſtolis notas rejici melius eſt. Nihil igitur hîc refellendum reſtat, niſi quæ Jeſuiticus Apologiſta de intentionis directione inaniter pro more diſputat Impoſturâ 24. In quo parum admodum negotii eſt. Non enim ille tam emendandus, quàm admonendus eſt, totam illam Impoſturam fruſtra ipſi eſſe conſumptam.

Bonæ intentionis magnam in moribus vim eſſe pugnat. Quis neſcit? Eadem excuſari vult nonnunquam quæ ſine hac intentione facta jure culpentur. Et hoc quis negat? Verùm tota errat viâ, ſi hoc eſſe arbitratur quod Montaltius feſtivè deridet initio hujus Epiſtolæ, & intentionis dirigendæ methodum vocat. Quare ne fruſtra aërem verberet, & veris vulneribus omiſſis, integris partibus remedia comparet, breviter indicabo quid ſit Chriſtiana intentionis directio, *quid Ieſuitica:* quibus locis excuſet intentio Chriſtiana, quibus locis excuſare falſo prædicetur intentio Jeſuitica.

Intentio generatim nihil aliud eſt quàm finis cuique in ſingulis actionibus propoſitus. Ergo intentio mala, malus eſt finis; intentio bona, bonus finis. Quis autem bonus finis apud Chriſtianos, niſi Deus ipſe, de quo tam ſæpe Auguſtinus: *Bonum opus rectè fit, quando fit propter Deum; hoc eſt quando gratis amatur ipſe; qualis amor nobis eſſe non poteſt, niſi ex ipſo?*

Intentionis autem iſtius tantum momentum eſt, ut ait Auguſtinus lib. 3. in Julian. cap. 4. *ut cùm aliquid facit homo ubi peccare non videtur, ſi non propter hoc facit propter quod facere debet, peccare convincatur:* quâ ratione infra falſas Philoſophorum virtutes explodit. *Manus abſtinere,* inquit, *ab alieno, ſi officium cogites, poteſt videri eſſe juſtitiæ. Sed cùm quæritur, quare fiat; & reſpondetur, ne plus pecuniæ litibus pereat, quomodò jam hoc factum veræ poterit eſſe juſtitiæ, cùm ſerviat avaritiæ? Proinde virtutes quæ carnalibus delectationibus vel quibuſcunque commodis & emolumentis temporalibus ſerviunt, veræ prorſus eſſe non poſſunt. Quæ autem nulli ſervire volunt, nec ipſæ veræ ſunt.* Quandonam igitur veræ ſunt? *Veræ virtutes,* inquit, *Deo ſerviunt in hominibus, à quo donantur hominibus: Deo ſerviunt in angelis à quo donantur & angelis.* Hac intentione, quam fides dirigit, nihil ſanctius; imò ſine hac nihil omnino ſanctum. Non tamen ut bene quis agere dicatur, ſatis eſt ſi bonum finem ſibi præſtituat, niſi ipſum officium per ſe ſit rectum. Nam ut etiam bonum officium prava vitiat intentio; ſic intentionem rectam corrumpit officii pravitas; imò rectam non eſſe convincit, nec à Spiritu ſancto profe-

profectam; quia mali deſiderium nulli Deus immittit. Nunquam igitur mala opera bona intentione prætexenda ſunt; ut nec prava intentio officii bonitate purganda. Utrumque in bona actione reperiri neceſſe eſt; ſed bona non eſt, cui alterutrum deeſt. Verum eſt tamen, quædam bonitate intentionis laudabilia fieri, quæ ſine hac prava meritò cenſerentur. Sed hoc quomodò contingat, & quid in ea re Jeſuitas fefellerit advertendum eſt.

Duplex non bonorum officiorum genus eſt, ut antè ex ſancto Thoma notavimus: aliud ſuapte natura, ſive ut loquuntur, intrinſecè malum, & nullis additis circumſtantiis emendabile. Talis eſt calumnia, cædes privata autoritate ad honorem tuendum, &c. Aliud contrà in malum quidem propenſum, & ſua ſponte inordinatum; ſed tale tamen ut quibuſdam circumſtantiis additis, poſſit illis inordinationibus exui, imò laudabile fieri, quale eſt quod à ſancto Thoma commemoratur exemplum illius, qui propter maximas quaſdam Eccleſiæ utilitates plures præbendas retineat.

In eorum numerum, quæ nonniſi multis adjunctis emendantur, jure reponi poteſt abſentia Epiſcoporum à grege ſibi commiſſo; quam niſi Eccleſiæ neceſſitas, aut gravis utilitas excuſet, magno in vitio eſſe certum eſt. Quamobrem de ſe Auguſtinus ad populum Hipponenſem, Epiſt. 138. *Noverit*, inquit, *dilectio veſtra, nunquam me abſentem fuiſſe licentioſà libertate, ſed* NECESSARIA SERVITUTE; *quæ ſæpe ſanctos fratres & Collegas meos, etiam labores marinos & transmarinos compulit ſuſtinere.*

Reponi poteſt etiam ſuperbus ille mulierum cultus; qui licet per ſe inordinatus à Chriſtiana ſimplicitate & humilitate abhorrens; & ideò ab Apoſtolo vetitus: tamen quibuſdam circumſtantiis additis, fit licitus, & rectus, nempe ſi jubeat maritus, & cogat; de quo Auguſtinus ad Ecditiam præfractiùs ornamenta recuſantem: *Si aliquâ durâ conditione cogereris, poſſes habere in ſuperbo cultu cor humile.*

Verùm hîc diligenter attendi debet, res iſtas in malum propenſas, non fieri licitas ſola & voluntaria animi directione; ſed ex additis illis circumſtantiis, quibus ad bonum retorquentur. Unde ſapienter ſanctus Thomas in Quodl. ſupra laudato, ut quis plures præbendas licitè habeat, hæc duo ſimul jungit, *rectam intentionem*, &, *circumſtantias quibus tollantur inordinationes*, quæ pluralitatem beneficiorum ſuâpte natura comitantur. *iſtis*, inquit, *conditionibus ſupervenientibus cum recta intentione non erit peccatum.* Atque ut à propoſitis exemplis non abeam, fruſtra Epiſcopus qui nulla neceſſitate ab ovibus abeſſe cogeretur, peregrinationes ſuas Deo offerret, ac requiem aut temporalia commoda, nihil per ſe illiciti habentia ſibi proponeret: fruſtra Ecditia in illo ornatus ſuperfluo cor humile retinere decreviſſet, niſi etiam ad hoc à marito cogeretur.

In his ergo exemplis videre eſt, tunc propriè bonam intentionem excuſare, cùm duo præcepta quibus pareri ſimul non poteſt, ſimul tamen concurrunt. Tunc enim ipſa neceſſitate cogente, minus omittitur, ut graviori obtemperetur. Jubentur Epiſcopi gregem ſibi commiſſum paſcere; ſed jubentur etiam in Epiſcoporum conventibus

ventibus adeſſe ad inſtaurandam diſciplinam. Quid fiet igitur? Cedat oportet graviori minor neceſſitas; cui qui paret, bona illa intentione excuſatur, quòd minori non pareat. Jubentur ab Apoſtolo mulieres auri *circumpoſitiones* vitare; ſed & viris ſuis, id eſt capiti ſuo, ſubeſſe jubentur: ergo ſi jubeat maritus, ſi prorſus exorari non poſſit, quin vana illa ornamenta ſumantur, non recuſabit illa mulier Chriſtiana, & in ſuperbo illo veſtitu Eſther Reginæ poterit animum retinere, quæ cultum ſuum non aliter oderat, quàm pannum menſtruatæ.

Hinc jam facile oſtenditur, quid vitii habeat Jeſuitica intentionis directio. Primùm enim pro illa vera & recta intentione, quæ in Deum fertur, perverſiſſimas & diſtortiſſimas intentiones obtrudunt: deinde officia ſuapte natura mala, aut nullis circumſtantiis emendata, ſolo animi flexu, qui in rebus ipſis nihil immutet, bona fieri contendunt. Quid eſt enim bona intentio Jeſuitis? Ne expecta dum reſpondeant illam eſſe quam fides quæ per charitatem operatur ad Deum dirigit. Nihil ipſis cum illa intentionis directione: hanc contrà pro viribus oppugnant, & hominibus præceptam negant. Quid igitur? diſce ex iſtis exemplis, quæ colligunt clariſſimi illi Parochi Pariſienſes in *expoſitione ſuæ cauſæ*, quòd Galli FACTUM vocant, nuper edita. Ex quorum Parochorum ſcriptis multa ſubinde in has notas tacitis nonnunquam ipſorum nominibus tranſtulimus, & generalia præſertim morum principia deſumpſimus. Bona intentio illius qui propter alapam ſibi inflictam hominem interimit, eſt *voluntas dandi ſigna excellentiæ, & exiſtimationis apud homines captandæ*: ita Eſcobarius tr. 1. Exam. 7. num. 48. & Henriquez apud ipſum. Bona intentio viri nobilis, qui contumelioſum ſibi pomum eripere molientem interficit, eſt voluntas retinendi pomi, & ſervandi honoris quem in pomo ſervando conſtituit: ita Leſſius lib. 2. cap. 9. num. 68. Bona intentio viri militaris qui ad duellum provocanti ſe ſiſtit, eſt voluntas cavendi *ne exiſtimetur ab exercitu gallina & non vir*: ita Hurtado apud Dianam part. 5. tr. 14. reſ. 99. Si te concupiſcentia, non neceſſitas, ad edendum extimulet, huic parere poteris; ſed qua intentione? *ut appetitus ſuis actibus fruatur*; hoc Eſcobario tr. 2. Exam. 2. num. 102. ſatis eſt ad peccatum gulæ, etiam veniale vitandum. Ab alio ad aliud beneficium tranſilire vis? Non improbat Suarez, tom. 3. de Rel. l. c. 17. n. 18. *modo tranſeatur tanquam ad pinguius.* Ornatum corporis ſumptuoſum optat mulier licet autore Eſcobario tr. 1. Exam. 8. num. 5. ob finem non malum, veluti *ob naturalem*, inquit, *faſtus inclinationem.* Famulos qui turpibus nuntiis funguntur, abſolvi poſſe docet Baunius, in ſumma 710. ſi hoc bona intentione faciant: ſed qua? *Propter temporalem*, inquit, *commoditatem.* Ecce quid ſit bona Jeſuitarum intentio, ſimulque cujuſmodi ſint ea quæ illis intentionibus expurgari volunt. Peſſimas intentiones criminibus prætendunt, quæ nec optimis excuſarentur.

Deſinat ergo nugari Jeſuita: deſinat inanes verborum campos quærere: oſtendat & ejuſmodi intentiones eſſe bonas, & intentionibus

nibus excuſari poſſe flagitia. Nec jam doctrinæ ſuæ præſidium vel in Juditta quærat, quam certum eſt peculiari Dei inſtinctu ad pulcherrimum facinus exequendum incitatam; vel in Davide qui Ioab & Semei homines nocentiſſimos plecti mandavit. Nil habent hæc exempla vel cum Ieſuiticâ doctrina conjunctum, vel à Montaltii ſententia disjunctum. Non enim ille omnem intentionis directionem culpat, ſed Ieſuiticam, cavillatricem, fraudulentam, ficulneis quaſi foliis turpia & ſcelerata contegentem.

EPISTOLA OCTAVA AD PROVINCIALEM.

Lutetiæ Pariſ. v. *Kal. Iun. An. 1656.*

Ecquem laborare exiſtimares, qui ſimus ambo cognoſcere: Hoc tamen multi aſſequi conjecturâ ſtudent: ſed habent hoc vitii, quod peſſimè hariolantur. Sunt qui me Sorbonæ Doctorem eſſe rentur: alii noſtras Litteras tribus aut quatuor viris attribuunt, qui itidem, ut ego, ſacris ordinibus initiati non ſunt. Ex falſis iſtorum auguriis intelligo non malè mihi ceſſiſſe, quòd omnibus ignotus eſſe conſtitui, præterquam tibi & bono illi Jeſuitæ. Congreſſus ille meos ſolitâ ſemper facilitate patitur. Ego illius ſermones ægrè quidem, ſed ut poſſum fero. Nam quia abrumperet ille diſputationem, ſi me doctrinam ſuam tam impatienter ferre ſentiret, ideò reprimere indignationem meam cogor, ne quod in me recepi, Moralem illorum diſciplinam tibi explicare, id ego præſtare non poſſem. Narro tibi: aliquo loco debes meam in illo audiendo patientiam numerare. Dici enim vix poteſt quàm moleſtum ſit homini omnia chriſtianæ vitæ inſtituta funditus evertenti, nihil apertè reclamare. At tam multa perpeſſus dum tuæ inſervio voluntati, puto fore ut meæ quoque ſerviens, tandem liberiùs erumpam; ſed tum demum cùm ille omnem ſuorum doctrinam effuderit. Interim pro viribus temperabo

perabo mihi, nam tacenti plura ingerit. Equidem ſudabo ſatis in iis quæ poſtremo congreſſu de illo audivi referendis, adeò multis ille me oneravit: tu tamen in his quæ affero retinendis, male partis ſatis opportuna decreta perſpicies, quæ quocunque tandem colore oblinantur, id unum agunt ut corruptos judices, fœneratores, conturbatores, fures, adulteras, magos ipſos largiter exolvant onere reſtituendi, quæ iſtiuſmodi artificiis parant. Hæc verò ille ſic pertexuit.

Nempe, inquit, diſputationum noſtrarum initio demonſtraturum me promiſi, quàm benignas variis humanæ vitæ conditionibus leges noſtri Doctores poſuerint: audiſti de beneficiariis, de ſacerdotibus, de Religioſis, de famulis, de nobilibus: nunc reliqua genera percurramus, ducto à judicibus exordio.

Hîc mihi ſe offert commodiſſima ſimul & graviſſima ſententia in illorum gratiam à Patribus noſtris conſtituta: habes illam apud Caſtrum Palaum de 24. ſenioribus unum, quam his verbis refert Eſcobarius Tr. 6. Ex. 6. n. 45. *Poteſtne judex in ſententiis ferendis opinionem probabilem relictâ probabiliore ſequi? Caſtrus Palaus poſſe docet, imò contra propriam opinionem, dummodò probabilitas ſit circa jus.* O præclarum, inquam, mi Pater, initium! multùm certè vobis judices debent; nec mediocriter miror, cur illi, ut aliquoties animadvertimus, probabilitatibus veſtris infeſti ſint: Ipſis enim illæ vel maximè opportunæ ſunt. Nam quantum vobis probabilium ſententiarum operâ in hominum conſcientias imperium ſumitis, tantum judicibus in hominum fortunas, earundem præſidio conceditis.

Hinc diſce, inquit, non nos utilitatibus noſtris, ſed tranquillandæ ſolùm judicum conſcientiæ his decretis inſerviiſſe; nec aliud ſecutus eſt magnus noſter ille Molina, dum muneribus quæ ipſis offeruntur largiùs indulſit. Nam ne quis illos ſcrupulus inde remorderet, ſtatuit illas cauſas recenſere ob quas dona à judicibus tutâ conſcientiâ accipi

 poſſent,

poſſent, niſi hoc peculiari quâdam lege prohibeatur. Extat locus to. 1. tr. 2. diſ. 88. n. 6. *Donationes*, inquit, *de quibus loquimur* (id eſt, ut paulò ſupra ſignificat, *cùm munus offertur judici ex gratitudine, ex gaudio rei geſtæ obtentæ, antequam negotium expediat, ut afficiatur ad diligenter atque in favorem ejus qui munus mittit, negotium intra juſtitiæ limites expediendum*) *iſtæ donationes, inquam, ſecluſâ lege poſitivâ interdum poſſunt fieri & accipi ſine ullo peccato.* Minùs etiam meticuloſè doctiſſimus Eſcobarius rem totam dijudicat. *Plures litigantes*, inquit, *litis expeditionem expectant: Petrus offert munus judici ex pacto brevioris expeditionis; rogo an delinquat judex, ſi quando litigantes æquali jure temporis gaudent, Petri cauſam ante alios expediat? Laymanus non peccare aſſerit, quia ſpectato naturali jure aliis non irrogat injuriam; in gratiam verò Petri ſuſcipit novam obligationem expediendi cauſam ipſius ante alios, quæ obligatio videtur pretio æſtimabilis. Igitur quod ex naturali lege cuilibet litigantium poterat exhibere, Petro muneris gratiâ voluit exhibere.*

Tum ego: Mi Pater, prorſus mira mihi videtur hæc judicibus attributa facultas: hanc certè primi hujus regni magiſtratus ignorant. Non ita pridem enim ſupremi ſenatus, ſupremus Præſes certorum ſcribarum avaritiam coërcuit, & ne pro negotiis citiùs abſolvendis pecuniam accipiant ſeveriſſimè interdixit: atque hoc pacto ſatis docuit, multùm ſe ab illorum opinione abhorrere qui hoc judicibus licitum putant. Porrò tam utilem conſtitutionem ſummis omnes laudibus extulerunt. Perturbatus hâc oratione Jeſuita: Itane eſt, inquit; equidem nihildum audiveram. Sed nihil refert: opinio noſtra tantùm probabilis eſt, adeòque contrariæ ſua etiam probabilitas manet. Atqui, mi Pater, inquam, ſic vulgò homines exiſtimant decretum illud ſupremi Præſidis pluſquam probabiliter eſſe laudabile, quod corruptelam publicam diu nimiùm toleratam prorſus exciderit. Equidem, inquit, non aliter ipſe ſentio: ſed omittamus iſta, imò ipſos judices. Bene dicis, inquam;

non

non enim ſatis magnam vobis pro tantis veſtris in ipſos officiis gratiam habent. Non eâ re dixi, inquit; ſed tantùm quia tam multa de univerſis dicenda ſunt, ut in ſingulis brevitatem ſequi neceſſe ſit.

Age nunc igitur de viris negotioſis, & augendæ rei ſtudentibus diſſeramus: noſti iſtos difficilè admodum à fœnore deterreri. Itaque in hoc noſtri præcipuo quodam ſtudio incubuerunt. Nam illud vitii ſic deteſtantur, ut affirmare non dubitet Eſcobarius, hæreſim eſſe ſi fœnus carere peccato dicatur. Quin Baunius noſter multis paginis debitas fœneratoribus pœnas perſequitur, & ut in ſummâ dicam, *ipſos dum vivunt, infames; mortuos ſepulturâ decernit indignos*. Vah, inquam, tantùm in Baunio ſeveritatis nunquam eſſe putaſſem. In loco, inquit, ſeverus eſt: at cùm doctus ille Caſuiſta hoc acutè deprehendiſſet, unum fœnoris irritamenrum eſſe rei faciendæ cupiditatem, ſic ibidem diſſerit: *non parvam, inquit, à ſecularibus gratiam inierit, qui quod in fœnore noxium, illud reſecans, rationem tamen aliquam excogitarit pecuniæ quâdam collocatione non minùs augendæ, quàm augetur fœnore*. Hoc pacto, mi Pater, fœneratorum genus prorſus extinxeris. Eapropter, inquit, generalem quandam methodum cuivis hominum generi, nobilibus ſcilicet, præſidibus, ſenatoribus proponit, & ita facilem, ut certorum verborum pronuntiatione tota conſtet; quibus prolatis emolumentum capere poſſis prorſus fœnoris expers, quod iſtis omiſſis certiſſimo fœnoris crimine teneretur. Age, mi Pater, inquam; exprome nobis myſtica iila verba. Hem tibi, inquit; & quidem concepta: nam Summam peccatorum, ſi neſcis, eo conſilio Gallicè concinnavit, ut ab omnibus intelligeretur. *Is à quo mutuò petitur pecunia, ſic reſpondebit: Non eſt mihi pecunia quam mutuò dem: eſt tamen quam licitâ ratione collocem, ut ex eâ legitimum mihi redeat lucrum: quamobrem ſi pecuniam eâ conditione velis accipere, ut ex eâ in commune negotieris, fortaſſe adduci poſſum ut iſto pacto dem: veruntamen quia de lucro faciendo difficilè*

convenitur, ſi tu mihi certum aliquid aſſignare volueris, faciliùs inter nos contrahemus, ac tibi ſtatim pecuniam numerabo. Annon hæc lucri ſine peccato faciendi expedita methodus? Vt jure noſter Baunius hæc verba in clauſulâ ſubjungat: *Iſtâ viâ, niſi fallor, plerique ſeculares qui fœnoribus juſtam in ſe Dei indignationem inſtigant, cum ſalute animæ ſuæ pulchrè, honeſtè, licitè pecuniam quærere poſſunt.*

Hîc ego: O magnam, inquam, mi Pater, & pene magicàm iſtorum verborum potentiam! Ineſt certè in iis latens aliqua virtus ad fœnoris virus abigendum, quam minùs ipſe perſpiciam: Sic enim adhuc exiſtimaram iſtuc vitii hoc contineri, ſi quid ſupra ſortem accipiatur. Quam tu, inquit, parum in iſtis rebus intelligis! Vix quidquam aliud noſtris eſt fœnus illud vitioſum, quàm voluntas accipiendæ pecuniæ tanquam ex fœnore redeuntis. Quamobrem Eſcobarius noſter ſolertiſſimè tradidit quâ ratione hoc crimen molli tantùm animi flexu & declinatione vitari poſſit. Lege enim quid ille doceat Tr. 3. Exam. 5. n. 4. *Intenditur*, inquit, (*ut de uſura mentali ordiamur*) *lucrum ex mutuo tanquam debitum ex juſtitia, eſtne uſura? Ita plane. At ſi tantùm ex benevolentia; nequaquam. Porrò ex mutuo lucrum immediatè intendere non licet, nec principaliter, nec minùs principaliter: at verò lucrum intentum media benevolentia, non eſt uſura.* Et num. 33. *Non eſt uſura, niſi expectetur aliquid ex vi mutui, & cum civili obligatione. Vnde ſperare per mutuum aliquod donum ex gratitudine mutuatarii, non eſt uſura mentalis; nec tale donum ex tali obligatione exigere, eſt uſura realis.* Et num. 45. *Non eſt uſura ex Molina, aliquod donum à mutuatario accipere, ad quod dandum fuit excitatus à mutuante; quia illud munus vi mutui non exigitur, neque ex debito juſtitiæ, cùm nullum intervenerit pactum; ſed tantùm ex gratitudine.*

Hæ quidem methodi ſatis acutæ; magna enim nobis talium copia ſuppetit, ut quam velis faciliùs eligas: ſed illa mihi peracuta videtur, quæ fit per contractum quendam *Mohatra* vel *Barata* dictum. Quis malùm, inquam,

mi Pater, contractus *Mohatra Barata?* Videlicet, inquit, quis ille ſit neſcis. Age, age: nil portenti eſt præter nomen, quod tibi expediet Eſcobarius. *Contractus*, inquit, *vulgariter Mohatra, eſt quando quis egens pecuniâ emit pecuniâ creditâ à mercatore merces ſummo pretio; & ſtatim ei pecuniâ numerata pretio infimo revendit.* Sic fit ut acceptâ in præſens pecuniâ majus debitum contrahatur. At ſolus, inquam, Eſcobarius illius fortè meminit; an alii etiam hoc verbum uſurparunt? Vt tu, inquit, in iſtis rebus peregrinus es! Poſtremus Theologiæ Moralis liber nuper Pariſiis editus de Mohatrâ diſſerit, & quidem pulchrè: titulus huic libro præfixus eſt *Epilogus Summarum.* Continet autem Suarii, Sanctii, Leſſii, Fagundez, Hurtadi, atque aliorum clarorum Caſuiſtarum breviarium, ut frons ipſa libelli oſtendit. Hîc autem pag. 54. leguntur iſta: *Mohatra tum dicitur, cùm ille cui viginti philippici opus ſunt, pannos de mercatore emit pretio triginta philippicorum poſt annum ſolvendo: mox eidem numerata pecunia viginti philippicis revendit.* Hinc perſpicere potes vocem hanc nullomodò inuſitatam eſſe.

Sed dic obſecro, inquam, mi Pater: nihilne vitii ineſt in hoc contractu? Eodem, inquit, loco reſpondet Eſcobarius, certorum illud regnorum legibus graviſſimis pœnis ſanciri. Quo mihi igitur ille contractus, quo uti non licet? Tum ille: *Iuſtus eſt* (Eſcobarii verba ſunt) *hiſce ſervatis. Nullum pactum nec explicitum nec implicitum adhibendum: pretium quo venduntur merces, non ſit majus ſummo; & cùm revenduntur, non ſit minus infimo. Molina requirit ulteriùs quòd merces non vendantur ex intentione infimo pretio reemendi. Porrò, Salas id non obſtare aſſerit: quia ubi nihil ſupra ſortem in pactum deducitur, nec ſperatur in pretium aut debitum de juſtitia pro mutuo, nulla eſt uſura, etiamſi auctarium principaliter intendatur.* Addit Leſſius, l. 2. c. 21. d. 16. *eum qui ex compoſito ita vendat, ut pretio infimo redimat*, etſi peccare poſſit contra charitatem, ut ſi cogat miſerum hominem emere merces quibus non eget, magno illius diſpendio, cùm poſ-

ſit ille facilè mutuum dare, non tamen teneri ad reſtitutionem: *quod intellige*, inquit, *non teneri ex juſtitia; ſed fieri poteſt ut teneatur ex charitate, ut ſi alter ſit pauper: ceſſante tamen paupertate illius non teneretur, quia nec charitas nec juſtitia illum obligat*. Vides quid de iſtis rebus dici benigniſſimè poſſit. Vtique mi Pater, inquam; & paulò laxiorem indulgentiam vitioſam exiſtimem. Ille autem: Norunt, inquit, noſtri Doctores quouſque progrediendum, ubi conſiſtendum ſit. Interim ſatis credo perſpicis, contractus ille *Mohatra* quid habeat utilitatis.

Multas alias methodos afferre poſſem, ſed hæ quas expoſui ad exemplum ſufficiunt, & nos ad alia feſtinamus: nempe jam illis conſulendum eſt qui rei familiaris premuntur anguſtiis; horum difficultatibus noſtri proſpexêre. Nam ſi eorum facultates, & vitæ cum honeſtate tranſigendæ, & diſſolvendis nominibus ſatis non ſunt, his permiſſum à noſtris eſt, ut bonis cedant, & aliquid tamen ex illis avertant. Hoc noſter ſancivit Leſſius, confirmavit Eſcobarius tr. 3. Exam. 2. n. 163. *Rogo*, inquit, *an cedens bonis, tuta conſcientia poſſit ſibi & familiæ ſuæ, ne indecorè vivat, neceſſaria retinere? Cum Leſſio aſſero poſſe; quod quidem eſt verum, licet debita pro quibus cedit, ſint ex injuſtitia & notorio delicto contracta; quamvis tunc non poſſit tantum, quantum aliàs ſibi retinere*. O obſecro, mi Pater, quâ vos tandem inauditâ charitatis lege hæc bona, neſcio cujus dignitatis tuendæ causâ, illis conceditis qui ea rapinis quæſierunt; illis aufertis quibus jure debentur? Non poſſumus, inquit, omnibus obſequi; miſeros illos his decretis ſublevare noſtri voluerunt. Iiſdem etiam gratificatur magnus Vaſquezius apud Palaum cum ait, *poſſe ei qui paratus eſt furari à paupere, perſuaderi ut furetur à divite tali determinatè, qui non eſſet rationabiliter invitus reſpectu ſuadentis, poſito quòd fur à furto pauperis aliter non poſſet abſterreri*. Si tibi nec Vaſqueſii, nec Palai copia ſit, idem legere poteris apud Eſcobarium Tr. 5. Exam. 5. n. 120. Nam, ut noſti, nihil ille ferè

adfert

adfert de ſuo; cuncta è viginti quatuor ſenioribus noſtris mutuatur. Capitis titulus: *Praxis circa materiam de charitate, ex Societatis noſtræ Doctoribus.* Novum, inquam, charitatis genus, mi Pater, quod unius incommodo alterius detrimento medicatur: ſed ego ita ſentio, pleniori hîc etiam charitatis officio fungendum eſſe, omninóque ab iſto monitore illi diviti reſtituendum, quod hoc conſilio curavit ablatum. Nequaquam, inquit: non enim ipſe ſurripuit, ſed tantùm ut ſurriperetur autor fuit.

Audi igitur in aliâ causâ prudentiſſimam Baunii noſtri ſententiam, in quâ tu certè multò magis faciendam reſtitutionem decerneres: habetur is locus cap. 13. Summæ peccatorum. *Rogat aliquis militem ut vicinum verberet, aut aream ejus incendat à quo injuriâ affectus ſit: quæritur an milite non reſtituente, qui ei autor fuit ut iſta faceret, de ſuo quod inde profectum ſit damni reſarcire teneatur? Ego ſentio non teneri. Nam reſtitutio facienda ei demum incumbit, qui juſtitiam violavit. An porrò violatur juſtitia, cùm aliquid ab alio precibus exoratur. Quantacunque poſtulatio adhibeatur, tamen vel abnuendi vel concedendi quod petitur liberam retinet poteſtatem: quòcunque vergat, voluntate tantùm ſuâ verget: nihil illum urget niſi bonitas, facilitas, morum denique ſuavitas. Ergo ſi quod intulerit damnum non rependit miles, nullomodò transferendum eſt hoc onus in eum, cujus rogatu damnum & malum illud innocenti datum eſt.* Nil propiùs factum eſt, quàm ut hic Baunii locus noſtram diſputationem dirimeret, adeò parum affuit quin effuſum à me riſum eliceret mira illa incendiarii *bonitas, morumque ſuavitas*, & ſingularis iſtarum rationum abſurditas, quæ incendii verum ac primum autorem reſtitutione liberant, quem patibulo judices non liberarent. At ni mihi temperaſſem, in contumeliam id accepiſſet Jeſuita: ſeriò enim loquebatur; atque adeò eâdem ſeveritate ſequentia proſecutus eſt.

Satis jam ſatis tot experimentis comperta tibi eſſe potuit objectiuncularum tuarum inanitas; tu tamen nos à propoſito

poſito identidem abſtrahere non deſiſtis. Redeamus igitur ad illos in re familiari laborantes, quibus levandis Leſſius lib. 2. cap. 12. num. 12. *probabile eſſe ait non ſolùm in extremâ, ſed etiam in gravi neceſſitate morbi, famis, nuditatis, poſſe te clanculum ſurripere ab opulentis, ſi aliter grave illud malum avertere nequeas.* Id ipſum refert Eſcobarius tr. 1. Exam. 9. num. 29. Mirum, inquam, mi Pater, quàm hoc latè pateat. Quis enim non ſuam neceſſitatem gravem deputat, aut cui non hoc decreto venia furandi tutâ conſcientiâ conceditur? Et quamvis ſolis demum calamitoſis hæc tribueretur; ſic tamen innumeris furtis aperitur aditus, quæ judices veſtram hanc gravem neceſſitatem nihil morantes ſeveriſſimè plectant, quibuſque vos occurrere par erat, cùm non modò juſtitiæ, ſed etiam charitatis vindices inter homines eſſe debeatis, quam veſtra illa doctrina planè perimit. An non enim charitatem violat, & proximo damnum infert, qui ejus bona ſibi ſurripit? His quidem adhuc præceptis imbutus ſum. Eſt tamen, inquit, ubi hoc falſum ſit. Docet enim magnus Molina Tom. 2. Tr. 2. diſp. 328. num. 8. *non id exigere charitatis ordinem, ut quiſquam negligat ſuum commodum, etiamſi per accidens ſequatur alteri tantundem damni.* Quod ab illo affertur ut id probet, *non teneri hominem ea bona reddere, quæ ſibi ab alio donata ſunt in fraudem creditorum.* Quod idem adſtruit Leſſius eodem argumento lib. 2. cap. 20. dub. 19. num. 168.

Non te ſatis miſeret iſtiuſmodi hominum difficilè agitantium: noſtris videlicet multò plus fuit benignitatis. Egenis non minùs quàm divitibus, dicam ampliùs, etiam facinoroſis jura ſua conſervant. Quanquam enim facinoroſis vel infeſtiſſimi ſint, nihilominùs illud ſanxere; quæſita ſcelere, ſine ſcelere retineri. Hinc Leſſius lib. 2. cap. 14. d. 8. generatim: *Si ſolum, inquit, jus naturæ ſpectetur* (imò, ut infra decernit, *ſi jus etiam poſitivum attendatur*) *accepta ob turpem cauſam* (ut propter adulterium) *ſeu propter opus quod eſt peccatum, opere impleto, non neceſſariò eſt reſtituendum,*

tuendum, ſive illud opus ſit contra juſtitiam ſive non. Nam ut ait Eſcobarius Tr. 1. Exam 8. num: 59. *Mulier* (adultera) *quamvis illicitè acquirat, licitè tamen retinet acquiſita.* Eam ob rem Patrum noſtrorum ſpectatiſſimi nominatim ſtatuunt, & à judice qui accepit argentum à litigatore ut ei cauſam contra jus adjudicet; & à milite cui pecunia data eſt ob cædem faciendam; & ab iis qui rem turpiſſimis criminibus quæſiere; tamen quod ita pararunt poſſe cum jure retineri: Hæc ex noſtris ſcriptoribus colligit Eſcobarius, Tr. 3. Exam. 1. num. 23. & inde generale decretum ita concinnat: *Accepta ob turpem cauſam, ſolo jure naturali ſpectato illicita non ſunt, nec reſtituenda: ſic accipi pretium poteſt ob injuſtam ſententiam, ob homicidium factum, ob meretricium, ob occultam etiam fornicationem.* Et Tr. 5. Exam. 5. num. 53. Non injuſtæ acquiſitionis exempla affert *luxuriam, homicidium, ſententiam injuſtam; quia,* inquit, *hoc caſu acquiritur dominium.* Hîc ego: Ejuſmodi, inquam, rei quærendæ via prorſus ignota mihi erat; ſed vereor ut eam judices approbent, & pro legitimo rei poſſidendæ titulo homicidium, injuſtitiam, adulterium habeant. Tum ille: Quid legum interpretes ſentiant neſcio: at noſtri, qui veri ſunt animarum legum-latores, mecum certè ſentiunt. Unâ tamen illi in cauſâ reſtitutionem imperant, *cùm pecuniam accipit adultera ab eo qui alienare non poteſt, ut à Religioſo, aut filio-familias,* ut ait Molina To. 1. Tr. 2. d. 94. quem laudat Eſcobarius Tr. 1. Exam. 8. num. 59. idemque confirmat tract. 3. Exam 1. num. 23.

Hoc loco ego: Vos quidem Religioſis, ut video, mi Pater, pluſculùm indulgetis. Minimè vero, inquit; pupillis idem omnibus conceſſum, è quorum numero Religioſi ſunt per omnem vitam. Hos juſtum eſt eximios haberi. At quicquid ab aliis ob quamlibet turpem cauſam accipitur, id reſtitui juſtitia non jubet. Quod latè probat Leſſius lib. 2. cap. 14. d. 8. num. 52. ad hunc modum. *Etſi opus malum pro quo datur pretium non ſit æſtimabile pretio quà*

malum; tamen quà delectabile vel utile uni, & alteri detrimentoſum, periculoſum, laborioſum, inter homines pretio æſtimatur, Ergò quod hâc ratione pro eo acceptum eſt, non eſt reſtituendum, quodcumq; tandem illud ſit, homicidium, ſententia injuſta, fornicatio: (his enim paſſim in hoc capite utitur exemplis) *modò is det qui dare poteſt; niſi fortè quis communem æſtimationem exceſſerit.* Accipere pretium ante maleficium patratum, eſt peccatum; ſimiliter & dare: verùm accipere poſt maleficium, non eſt peccatum; ſicut nec dare. Hoc idem Filiutius ſubtiliùs etiam, minutiuſque proſequitur; & variam pro vario genere eorum à quibus committuntur mercedem conſtituit, firmis id ipſum rationibus conſtabiliens, Tr. 31. cap. 9. num. 231. *Occultæ,* inquit, *fornicariæ debetur pretium in conſcientiâ, & multò majore ratione quàm publicæ. Copia enim quam occulta facit mulier ſui corporis multò plùs valet quàm ea quam publica facit meretrix; nec ulla eſt lex poſitiva quæ reddat eam incapacem pretii. Idem dicendum de pretio promiſſo virgini, conjugatæ, Moniali, & cuicunque alii. Eſt enim eadem omnium ratio.*

Tam tetra deinde hujus generis in ſcriptis ſuorum oſtendit, ut ea referre pudor vetet, ipſique adeo horrorem incuſſiſſent, (eſt enim bonus) ni præ cæco in Patres ſuos affectu quicquid ab iis ortum eſt, cum veneratione amplecteretur. Ego intereà ſilebam, non tam metuens ne hoc argumentum deſereret, quàm vehementiùs ſtupens Religioſorum libros ejuſmodi ſententiis ſpurcis, injuſtis, abſurdis refertos eſſe. Ergo ille orationem proſecutus pro clauſulâ illud adjunxit: Eâ re, inquit, clariſſimus Molina (neſcio quid petere ampliùs poſſis) hâc quæſtione propoſitâ; *Quis aliquid accepit ut malum faceret, teneturne, ſi non fecerit, reſtituere? eam ita diſſolvit: Tenetur ſi non fecit, ſecus ſi fecit.* Refertur hoc ab Eſcobario Tr. 3. Exam 2. num. 138.

En quædam noſtra de reſtitutione decreta. Tu quidem bene multa hodie audiſti: at quantùm ex iis profeceris, periclitari libet. Reſponde igitur. Judex qui pecuniam

ab

ab uno litigantium accepit, ut ſecundum illum ſententiam ferret, hancne pecuniam reſtituere tenetur? Non teneri, inquam, tûte modò dicebas. Non falsò, ait, hæc à te minùs intelligi ſuſpicabar: an hoc tibi generatim dictum eſt? Dixi non teneri judicem reſtituere, ſi ſecundum injuſtum litigatorem pronunciet: at ſi quis certum jus habeat, vin tu illum hoc à Judice emere quod ſibi legitimè debeatur; prorſus id à ratione alienum? An tu illud non vides, à Iudice deberi juſtitiam, adeòque pro eâ pecuniam accipi non poſſe: non deberi injuſtitiam, & ideò vendi poſſe? In hanc ſententiam confluunt præcipui noſtri Scriptores Molina diſp. 94. & 99. Reginald. lib. 10. num. 184. 185. & 178. Filiut. tr. 31. num. 220. & 228. Eſcobar. Tr. 3. Exam. 1. num. 21. & 23. Leſſius lib. 2. cap. 14. d. 1. num. 55. *Nego*, inquit ille, *pecuniam acceptam pro ſententiâ injuſtâ debere reſtitui vel jure naturæ, vel jure poſitivo.* At contra n. 64. *Iudex*, inquit, *tenetur reſtituere id quod accepit ut juſtam ſententiam ferret, ſi datum eſt timore injuriæ, ſecus ſi inſtar muneris liberalis.*

Stupidum me ac mutum reddidit tanta hujus reſponſionis abſurditas; ac dum periculoſa ejus conſectaria mente perluſtro, aliam mihi Jeſuita quæſtionem adornabat, quam ita propoſuit: Qui divinationem factitat, inquit, quod hoc artificio quærit, teneturne reſtituere? Tu vide ut cautiùs reſpondeas. Hîc ego: Ut voles, inquam, mi Pater. Quid ais, inquit; ut voles: tu verò mirificus homo es: non aliter loqueris quàm ſi rerum veritas ex voluntate noſtra penderet. Nunquam, ſat ſcio, hunc tu nodum per te diſſolveris. Attende igitur quàm præclare Sanctius: Sed nihil mirum; quid enim Sanctius non præclarè! *Diſtinguendum*, inquit in Summ. lib. 2. cap. 38. num. 96. *Si nullam operam appoſuit, ut arte diaboli id ſciret aſtrologus, quod nullo alio pacto ſciri potuit: vel ſi diligentiam appoſuit.* Uno caſu reſtituendum eſt ex Sanctio, alio non item: at tu potin es indicare quo caſu reſtitui debeat, quo non debeat? Quaſi

verò

verò hoc ſit dubium, inquam. Teneo, inquit, quid dicturus ſis; nempe ei reſtitutionem à Sanctio injunctam arbitraris, qui operâ diaboli ſit uſus: verùm totâ erras viâ: contraria prorſus Sanctii definitio, quam ille ſic explicat. *Si nullam operam appoſuit ut arte diaboli id ſciret aſtrologus, quod nullo alio pacto ſciri potuit, ſive effectus evenerit, ſive non, tenetur pretium reſtituere danti: ſi verò aſtrologus ille vel divinator operam ſuam appoſuit, & arte diaboli res ita evenit, non tenetur pretium reſtituere, quia ipſe ſuam operam, etſi turpem appoſuit.* Hæreo, mi Pater, quamobrem ita Sanctius judicarit. Neſcis, inquit, arte diaboli poſſe nonnulla divinari, Aſtrologiam totam falſam eſſe. Quid ſi igitur, inquam, diabolus ipſe verum non dicat: nam ille non multò Aſtrologiâ verior: jam hariolus ille reſtitutioni obligandus erit? Hîc etiam, inquit, diſtinctione utitur Sanctius. *Tametſi enim non evenerit res, non credo teneri pretium reſtituere quando ipſe diligentiam adhibuit ad eum effectum neceſſariam:* QUIA ILLA DILIGENTIA à MAGO ILLO APPOSITA EST PRETIO ÆSTIMABILIS; *nec in hoc caſu tenetur damna & expenſas conſulenti reſtituere:* SED TANTÙM QUANDO NULLAM OPERAM IMPENDIT, AUT EIUS DIABOLICÆ ARTIS IGNARUS ERAT.

Cordati, inquam, hominis hoc reſponſum: hâc enim ratione vel maximè magi & harioli adducentur ut arti ſuæ non ſegniter ediſcendæ operam dent, ut jure vobis autoribus ex eâ quæſtum faciant, populo cum fide inſervientes. Tum ille: Eia, inquit, tu quidem iſta deridere videris; ſed perperam, pace tuâ dixerim. Nam ſi apud eos loquereris qui te minùs noſſent, dicacitas illa tua aliorſum accipi poſſet, nec deeſſent qui Religionis noſtræ myſteria deridiculo à te haberi dicerent. Tum ego: Hanc criminationem, mi Pater, non ægrè depellerem. Nam ſi verborum meorum verus diſpiciatur ſenſus, nullum credo reperietur quod ſuſpicionem illam à me non amoveat; nec deſpero

fore,

fore, ut in his noſtris colloquiis ſeſe locus offerat quæ ſententiam latiùs & clariùs aperiendi. Ha ha hæ, inquit, cito cachinnari deſiiſti. Prorſus, mi Pater, ſi quis res ſanctas joco à me ac ludibrio haberi putet, ſuſpicionem in me contulerit & injuſtam, & mihi permoleſtam. Ex animo, inquit, iſta non dicebam; ſed tamen feriò loquamur in re tam ſeriâ. Ut lubebit, inquam: nam ipſe nihil cupio magis: non poſſum tamen quin tibi ſignificem non mediocriter mirari me ita Patres veſtros prudentiâ ſuâ omne hominum genus eſſe complexos, ut nec illud omittere voluerint, quæ ſit magis & hariolis legitima ex ſuo artificio quæſtus faciendi ratio. Tum ille: nec nimis multis, inquit, iſta ſcribi poſſunt; nec nimis ſubtiliter explicari ſingularum quæſtionum minutiæ; nec eadem in variis libris ſæpius quàm par eſſet iterari.

Hoc te docebit ille locus ſocii noſtri, non unius è multis, ſed unius inter multos graviſſimi, ut conjici ex eo licet, quod apud nos Provincialis fungatur munere. Id eſt Reverendus Pater Cellotius, qui hanc lepidam hiſtoriam ita refert lib. 8. de Hierarch. cap. 16. §. 2. *Scimus*, inquit, *repertum aliquando qui ſummam ingentem pecuniæ Confeſſarii judicio reſtituendam deferret, atque ex itinere in amici Bibliopolæ officinâ conſiſteret, in quâ roganti, num quid novi, oblatus eſt ei recens Theologiæ Moralis ſcriptor, quem ipſe neglectim & alia omnia cogitans dum evolvit, in caſum fortè ſuum incidit, & reſtituendi obligationem ſolutam didicit. Tum enimverò abjectâ ſcrupuli ſarcinâ, retento auri pondere levior domum repetiit. Rara hæc, inquis, & admodum extraordinaria. Primum illud rarum & extraordinarium ipſa vita redimemus alacriter.* Quid tu, ad iſta? Jam vide, nihilne utilitatis habeat noſſe hæc noſtra præcepta? Etiamne inde petes jocandi cauſas; nec potiùs cum Cellotio noſtro ſuper illo caſu piè commentaberis? *Caſus iſte in Deo providentiæ, in Angelo cuſtodiæ, in Cajo prædeſtinationis effectus eſt. Auream ſalutis catenam jam inde ab æterno non ex illis centum & mille; ſed ex hoc uno pendere*

pendere Deus voluit. Niſi ſcriberet hic, non ſalvaretur ille, ut ex ſancto Auguſtino monuimus. Amabo te, Petre Aureli, tu qui dives es & nullius eges, ne per Chriſti viſcera pauperibus invide librum unum quem ipſis æterna Dei electio, ſanguis Chriſti comparavit. Præclara certè verba, quibus eam quam protulerat ſententiam firmiſſimè probat, *perquam utile eſſe ut de Theologia Morali multi ſcribant.*

Hîc ego: Aliàs, mi Pater, quis meus ſit de hoc Cellotii loco ſenſus ediſſeram: hoc tantùm impræſentiarum dicam: quando tanti ex doctrinâ veſtra fructus redundant, & eam pervulgari tam magni refert, noli quæſo deſiſtere ut inſtituiſti, illius præcepta mihi diligenter exponere. Nam ille ad quem à me mittuntur, mirum quàm multis ea communicet; non quod alioquin nobis illis uti propoſitum ſit: ſed quia hæc à quam plurimis pernoſci neceſſarium eſſe ducimus. Vides, inquit, quàm nihil reticeam: itaque proximâ diſputatione de commoditatibus multis ac vitæ ſuavitatibus, quas ut ſalus facilior, pietas dulcior fiat, noſtri permiſêre, agere poterimus; ut poſtquam quæ ſingulis conditionibus indulta ſunt vidiſti, nunc quæ generatim omnibus ſint conceſſa perſpicias; atque ita nihil tibi ad plenam rerum iſtarum cognitionem deſit. Vale.

IN OCTAVAM EPISTOLAM
NOTA PRIMA.

De judicibus, quos pecuniæ ob injuſtam ſententiam acceptæ reſtitutione liberant Ieſuitæ.

§. 1.

Nihil à Montaltio peccatum in referendâ ſuper hâc re Leſſii ſententiâ.

Negat Leſſius l. 2. c. 14. n. 55. jure naturæ aſtringi judicem ad illud reſtituendum quod ob injuſtam ſententiam accepit. Num. vero 56. nequidem ex jure poſitivo reſtituendi obligationem exurgere aſſerit. Idem tamen n. 64. ait *judicem teneri reſtituere id quod*

quod accepit,ut juſtam ſententiam ferret,ſi datum eſt timore injuriæ ; ſecus ſi inſtar muneris liberalis.

Ex his Leſſii locis verè colligit Montaltius Epiſt. 8. ita Leſſio videri : *Iudicem accepta ob juſtam ſententiam reſtituere debere, niſi acceperit inſtar muneris liberalis ; ſed nunquam obligari ad ea reddenda quæ ob injuſtam ſententiam ferendam accepit.* Huic Leſſii ſententiæ aſtipulatores addidit Molinam, Filiutium, Eſcobarium, Reginaldum, de quibus multa cavillantur Jeſuitæ quæ poſt expendemus ; ſed priùs abſolvendus eſt Leſſius.

De illo primùm cauſatur Apologiſta, omiſſum à Montaltio quod ait n. 63. *meritò injungi poſſe reſtitutionem à Confeſſario,quando ei videbitur expedire.* Lepidum hominem, quaſi id ageretur, quid Confeſſarius jubere poſſit, non autem quid ille judex jure naturæ aut poſitivo reſtituere jubeatur.Neutro autem ad reſtitutionem obligari aſſerit Leſſius, quod Montaltio ſat eſt. Fatetur quidem ille poſſe id à Confeſſario juberi ; ſed fatetur etiam poſſe non juberi. *Eſt enim hoc,* inquit, *potiùs ſalutare conſilium, quàm præceptum.* Quanquam ſi moroſior ſit ille Confeſſarius, habent pœnitentes à Jeſuitis pulcherrimam rationem, quà probè illius acerbitatem ulciſcantur. Poſſunt enim pœnitentiam illam recuſare, & ſimul abſolutioni renuntiare, ut docuerunt in theſibus Jeſuitæ Pariſienſes. Sic manebit judici ſua pecunia ; niſi fortè ſuperiorum judicum ſententiâ extorqueatur, à quibus cùm fatentur Jeſuitæ jure auferri poſſe, quod propter injuſtam ſententiam acceptum eſt,id fatentur, longè Caſuiſtarum ſuorum legibus ſeveriores, ſanctiores, incorruptiores eſſe leges illas humanas, tametſi maximam partem ex gentilibus hauſtas.

Præmiſsâ levi iſta velitatione, ad rem tandem venit Apologiſta ; minatuſque congreſſum, repentè per poſticum ſuffugium captat. Omiſſo enim quæſtionis capite, utrum judex debeat reſtituere quod propter injuſtum judicium accepit ; aliò digreditur, & fruſtra probat litigatorem non poſſe repetere quod ob injuſtam ſententiam dedit. Quid tum ? Non poteſt repetere qui judicium emit injuſtum ? Ergo poteſt retinere qui vendidit. Non pudet Jeſuitam tam imbecillè, tam pueriliter argumentari ? Quaſi non utrumque vulgò ſtatuant Theologi, & nefarium illum judicem ad reſtitutionem obligari, & tamen corruptori ſuo hanc pecuniam reſtitui non debere, ſed pauperibus. Indignus enim ille, qui quod injuſtè dedit,recipiat; ille, qui quod accèpit injuſtè, retineat.

At contra, inquis, ſentiunt Iuriſconſulti, nec prima juris elementa novit Montaltius, qui hanc Ieſuitarum ſententiam culpaverit. At ſemper fallunt Jeſuitæ, & nihil unquam fidei ab ipſis ſperandum eſt. Quod enim vulgò à juriſconſultis probari volunt, id ita vulgò ab iis negatur, ut hoc ipſo capite Leſſius ingenuè n. 60. *Sententia quæ cenſet id quod acceptum eſt ob crimen legibus punibile debere reſtitui, eſt ferè communis omnium juriſperitorum.* Et ſupra n. 52. *Acceptum pro omni opere quod legibus punitur, eſt reſtituendum : ita ferè omnes utriuſque juris Doctores.*

§. 2.

§. 2.

Evertitur Leſſii ſententia.

Sed miſſum faciamus ignavum illum Apologiſtam tantùm de fugâ cogitantem: Leſſium adeamus longè fortiùs in hâc quæſtione ſe gerentem. Nam pro eâ primùm profert D. Thomam, qui docet, inquit, *poſſe retineri id quod propter opus malum eſt acceptum; nec diſtinguit ſitne opus illud contra juſtitiam, ſive non.* Pulchrè ſanè, niſi apertè diſſentiret S. Thomas, & iis qui *per ſubverſionem juſtitiæ* turpe lucrum fecerint, reſtitutionis onus imponeret, ut ſupra in præambulis notis docuimus.

Affert 2. D. Antoninum. Etiam hoc pulchrè niſi apertè reclamaret Antoninus, & contrarium prorſus ſtatueret ejus quod à Leſſio, & ab Apologiſtâ ſentire aſſeritur. *Secundo*, inquit, *modo eſt aliquid illicitè acquiſitum, ita quod ille qui acquiſivit, non poteſt illud retinere, nec tamen debetur ei à quo acquiſivit; quoniam ille contra juſtitiam dedit, & ipſe contra juſtitiam accepit, ut in ſimoniâ.* Et paulo poſt: *De illicitè acquiſitis ſecundo modo, videlicet cùm illud ſit acquiſitum, nec tamen acquirens poteſt retinere; poteſt & debet pro neceſſitate ſalutis, non ſolùm de conſilio & honeſtate pauperibus erogari.* Hâc generali ſententiâ omnia complexus illicitè contra juſtitiam acquiſita, ipſa deinde ſubnectit exempla de quibus contendimus, injuſtæ nempe ſententiæ & adulterii. Habes Leſſii fidem; videamus an rationibus magis quàm fide valeat. Rationes autem Leſſii hoc fundamento, ut notat Comitolus l. 3. q. 5. ſuperſtruuntur. *Quodlibet peccatum, ſive quod in committendo, ſive quod in omittendo conſiſtit, non hactenus ut Deum offendit, ſed propter voluptatem vel laborem pretium mereri.* Quod Comitolus ut turpe & manifeſtè falſum meritò inſectatur.

Quid enim indignius Chriſtiano & Theologo quàm turpiſſimas voluptates & ſceleratiſſimos actus, utiles illis appellare, quos æterno dignos ſupplicio faciunt! Expecto dum dicant, utile eſſe viatori argento & veſte ſpoliari, quod ſic levior domum redeat; & propterea ſpoliandi laborem jure ipſi à Latrone vendi poſſe. Deinde partitio illa criminum, quâ modò conſiderantur ut crimina, modò ut voluptuaria & utilia, tota flagitioſa & improba eſt. Non enim modò interni actus in criminibus, ſed ipſi exteriores mali habendi ſunt: non modò enim hominem occidere velle, ſceleratum eſt, ſed & occidere. Hinc verè & graviter Ariſtoteles: *Voluptates, quæ improbas actiones ſequuntur, & ipſæ improbæ ſunt*; nec divelli ab ipſis poteſt reipsà improbitas, ſed ſolâ quâdam animi præciſione, quod qui ut vendi poſſint ſufficere arbitratur, cenſeat idem oportet, ut ait Comitolus, eodem loco ſacramenta vendi poſſe quatenus entia.

Omnino, ut ait idem, quæ cum re quam vendere ſit nefas, indivulſo nexu conjuncta ſunt, nec ipſa vendi poſſunt. Sic ſacerdotia, quamvis aliquid habeant temporale; tamen quia parte quâdam ſpiritali conſtant, pretio prorſus ſubjici nequeunt. Sed ſi propter dignitatem vendi non poſſunt res ſpiritales, propter indignitatem vendi crimina non poſſunt: ergo nec quæ à criminibus ſegregare nequeas.

Quod

Quod ſecutæ etiam Ethnicæ leges, ejuſmodi pacta irrita pronuntiant, l. Generaliter 26. tit. de Verbor. ſignif. *Stipulationes turpes nullius ſunt momenti, velut ſi quis homicidium ſe facturum promittat.*

Verùm illud in Leſſio abſurdiſſimum, quod cùm ſtatuiſſet retineri à judice poſſe quod propter injuſtam ſententiam accepit; id tamen ſtatuit à judice debere reſtitui, quod accepit ob ſententiam juſtam. Cujus rei ſi rationem exquiras, ad eam demum veniendum eſt, quam tetigit Montaltius & irriſit, *quia debet juſtitiam judex, & ideò vendere non poteſt: non debet injuſtitiam, & ideò poteſt vendere.* Si enim quæram cur non poſſit vendere juſtitiam juſto litigatori, non aliam afferet rationem, niſi quia debet juſtitiam, *quam propterea non poteſt ſine injuriâ vendere.* Nam ſi non deberet, poſſet vendere. Ergo cùm poſſit ex Leſſio injuſtam ſententiam vendere, ideò poteſt quia non debet: nam ſi dèberet, non poſſet vendere. Senſit quàm ineptum hoc eſſet Annatus, & propterea hâc ratione niti decretum Leſſianum non vult: ſed velit nolit, iſta nititur. Nam ſi ideò non poteſt vendere juſtitiam quia debet, & idem ex Leſſio poteſt vendere injuſtitiam, poteſt ergo vendere quia non debet.

Fateor tamen hanc rationem ineptiſſimam meritò ab Annato judicari: Sed quid mirum ſi abſurdæ ſententiæ abſurda ſit ratio? Quid autem abſurdius Leſſiano decreto? aut quid eo tardius qui non intellexerit, nec vendi à judice poſſe juſtitiam, quia debet reddere; nec injuſtitiam vendi poſſe, quia debet non injuſtam ſententiam ferre? ſicut ſenſu communi manifeſtum eſt, nec vendi poſſe alicui quod ipſius ſit; quia debetur gratis reſtitui; nec quod alterius ſit, quia res aliena vendi non debet.

Sed diu eſt cùm iſtas Caſuiſtarum argutias Auguſtinus non modò autoritate ſua, ſed etiam rationis ſplendore diſcuſſit. Nam cùm Epiſtola 54. quàm arcta ſit reſtitutionis obligatio luculenter his verbis demonſtraſſet: *Quod in Epiſtola tua ſequitur ubi dicis; Verùm ut nunc mores noſtri ſunt, ſceleris pœnam cupiunt homines relaxari, & id propter quod ſcelus admiſſum eſt poſſidere; peſſimum hominum genus commemoras, cui pœnitendi medicina omnino non prodeſt. Si enim res aliena propter quam peccatum eſt, cùm reddi poſſit, non redditur; non agitur pœnitentia, ſed fingitur: Si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum: Sed, ut dixi, cùm reſtitui poteſt.* Deinde varia ſubjicit exempla eorum à quibus reſtitutionem faciendam cenſet, atque inter alia illud judicis, qui pecunia corruptus injuſtam tulit ſententiam. *Non ideò*, inquit, *judex debet vendere juſtum judicium, aut teſtis verum teſtimonium, quia vendit Advocatus juſtum patrocinium, & juriſperitus verum conſilium. Iſti enim ad utramque partem ad examina adhibentur; iſti ex una parte conſiſtunt. Cùm autem judicia & teſtimonia, quæ nec juſta nec vera vendenda ſunt, iniqua & falſa venduntur; multò ſceleratiùs utique pecunia ſumitur, quia ſceleratè etiam, quamvis à volentibus datur: ille tamen ſolet tanquam malè ſibi ablatam pecuniam repetere: qui juſtum judicium emit, quia venale eſſe non debuit: qui autem pro iniquo judicio dedit, vellet quidem repetere, niſi timeret nec puderet emiſſe.*

Hic Auguſtini locus Leſſianam ſententiam funditus deſtruit. Primùm enim ſtatuit vendi non poſſe tam injuſtam, quàm juſtam ſententiam: contra quod ſtatuit Leſſius injuſtam ſententiam pretio æſtimari poſſe, quia utilis eſt injuſto litigatori. Statuit Auguſtinus generatim ſcelerate ſumi pecuniam pro ſententia iujuſta à volente licet litigatore: at Leſſius pugnat, poſt maleficium perpetratum licitè accipi poſſe ratione pacti onerosi, aut fidei obligatæ.

Poſtremò Auguſtinus Leſſianam ratiunculam explodit. Docet enim eum qui pro iniquo judicio pecuniam dedit, velle quidem repetere, ſed timere; & his verbis ſatis ſignificat, non poſſe retineri à judice pecuniam quaſi dono ad ſe tranſlatam, cùm emptori illi nunquam mens fuerit hanc pecuniam tanquam donum offerre, ſed tanquam injuſtitiæ mercedem, quam gratis quidem conſequi maluiſſet, pretio tamen emere coactus eſt. Ergo quod pervicaciter Leſſius ex hoc Auguſtini loco negat effici, judicem illum injuſti judicii venditorem ad reſtitutionem teneri, ſolito Caſuiſtarum more facit, quos vel clariſſimæ Patrum ſententiæ nunquam ex anticipata ſententia dimovent. Nihil enim evidentius, quàm hunc judicem injuſtæ ſententiæ venditorem in exemplum eorum afferri ab Auguſtino, à quibus reſtitutionem neceſſariò faciendam cenſet. Imò verò quo magis cernas quantùm ille à Leſſii abſit ſententia, etiam advocatis qui alicui in injuſta cauſa affuerint, mercedis acceptæ reſtitutionem imperat. *Quis tandem advocatus*, inquit, *aut ex advocato ita vir optimus facilè reperiatur, qui ſuſcepto ſuo dicat: Recipe quod mihi, cùm tibi malè adeſſem, dediſti; & redde adverſario tuo quod me agente iniquè abſtuliſti; & tamen quem prioris non rectæ vitæ rectiſſimè pœnitet, etiam hoc facere debet; ut ſi ille, qui iniquè litigavit, non vult admonitus corrigere iniquitatem, ejus tamen iniquitatis volit ipſe habere mercedem.*

Ab Auguſtino non diſſentit noſtri temporis Eccleſia. Nam ut omittam communem piorum ſenſum, quibus hæc Leſſii ſententia intolerabilis viſa eſt, extat etiam clarum hodiernæ Eccleſiæ teſtimonium in Catechiſmo Romano, ſancti Caroli juſſu compoſito; in quo raptoribus & furibus, quos nemo reſtitutione liberat, accenſentur *nummarii judices, qui vænalia habent judicia, & pretio muneribuſque deliniti, optimas tenuiorum & egentium cauſas evertunt.*

§. 3.

Reſpondetur minutioribus cavillis.

Hanc operam gratuitò Jeſuitis navamus, ut illas minutias quas congerunt Impoſtura 5. ad Leſſianæ ſententiæ ſuffragatores vindicandos, perſequamur. Norunt enim ipſi, cùm plurimi ſic Caſuiſtæ cumulantur, ſatis eſſe ſi in eo propter quod laudantur dogmate conveniant; nec ulli unquam hoc onus impoſitum, ut omnes eorum qui ſic coacervantur, reſtrictiones & exceptiones indicet. Hoc omnium, quotquot adhuc ſcripſerunt inſtitutum eſt; ut à Montaltio majorem diligentiam exigi planè ſit injurium: audiamus tamen quid afferat Apologiſta.

Malæ

Malæ fidei eſt, inquit: *quia omittit quod ait Molina, judicem peccare cùm munera accipit, ob tres rationes.* Pace tua, bone Apologiſta; nihil hîc malæ fidei; tum quia nihil hoc ad eam quæſtionem pertinebat, utrùm judex poſſit vendere injuſtitiam, quam tractabat Montaltius, tum quia ne hoc quidem omiſit. Nam ſupra enumerat quibus locis ex Molina poſſent accipi à judicibus munera ſine peccato, quo ſatis indicavit aliis locis ex Molina non poſſe accipi ſine peccato. At tu ipſe mala fide agis, qui imperitos lectores generali ſententia lactas; nec adjungis ſtatim illam ab ipſo Molina everſam his latiſſimis exceptionibus, quibus ſtatuit poſſe à judicibus accipi munera, cùm offeruntur ex *gratitudine, ex gaudio rei geſtæ obtentæ, antequam negotium expediat, ut afficiatur ad diligenter atque in favorem ejus qui munus mittit, negotium intra juſtitiæ limites expediendum*, ut 8. Epiſtola ſupra vidimus.

Pergit Jeſuita. *Malæ fidei eſt*, inquit; *quia ex iſtis ſcriptoribus ait non teneri judicem ad reſtituenda munera liberalitate litigatoris data: & tamen*, inquit, *Filiutius aſſerit, quod ſi quid ultra ſtatutum accipiant, meritò legibus damnantur, & à Principe meritò ad reſtitutionem obligantur.* Solemnis hic mos Jeſuitis eſt, ut nunquam audaciùs fallant, quàm cùm alios malæ fidei inſimulant. Vel in hoc loco quàm multæ fallaciæ! Primùm duos Filiutii numeros 211. & 218. quorum alter loquitur de iniquis exactionibus, alter de muneribus, contexunt. Deinde ſubticent Filiutium aſſerere, *munera illa jure naturæ & ſecluſâ lege poſitiva eſſe conceſſa.* Subticent non debere etiam accepta contra leges poſitivas ante ſententiam reſtitui. Itaque tantùm reſtitui imperat, cùm ſine ipſius imperio velint nolint flagitioſi illi judices ad reſtitutionem adiguntur. Hæc omitti à Jeſuita non debuerant alios arguente; à Montaltio verò commemorari quæ Jeſuita omiſſa queritur, prorſus ineptum fuiſſet. Aliud enim agebat, & propter aliud hæc Filiutii loca proferebat; nempe ut probaret reſtitui debere quod pro juſta ſententia ferenda acceptum eſt, non autem quod pro injuſta; quæ expreſsè habet Filiutius locis aſcriptis, n. 220. & 228.

Quid deinde Jeſuita? *Malæ fidei eſt*, inquit; *quia ex Reginaldo ait judicem nunquam obligari ad reddendum quod accepit propter injuſtam ſententiam: & tamen Reginaldus loco citato contrarium dicit; nempe ſi quid receptum eſt pro quovis delicto, ſive contra juſtitiam, ſive contra charitatem, aliamve virtutem, non eſt de præcepto reſtituendum; niſi fortè pro aliquo caſu particulari lex detur quæ faciat accipientem inhabilem ad acquirendum dominium rei acceptæ.* Itane hoc contrarium eſt, putidiſſime nugator? Si detur lex, inquit, particularis, & in aliquo caſu particulari tenebitur. Ergo generatim non tenetur, quod Montaltio ſatis eſt. Sed quid eſt illud, ſi detur lex? Quid ſi non detur? Non vides merum hunc Reginaldi fucum eſſe? Ait teneri ſi daretur lex: ſed non ait dari: ergo non ait teneri, nequidem in caſu particulari: imò ex Leſſio *nulla ejuſmodi datur lex poſitiva*, ut ſupra vidimus: ergo nullomodò tenetur. Nequeo ſatis mirari tam ſtultæ vitiligationis inſulſitatem, & me vehementer in illis quiſquiliis verſari pudet.

Pergamus tamen, & poſtremam audiamus criminationem. *Malitioſè*, inquit, *jus naturale cum poſitivo confundit, ut eum cenſum inſerat lectoribus, nec naturali, nec poſitivâ lege judicem teneri ad reſtituendum quod accepit ob injuſtam ſententiam; & tamen & Molina & Filiutius de ſolo naturæ jure loquuntur.* Reſpondetur, quòd jus naturale & poſitivum non diſtinxit Montaltius, gratificaturus eſſe Jeſuitis: potuiſſet enim de utroque affirmare. Diſertè id habet Leſſius locis citatis; diſertè Reginaldus, appoſitâ illa frivola exceptione, ſi daretur lex in aliquo particulari caſu. Nec minus diſertè Eſcobarius locis citatis. Poſtremò Molina & Filiutius, qui exceptionem illam addunt, ſecluſa lege poſitiva, tamen etiam poſita illa lege aſſerunt, judicem non obligari ad reſtitutionem ante latam ſententiam, niſi hoc nominatim caveatur. De Filiutio jam vidimus. Clariùs adhuc Molina ibid. *Controverſia eſt*, inquit, *utrùm quæ accipiuntur ejuſmodi donationibus validis, ſpectato ſolo jure naturali, obnoxia ſint reſtitutioni in foro conſcientiæ, nulla expectata ſententia, eo ipſo quòd accepta ſunt contra præſcriptum legis humanæ. Mihi negativa ſententia placet.* Et infra nefariè: *Impertinens verò eſt juramentum hoc, eſto eâdem lege fuiſſe juſſum; ut qui accepit teneatur reſtituere ante latam ſententiam, præſertim cùm forma juramenti ſit, ſe nihil accepturum, non verò ſe nihil retenturum.*

Nota II.

Quàm flagitioſè Ieſuitæ, quæ meretricibus leges concedunt, ad honeſtas mulieres, virgines, & Religioſas extendant.

Sexta hîc nobis excutienda Jeſuitarum Impoſtura eſt, quâ turpiſſimam ſuorum Caſuiſtarum doctrinam, infamem pudicitiæ virginum & matronarum nundinationem permittentium apertè tuentur; & ex ſanctorum libris, juriſconſultorumque decretis expreſſam fidenter affirmant.

In quo primùm mirari ſubit, cur cùm illud omne quod ipſis tribuitur agnoſcant, tamen hoc *impoſturæ* nomine appellarint: quod ab illis non hîc modò, ſed compluribus aliis locis factum. Cui rei non alia cauſa ſubeſt, niſi quòd deſperatâ eruditorum approbatione, ſolis demum imperitis ſcribunt, quos grandis ille *impoſturarum* numerus in Montaltium collatus vehementiùs percellit.

Sed hoc malitioſæ quidem verſutiæ eſt; illud autem imperitiæne an calliditatis ſit neſcio, quòd totum hoc caput in quæſtione conſumunt, de quâ nihil habet Montaltius: de eâ doctrinâ quam in ipſis reprehendit, nihil dicunt. Quod ut percipiat Apologiſta, animadvertat quæſo, ſuper hâc de quâ agitur quæſtione ipſos etiam Caſuiſtas trifariam eſſe diſtractos. Quidam cenſent pro nullo opere malo poſſe pretium accipi, acceptumque debere reſtitui: alii, in quibus D. Thomas, Antoninus, juris utriuſque Doctores, diſtinctione utuntur: concedunt enim retineri poſſe quod pro opere turpi, verùm legibus conceſſo, ut pro meretricio quæſtu accipitur:

reſtitui

reſtitui præcipiunt quod accipitur pro malis operibus quæ legibus puniuntur, ſive quæ ſunt contra juſtitiam, ut adulterium, homicidium, &c. Poſtremò veſtri, quæ tertia ſententia eſt, neutri generi flagitiorum reſtitutionis onus imponunt.

Montaltius autem, cui conſilium fuit in ſuis Litteris nonniſi manifeſtè vitioſas veſtrorum ſanctiones inſectari, quæſtionem illam omiſit, an turpe lucrum, verùm legibus conceſſum, ut meretricum & hiſtrionum, eſſet neceſſariò reſtituendum. Illud invaſit, in quo ſe ſancti Thomæ, Antonini, omnium juriſconſultorum ſuffragiis munitum eſſe ſentiebat. Cavit ergo ne ullo loco meretrices ad reſtitutionem aſtringeret. Nec enim dubia carpere voluit, cùm tot manifeſta flagitia exagitanda ſuppeterent.

Quid autem veſter Apologiſta? Omiſſis adulteriis, homicidiis, injuſtis ſententiis, & aliis contra juſtitiam ſceleribus, ad meretricum quæſtum ſe convertit, quem à quibuſdam reſtitutionis immunem judicari, corrogatis undique teſtimoniis confirmat.

Quid illo igitur homine facias qui vociferetur, hominum & ſuperûm fidem inclamet, convitia ingerat; & tamen quid ſibi objiciatur neſciat, ac res etiam apud Caſuiſtas pervulgatiſſimas ignoret; latiſſimum nempe eſſe diſcrimen inter meretricum, & matronarum, aut virginum hâc in parte conditionem. Meretrices quibuſdam civitatibus viſum eſt tolerare, majoris mali vitandi cauſâ. Ita infamis illa profeſſio ſuum tamen in Rebuſpublicis locum invenit, propter illam quam certis locis utilitatem afferre dicitur, ut homines à majoribus flagitiis avertat; de quâ ab Auguſtino dictum eſt: *Tolle meretrices de rebus humanis, impleveris omnia libidinibus*. Æquum igitur fuit, ut quibus vita concedebatur, etiam unde ſuſtentatur vita relinqueretur. Ergo quem illæ quæſtum accipiunt, non tam ille criminis ſui merces, quàm legum munus, ob illam qualemcunque utilitatem quam afferre dicuntur. Mulcta eſt quam meretricibus æſtimat Reſpublica, non pretium criminis, quod per ſe nihil meretur niſi ſupplicium.

Alia longè ratio matronarum, virginum, Religioſarum, quarum impudicitiam non modò non tolerant leges, ſed ſeveriſſime plectunt. An igitur quia meretricius quæſtus à Republicâ toleratur ad vitanda matronarum adulteria, etiam factus adulterio quæſtus exiſtimabitur licitus, cui ut occurreretur, meretrices ipſas tolerare neceſſe fuit? *Turpiter facit mulier quod ſit meretrix: non turpiter accipit, quia eſt meretrix:* ipſa ſcilicet turpitudine profeſſionis, lucri turpitudinem excuſante: Turpiter igitur Matrona, turpiter virgo accipit quia non eſt meretrix.

Deſinant ergo meretricum exemplo abuti Jeſuitæ, ut fœdiſſimam Caſuiſtarum ſuorum doctrinam tueantur: deſinant pretiò ſubjicere adulteria, homicidia, & ipſam proh nefas! ſanctimonialium pudicitiam vænalem habere; horreantque, ſi quis adhuc ipſis ſupereſt pudor, obſcœnas illas Leſſii voces lib. 2. cap. 14. num. 73. quas rectè Montaltius in libro gallico commemorare refugit: *Quod opere malo eſt acceptum, non eſſe reſtituendum; niſi fortè quis communem æſtimationem conceſſerit: ut ſi meretrix quæ uſuram ſui corporis conce-*

dere ſolet uno auréo , ab aliquo juvene extorſerit quinquaginta tanquam pretium. Hoc tamen locum non habet in eâ quæ putatur honeſta : ut ſi matrona aliqua, vel filia centum aureos pro uſurâ corporis accipiat ab eo qui dare poterat , retinêre poteſt. NAM TANTI ET PLURIS POTEST SUAM PUDICITIAM ÆSTIMARE. *Res enim quæ certum pretium non habent , neque ad vitam ſunt neceſſariæ , ſed voluptatis causâ quæruntur , arbitrio venditoris poſſunt æſtimari.* Hæc ſunt, Patres, ſcriptorum veſtrorum lutulenta præcepta , quæ ſcelera eò cariùs æſtimant , quò majora & majoribus ſuppliciis digna ſunt ; & nihil inter proſtibula & matronas diſcriminis agnoſcunt , niſi quòd iſtæ cariùs infamiam ſuam poſſunt vendere , & illi ſe ſervare , qui ſimul ipſarum & libidini & avaritiæ pareat : *dedecorum pretioſius emptor.* Poteram hîc quàm vellem plurimos ex antiquis Caſuiſtis aggerere, qui iſtam corruptelam deteſtati ſunt : ſed nihil opus eſſe decrevi hæc autoritate refelli , quæ ſtatim audita averſari & horreſcere debet Chriſtianus pudor.

Ergo ut quæ dicta ſunt breviter colligam , vænalia non poſſunt eſſe flagitia , nec vendibilis impudicitia , nec homicidium. Prorſus iſta cum nullâ re niſi cum ſupplicio rectè commutantur. Non licet adulterinis nummis quicquam emere ; quantò minùs ſceleribus. Neque id lex poſitiva tantùm vetat, ſed etiam divina. Totum enim contrà eſt ac illi Caſuiſtæ exiſtimant : quæſtum ex ſceleribus licitum putant, niſi vetetur legibus humanis ; cùm potiùs habendus ſit ſemper illicitus , niſi aliquando legibus permittatur humanis : ut jam non ſit ille flagitii merces , ſed illius utilitatis , propter quam nonnulla à legibus flagitia tolerantur ; nec tam exiſtimetur ab eo dari qui flagitium emit , quàm à Republicâ , majora quæ vitare ſtudet flagitia , hoc diſpendio redimente.

Quæ tamen non in eam partem accipi velim, quaſi certò definiam prorſus à reſtitutione liberas meretrices ; cùm id noverim apud ipſos Caſuiſtas eſſe controverſum. Multa humano jure licita ſunt , quæ coram æternâ juſtitiâ non licent ; cùm legibus humanis humanam unicè ſervare ſocietatem propoſitum ſit , & ideo illis flagitiis indulgere illæ ſoleant , quæ minùs huic ſocietati adverſentur. Et certè meretrices illæ quæ ad Chriſtum converſæ ſanctitatis famâ celebrantur , quæſita turpitudine bona ne digna quidem judicarunt quæ effunderentur in pauperes, ſed flammis magis abolenda cenſuerunt. Omnino vix poteſt contingere , ut quas pœnitentiæ Spiritus vehementiùs concuſſerit , non hæc impudicitiarum ſuarum monimenta oderint, & à ſe amoveant. Ergo ſic in dubiis affirmandi vel negandi temeritatem in utramque partem Montaltii exemplo vitabimus , ut quæ manifeſtè ſcelerata ſunt , apertè cum illo inſequamur.

Nota III.

De contractu Mohatra.

Contractum Mohatra miſſis ambagibus defendit Apologiſta Impoſturâ 7. & ignorantiæ vel arrogantiæ Montaltium accuſat, quòd vel illum neſcierit quibuſdam probari Caſuiſtis, vel tantis probatum autoribus auſus ſit reprehendere.

Ego verò quid Bonacina ſentiat, quid Petrus Navarra, & pauci quidam ejuſmodi, Eccleſiæ ignoti, apud ſolos Caſuiſtas celebrati ſentiant, ne inquirendum quidem èxiſtimo; ubi repugnat communis ſenſus, repugnat bonorum conſenſus, repugnat quicquid æquitatis non modò per gratiam Chriſtianis impreſſum eſt; ſed in Ethnicis peccato non deletum. Itaque non jam ut Montaltius Senatum Pariſienſem, qui ſemper ejuſmodi corruptelas graviter coërcuit; ſed ipſos gentiles Philoſophos: nec modò Philoſophos; ſed omnes ſæculi homines nullo præjudicio depravatos judices fero: nulli enim communi ſenſu prædito Jeſuiticam cavillationem probatum iri certò ſcio. Divinis ac civilibus legibus uſura prohibetur: id eſt, vetatur ne aliquis acceptâ pecuniâ præſente, nomen contrahat pecuniâ majus. Vulgaris hæc fœnoris notio. Ergo non licet ſic pecuniam alteri collocare, nec ſic ab altero mutuam accipere. Sit ergo aliquis luxurioſus adoleſcens, pecuniæ indigus, & futuræ egeſtatis incautus. Is ſi centum aureos fœnori ſumat, & centum quinquaginta aureorum nomen contrahat, jam eum qui ſic collocarit pecuniam, manifeſtum fœneratorem eſſe vel inviti Caſuiſtæ fatebuntur. At ſi iſte neminem qui ſic collocet invenerit, & tamen quoquo pacto inventum argentum cupiat, ac eâ re excogitatâ apud ſe fallaciâ adeat mangonem, ab eo emat equum centum quinquaginta aureis creditâ pecunia, eidem numerata revendat centum aureis: obſecro, bone Apològiſta, iſtumne adoleſcentem fœnori accepiſſe hanc pecuniam negabis, cùm pro contracto 150. aureorum nomine, 100. aureos in præſens acceperit? Itane ut iſto imaginariæ venditionis commento uſuram amoverit? At fortè ille luxurioſus emptor fœnori ſumit, non fœnori collocat ille mercator, qui ſuas credita pecunia vendit merces, redimit numerata longè minori? Quaſi verò fieri poſſit, ut ſit qui fœnori accipiat, nec ſit aliquis qui fœnori collocet? Quaſi non videat Deus totam hanc emptionem merum eſſe ludibrium, merum fœnoris integumentum; & nihil aliud agere adoleſcentem, quàm ut pecuniam hoc pacto eliciat? Itaque hoc pacto intelligens mango primùm vendat cum intentione redimendi, jam in ipſa intentione uſuræ reus eſt: ſin autem ſeriùs propoſitum adoleſcentis animadvertit, tunc ſcilicet cùm ille offert merces redimendas; cùm redimit, fœnoris crimen haud dubiè contrahit: id enim volens agit, ut pecunia ſua ab iſto adoleſcente fœnori accipiatur.

Lepidi verò ſunt Caſuiſtæ, cùm quærunt quid criminis habeat mer-

merces vendere? Quid criminis alienas merces emere? Quaſi ſic expendi res morales debeant, & non cum omnibus circumſtantiis conſiderari. Iſto modo quæſierim quid criminis habeat, manû tangere alienam? Quid criminis habeat, manus claudere, poſtremò aufugere? Sejunge has actiones, ſeparatim innoxiæ ſunt; conjunge, furtum inde coaleſcit. Sic nec ſceleratum eſt vendere merces, nec ſceleratum emere: ſed hæc duo ſi jungas, ut inde fiat dari centum aureos adoleſcenti, & ab eo accipi nomen centum quinquaginta aureorum: tam certum eſt fœnori dari pecuniam à mercatore, quàm certum eſt ab adoleſcente fœnori ſumi.

Hinc patet quàm verè vir magnus & pius Nicolaus Faber Ludovici XIII. Galliarum Regis præceptor, totam hanc Caſuiſtarum ſcientiam nihil aliud eſſe dictitaret, quàm *artem cum Deo cavillandi:* Gallicè, *L'art de chiquaner avec Dieu.* Patet quàm ſeverior, æquior, gravior ſit Magiſtratuum prudentia, qui omnes *Baratas* & *Mohatras* uſuræ condemnant, quàm nova illa ſubtilitas, quæ ſe Moralis Theologiæ nomine venditat, & invito communi ſenſu iſtos contractus frivolis quibuſdam argutiis nititur uſura purgare; quarum inanitatem qui ſatis attenderit, non dubitabit totum hoc genus contractuum hoc ſolo ab uſura differre, quòd ei fallaciam & dolum ſuperaſtruant, & apertiſſimam divinæ Majeſtatis irriſionem.

Nota IV.

De Vſura.

Cur contractum Mohatra defenderit Jeſuitarum Apologiſta, non mirabitur quiſquis Caſuiſtarum Apologiam legerit. Unum enim in illo contractu vitium uſura eſt; at hic liber uſuræ vitium ſic abigit, ut jam neſciam ubinam poſſit conſiſtere: pecuniæ, ſiquidem collocationem certo fœnore, cum ejus repetendæ poteſtate non diſſimulanter approbat, oppoſitaſque Conciliorum & Principum leges nefariis exceptionibus ludificatur, eas demum conſtitutas docens in abnormes & immenſas Judæorum uſuras adverſus jus divinum, non in vulgares illos fœneratores, qui pecunia minimè abalienata certum ex ea reditum capiunt. Itaque legis fine ceſſante ceſſare quoque ejus obligationem contendit. Id ſi ferunt Magiſtratus, ſi Epiſcopi, quis Legum uſus aut Canonum ſit prorſus nón video, cùm cuilibet Jeſuitarum exemplo liceat hoc cauſari, fine legis ceſſante, ceſſare quoque obligationem & vinculum legis. Sed hoc aliàs fortè, & ab aliis pro merito exagitabitur: nobis omnes illius libri errores exhaurire non eſt animus. Verùm præterire non poſſum inſignem illius ſcriptoris inſcitiam & temeritatem, qui pág. 116. aſſerere non veritus eſt ante Alexandrum III. ſimplices uſuras Laïcis nulla lege vetitas. Hoc verò quàm falſum ſit, ex ſubjectis tum Canonibus, tum decretis longè ante Alexandrum conditis omnes cognoſcent.

I. Conc. Carth. ſub Grato cap. 13. IV. Carth. can. 67. Leo mag-

nus Epiſt. 1. ad Epiſcopos Campaniæ cap. 3. Conc. Calchi&tenſe in Anglia cap. 17. Capitulare Aquiſgranenſe anno 789 cap. 5. Conc. Pariſienſe anno 829. cap. 53. Meldenſe anno 845. can. 55. Regiaticinum anno 850. cap. 21. Valent. 3. anno 855. cap. 10. Decreta Heraldi Archiep. Turon. cap. 5. Conſtitutio Riculfi Sueſſion. Epiſc. cap. 17. Conc. Troſleïan. anno 909. cap. 15. Quibus addi poteſt Pœnitentiale Romanum Alexandro III. longè antiquius: *Si quis uſuras accipit, rapinam facit; ideòque quicunque illam exegerit, pœnitentiam aget annis* 3. *uno in pane & aquâ.*

Verùm iſtos canones ignoraſſe Apologiſtæ nihil nocuit: non mutaſſet ille ſententiam ſuam, tametſi eos non ignoraſſet. Habet enim ad omnia Conciliorum ſtatuta & facta & futura nullo negotio eludenda certam exceptionem; nimirum *canonibus non mutari naturam rerum, nec effici poſſe ut uſura jam fiat, quod uſura antè non fuerit.* quemadmodum dictitat pag. 116.

EPISTOLA NONA AD PROVINCIALEM.

Lutetiæ Pariſ. v. Non. Iul. 1656.

Non plura tecum honorificis præfabor verbis, quàm mecum meus Jeſuita præfatus eſt, cùm poſtremò illum inviſi. Quàm longè ille me venientem aſpexit, feſtinus accurrit: mox oculis in librum quem tenebat conjectis: *Quantam*, inquit, *inierit à te gratiam, qui tibi ad beatorum ſedem aditum aperiat? Nonne quamvis ingentes theſauros facilè tribueres, ut tibi cœli clavis, & in illud cùm volueris intrandi poteſtas detur? Nihil eſt tantis ſumptibus opus: en tibi, non unam, ſed centum claves, quas exiguo pretio & pene nullo comparare liceat.* Legeretne, an loqueretur, incertus eram: at dubitationem exegit ita ſubſecutus. Hæc prima verba ſunt egregii libelli à noſtro Barrio conſcripti: nunquam enim loquor ſine autore. Tum ego: Dic ſodes, inquam, mi Pater, quis iſte ſit liber, qui tam præclara initio minatur? Cognoſces, inquit, ex hoc titulo: *Paradiſus apertus Philagiæ, per centum pietatis officia in Deiparam Virginem, obſervatu facilia.* Obſecro, inquam, mi Pater; an illorum quodlibet in cœlum introducit? Planiſſimè, inquit, ut ex conſequentibus verbis cernere eſt. *Quot obſequia in Deiparam hoc libro continentur, tot claves eſſe certum habe; quibus dummodò illis utaris, totus tibi Paradiſus pateſcat.* Eam obrem in operis calce ſatis eſſe dicit, *Si quis unum modò ex illis officiis uſurpet.*

Fac igitur, inquam, mi Pater, ut aliqua de facillimis me doceas. Ille autem: Nullum, inquit, non facile & expeditum. Exemplo ſint iſta: *Beatam Virginem ſalutare, cum in ejus imaginem incurris. Roſarium decem delectationum beatæ Virginis recitare. Mariæ nomen frequenter in ore habere.*

Ange-

Angelis mandare ut ei noſtro nomine ſalutem dicant. Optare ut plures illi Eccleſias ædificemus, quàm omnes ſimul Catholici reges adhuc fecerint. Ineunte & deſinente die ſalutem ipſi dicere. Singulis diebus Aue Maria in honorem cordis Mariæ. Quo obſequio vel maximè cor beatæ Virginis adjungi dicit. Eâ credo conditione, inquam, mi Pater, ut ſuum quiſque cor Mariæ offerat. Optandum quidem illud, inquit; ſed tamen neceſſarium non eſt, ſi quis mundi amore nimis implicatus ſit: audi Barrium. *AEquiſſimum quidem fuerit*, inquit, *pro corde cor dari: at quia tuum nimis adhuc creaturis alligatum eſt, ſuadere non audeo ut fugitivum illum ſervum, quem tu animum, ſive cor tuum dicis, tam citò Mariæ offeras.* Igitur Barrio ſatis eſt Ave Maria, quod initio petierat. Hujuſmodi ſunt obſequia quæ habentur pag. 33. 59. 145. 156. 172. 258. 420. editionis primæ. Hîc ego: Non dici poteſt quidquam commodius, mi Pater; itaque neminem jam æternis ſuppliciis addictum iri reor. Neſcis, inquit ille, quanta ſit certorum hominum durities. Sunt qui nunquam id curæ ſuſcipiant, ut quotidie voces illas recitent, *ſalve, vale*; neque enim id præſtari poteſt ſine aliquâ memoriæ attentione: quamobrem faciliora adhuc obſequia à Barrio noſtro ſuppeditari oportuit; cujuſmodi ſunt iſta: *Ferre Roſarium ſemper brachio circumvolutum, aut quocunque tandem modò ſecum illud habere, vel ſaltem imaginem B. Virginis.* Extant illa pag. 14. 326. & 447. *Iam dic non te facilia pietatis opera doceri, quibus Mariæ animum tibi conciliare poſſis,* ut Barrius ait pag. 106. Equidem, mi Pater, nihil ad hanc facilitatem addi poteſt. Ultra, inquit, progredi non licuit: ſed iſta credo ſatis erunt. Quis enim ita impiè demens, ut de totâ vitâ nolit momentum ſumere ad colligandum in brachio roſarium, & ſic collocandam in tuto ſalutem; idque tantâ cum ſecuritate, ut hoc qui experiri voluerunt, nunquam ſpes ſua fefellerit: unum duntaxat exemplum afferam, quod refert Barrius pag. 34. Erat quædam fœmina quæ nullum intermittebat diem, quin quoti-

quotidie Beatæ Virginis imaginem ſalutaret; & tamen ad finem uſque vitæ lethali peccato manſit obnoxia, ac demum ita mortem obiit: & tamen hujus quod dixi obſequii præſidio ſalutem adepta eſt. Quî poteſt, exclamavi? Illam, inquit, ne damnaretur, Dominus è mortuis excitavit. Adeò perire non poteſt qui aliquo iſtorum officio fungitur.

Non dubito, inquam, mi Pater, pietatem adverſus Beatam Virginem magnum eſſe adipiſcendæ ſalutis ſubſidium; & vel leviſſimorum officiorum non mediocre meritum eſſe, ſi ex fidei & charitatis radice naſcantur, ut in ſanctis qui iſta frequentarunt, certè naſcebantur. At periculoſè admodum, mi Pater, iis qui hæc obſequia ſtudioſiùs uſurpant, de vitâ mutandâ non laborant, ea inſeritur opinio, fore ut vel in ipſo mortis articulo ad Deum convertantur, vel mortui revocentur ad vitam: ſcilicet temeraria illa fiducia fovendis hominum fallaci ſecuritate flagitiis longè accommodatior videtur, quàm eiſdem per veram animi converſionem eluendis. Quid refert, inquit, in cœleſte regnum poſticone an januâ ingrediamur: omnino virtutene, an induſtriâ, illâ gloriæ arce potiamur, nihil ad rem dum potiamur *modò*, ut ſapienter à Bineto Provinciali noſtro in eximio libello de Notis prædeſtinationis n. 31. pag. 130. his verbis gallicè dictum eſt: *Soit de bond, ou de volée, que nous en chaut, pourueu que nous prenions la ville de gloire?* Parum referre, inquam, facilè dabo: at id agitur, utrùm iſtâ viâ perveniatur in cœlum. Præſtat, inquit, id Beata Virgo, ut extremis verſibus pulchrè Barrius noſter oſtendit. *Si quid in te*, ait, *juris eſſe contendat humani generis hoſtis, indeque in parvâ cogitationum tuarum republicâ aliquid oriatur tumultus, dic pro te Mariam ſpoſpondiſſe, eamque de iis quæ à te petuntur appellandam.*

Tum ego: Si quis, mi Pater, hoc loco paulò acriùs tibi inſtet, metuo ne te in non leves conjiciat anguſtias. Quis enim tandem fidem dedit ejuſmodi hominibus ſalutem

tem à Beata Virgine præſtari? Sponſor eſt, inquit, ipſe Barrius pag. 465. *De commodis*, ait, *inde redituris vadem me offero pro Beatâ Virgine.* At quis, inquam, mi Pater, pro Barrio veſtro vas erit? Quid ais, inquit? Nonne Barrium ex Societate noſtrâ eſſe ſat eſt, cùm ipſa omnes alumnorum ſuorum libros præſtet? Nolim à te rem tanti momenti ignorari. Hanc igitur nobis legem eſſe ſcito, ut ne quid Præpoſitorum injuſſu, & ſine Theologorum noſtrorum approbatione edamus in vulgus. Sic ſolemni ſanctione nobis edixit Henricus III. 10. Maii. anno 1583. Quod itidem confirmarunt Henricus IV. die Decembris 20. anni 1603. & Ludovicus XIII. 14. Februarii 1612. Ita toti corpori ſingulorum libri præſtandi ſunt, proprium id Societati noſtræ. Hinc fit ut quicquid emanat à noſtris, Societatis noſtræ verum referat ingenium. Quod te doceri ad rem attinuit. Gratiam, inquam, habeo, mi Pater: id unum dolet, iſtuc me tam ſerò reſciſſe: nam hoc qui novit, quæ dicuntur à veſtris ſpectat attentiùs. Feciſſem, inquit, ſi ita res tuliſſet: tu vide ut tibi hæc noſſe proſit impoſterum; nos inſtitutum ſermonem repetamus.

Salutis quidem vias, ni fallor, indicavi ſatis faciles, ſatis multas, ſatis denique ſecuras. Noſtris verò Patribus fuerit in voto homines in hoc infimo gradu non reſiſtere, in quo præciſè quæ ſaluti neceſſaria ſunt implentur, & nihil ampliùs. Ut illis Dei gloriam promovere unicus amor eſt: ita homines ad religioſiorem vitam provehere vehementer exoptant. Ergo cùm à pietate multos abſterreat imago quædam ipſius tetrica & horrenda, neſcio quomodò ipſis impreſſa, hunc obicem removeri magni referre noſtri arbitrati ſunt. In quo plurimùm ſeſe nobilitavit Moinius noſter, egregio illo *de commodâ pietate* libello, Gallicè: *De la deuotion aiſée*, quem hoc conſilio confecit. Hîc verò pietatem tam venuſtam & elegantem exhibet, ut nulli notior fuiſſe quàm ipſi videatur; quod te primi hujus operis verſus facilè docebunt. *Nulli*, (ait pag. 92.) *adhuc*

adhuc virtus ſeſe nudavit, nullam ejus habemus non diſsimilem imaginem; nec mirum ſi in iſtius rupem tam pauci evadere contenderint: adhuc illa ſic exhibita nobis eſt, quaſi moroſa quædam & aſpera; frequentiæ fugiens; ſolitudinis amans; labore ſemper ac dolore ſtipata; luſibus & jocis inimica, ex quibus exiſtunt gaudia, vitæ moleſtiæ condiuntur. Atqui, mi Pater, inquam, magnos viros excellenti ſanctitate præditos aſperrimam vitam coluiſſe notum eſt. Sunt iſta vera, inquit; at contrà etiam *nunquam defuerunt*, ex Moinio pag. 191. *viri ſancti, & nihilominùs politi, atque ad aulicam urbanitatem compoſiti*: quin pag. 86. adverti licet morum illam diſcrepantiam ex variâ ipſorum indole proficiſci. *Non nego*, inquit, *eſſe quoſdam devotos pallida facie, & multùm atræ bilis præferentes, qui ſilentium ſectentur atque ſeceſſus, quorum venæ pituitâ non ſanguine plenæ ſint, facies immunda illuvie cadaveroſa. Sunt tamen quos ad manſuetiorem cultum inſtruxit benignior corporis temperatio: ſunt in quibus abundat dulcis ille & calidus humor, & ſanguis ille mitis ac purgatus, unde gaudium effloreſcit.*

Hinc intelligere eſt, ſine illo taciturnitatis & ſolitudinis ſtudio pietatem à multis coli poſſe; imò hoc naturæ potiùs eſſe, quàm pietatis. Nam aſperi illi mores quos tu dilaudas, vix aliud quàm feram quandam & agreſtem indolem oſtentant: quamobrem illos ridiculis & inhumanis fatui melancholici moribus rectè accenſet Moinius noſter lib. 7. Picturarum moralium; ex quibus licet pauca deguſtes. *Ad inſpiciendam*, inquit, *artis vel naturæ pulchritudinem oculis caret: voluptatem tanquam onus moleſtiſsimum aſpernatur & fugit: feſtis diebus ſeceſſum quærit inter mortuos: malit in trunco vel in ſpecu vivere quam in palatio vel throno ſedere: injuriis & contumeliis tam non movetur, quàm ſi ſtatuæ oculos, ſtatuæ aures haberet: ignorat gloriæ honoriſque ſimulachra, nec unquam illis thus adolet: formoſa mulier ipſi ſpectrum eſt; nec plùs in illum valent imperioſi illi vultus & ſuaves tyranni, qui captivos undique voluntarios ſine catenis abducunt, quàm ſol in oculos*

noctuæ

noctua valet. Tum ego: Ni præmonuiſſes, mi Pater, inquam, hoc à Moinio veſtro ſcriptum eſſe, ne vivam ſi non hanc deſcriptionem ab impio aliquo deridendæ ſanctorum vitæ cauſâ inſtitutam putaſſem. Nam aut nihil prorſus intelligo; aut hæc hominis prorſus illis cupiditatibus, quas abdicari præcipit Euangelium, exoluti effigies eſt. Diſce igitur quàm nihil intelligas. Nam hæc *jejuni & ruſtici animi lineamenta ſunt, liberalibus & honeſtis carentis affectibus*, ut Moinius in fine ſubjungit. Hanc ille viam *virtutis ac Chriſtianæ philoſophiæ* tradendæ arripuit, ut in ipſo operis limine propoſitum ſibi fuiſſe demonſtrat. Non negabis, reor, hanc novam pietatis diſciplinam antiquâ illâ & horridâ eſſe millies gratiorem. Vah, inquam, immenſùm quantùm hæc veſtra methodus ſit priſcâ illâ jucundior. Itaque jam tuis promiſſis minùs diffido.

Meliùs, inquit, iſta in progreſſu cernes; necdum enim generales pietatis inſtitutiones exceſſimus. At ut minutatim diſpicias quot ex illâ noſtri ſpinas evulſerint, age, quod magis ambitioſis ſolatium afferri poteſt, quàm ſi cum verâ pietate immoderatam honorum cupiditatem conſiſtere poſſe perdiſcant. Etiamne, mi Pater, ſic erit, quantumvis hæc honorum libido effrænata fuerit? Sic erit, inquit: nam intra peccati venialis limites ſemper manebit, niſi quis honores expetat ut in Deum & Rempublicam peccet liberiùs: at verò non impediunt venialia peccata, quin aliquis egregiè pius ac devotus ſit. Quis enim ſanctus illis caruit? Audi Eſcobarium Tr. 2. Ex. 2. n. 17. *Ambitio*, inquit, *eſt appetitus inordinatus dignitatum & honorum. Ex genere veniale tantùm; ex circumſtantiâ externâ mortale, cùm appetit dignitatem ſeu ad damna Reipublicæ ad profuſiorem delinquendi licentiam.* Pulchrè, inquam, initia procedunt.

An minus, inquit, avaris dulce eſt hoc Eſcobarii decretum, Tr. 5. Exam. 5. num. 154. *Scio in gravi pauperum neceſſitate divitem non dando ſuperflua, non peccare mortaliter.*

Id

Id ſi ita eſt, inquam, mi Pater; in peccatis dignoſcendis rudem me planè profiteor.

Quò tu magis id ſcias, inquit, dic ſodes, an tu non ita ſentis, eum graviter & periculoſè peccare, qui in operibus ſuis ſibi placeat, & inani inde tumore ſe efferat. Quid ſi ergo elationem illam hominis ſibi placentis, tametſi ſine cauſâ ſuſceptam, adeò non vitioſam eſſe oſtenderim, ut à Deo quibuſdam muneris loco concedatur? Itane, inquam, mi Pater? Ita, inquit. Nam id luculenter docuit Garaſſus noſter in libro Gallico quem inſcripſit, Summam capitalium Religionis veritatum, part. 2. pag. 419. *Ex juſtitiæ*, ait, *digna cujuſque factis præmia tribuentis legibus, omni labori honeſto aut publica laus debetur, aut privata voluptas; ac excellentium quidem ingeniorum fœtus meritò publicæ laudes remunerantur: ſed quando in aliquâ contemptâ ſcriptione elucubrandâ multùm laboris ponit miſer quidam & iners ſcriptor, quæ ſibilos potiùs quàm plauſus mereatur, ne careat operæ ſuæ mercede, huic privatum Deus de opere ſuo gaudium rependit, quod nemo ſine immaniſſima injuria ipſi invideat: ſic ranis pro ſua juſtitia Deus quandam de ſuo cantu voluptatem largitur.*

Commoda, inquam, Deus bone, decreta in ambitionis, elationis, & avaritiæ gratiam. Quid invidia? An difficiliùs excuſabitur? Locum tangis, inquit, ſatis lubricum, nec vulgaris ad decidendum acuminis. Advocanda enim Baunii noſtri ſubtiliſſima diſtinctio, quam ille in Summâ cap. 7. pag. 123. 5. & 6. editionis adhibuit. *Invidia*, inquit, *de bono ſpirituali proximi, mortalis eſt; at de temporali, eſt tantùm venialis.* Quamobrem, inquam? Audi, inquit, Baunium: *quia bonum temporale ita minutum eſt, & tam parvi præ cæleſtibus bonis momenti, ut apud Deum & ſanctos pro nihilo pendatur.* Cur igitur, inquam, ad tuendum minutum illud bonum homines interimi permittitis? Tum ille: Pergis quæ dicuntur à me tam perverſè ſemper accipere. Hæc bona temporalia pro nihilo putari dicit Baunius, ſed apud Deum, non apud homines. Non advertebam, inquam,

quam, nec mediocris jam mihi ſpes eſt omnia lethalia peccata iſtis diſtinctionibus deletum iri. Fruſtra ſperabis, inquit, ſi hoc ſperes. Sunt enim quædam ſuâpte naturâ lethalia; ut ille torpor & ſegnities, quam acediam vocant. ô mi Pater, inquam, ſiquidem ita ſit, omnes vitæ ſuavitates funditus periere. Mane, inquit: poſtquam tetri illius vitii definitionem ab Eſcobario traditam cognoveris, aliter fortaſſe ſenties. *Quidnam eſt acedia?* inquit Tr. 2. Ex. 2. num. 81. *Faſtidium ſpiritualium rerum, ſeu triſtitia ex eo quod ſint res ſpirituales, v. g. ſi quis doleat, quia ſit ad gratiam, ad merita, ad gloriam creatus; aut quis afficiatur triſtitiâ, quòd ſacramenta ſint gratiæ bonorumque ſpiritualium ſcaturigo.* Neminem certè, mi Pater, tam pravo & abſurdo ingenio fuiſſe exiſtimo, ut iſto modo piger eſſet. Eâ re, inquit, addit Eſcobarius num. 105. *Fateor rarò contingere ut quis ſpecialiter doleat ac triſtetur de bono ſpirituali, in quantum eſt bonum divinum; & ſpecialiter acediæ peccato delinquat.* Intelligiſne quanti referat probè res definiri? Intelligo, inquam; quin hoc quod modò dixti in memoriam mihi redigit eas definitiones quibus me ſuperiùs imbuiſti, quid ſit eſſe ſicarium, quid per proditionem interimere, quid habere ſuperflua: ſed cur hanc methodum tam utilem non adhibetis ad cætera, eaſque reliquis vitiis definitiones non accommodatis, quibus voluptatibus ſuis quiſquis ſerviat ſine peccato? Nil neceſſe eſt, inquit, ſemper mutari rerum definitiones. Jam faxo videas in gulæ lautitiæque negotio, quo nihil habet vita voluptuarium magis: hanc tamen Eſcobarius nominatim licitam facit tr. 2. Exam. 2. num. 102. in praxi Societatis noſtræ. *An comedere*, inquit, *& bibere uſque ad ſatietatem abſque neceſſitate ob ſolam voluptatem, ſit peccatum? Cum Sanctio negativè reſpondeo, modò non obſit valetudini; quia licitè poteſt appetitus naturalis ſuis actibus frui.* Nil vidi, mi Pater, in totâ veſtrâ diſciplinâ clariùs & ſignificantiùs definitum; nec ullum eſſe dogma cenſeo, ex quo plures derivari commodæ concluſiones poſſint. Sic-

cine gulam ne venialis quidem culpæ damnatis? Hâc quidem, inquit, quâ dixi ratione prorſus culpâ caret; at tum eſſet venialis, ut dicit Eſcobarius num 56. *ſi abſque utilitate ſe quis cibo & potu uſque ad vomitum ingurgitet, niſi ex hujuſmodi vomitione gravia ſalutis incommoda exoriantur.*

Atque in hanc rem iſta ſufficiant. Nunc illa in medium afferenda, quæ ſolerter excogitavimus, ut faciliùs peccata tum in ſermonis uſu, tum in contrahendis rebus vitentur. In quo nil difficilius ac perplexius, quàm mendacium effugere, præſertim cùm aliquid falſi perſuadere velis. Huc verò mirabiles utilitates affert noſtra de æquivocis doctrina, quam Sanctius noſter ſic explicat pag. 2. lib. 3. cap. 6. num. 13.

Prima regula ſit, inquit: *quoties verba ſunt ſignificatione ſua ambigua, pluresque ſenſus admittentia, nullum eſt mendacium ea proferre in ſenſu quem proferens ex illis vult & concipit, etſi audientes ac is cui juratur, in alio ſenſu accipiant, etſi nulla juſta cauſa ducatur proferens.* Iſtuc quidem, inquam, artificium jam noveram. Sic nos, inquit, illud evulgavimus, ut nemini jam ſit incognitum: at ubi verba æquivoca non ſuppetunt, ſcin quid facto opus ſit? Neutiquam verò, inquam. Equidem, ait, tametſi nullus diceres facilè ſuſpicabar; nam id novum, & vulgo ignotum. Hæc illa eſt *reſtrictionum mentalium* calliditas, quam ſubjungit Sanctius his verbis: *Poſſunt quoque abſque mendacio ea verba uſurpari, etiamſi ex ſua ſignificatione non ſint ambigua, nec eum ſenſum verum admittant ex ſe, nec ex circumſtantiis occurrentibus; ſed tantum verum ſenſum reddant ex aliquo additito mente; ut ſi quis vel ſolus, vel coram aliis interrogatus, ſive propria ſponte, ſive recreationis cauſa, ſive quovis alio fine juret ſe non feciſſe aliquid quod reverà fecit, intelligendo intra ſe aliquid aliud quod non fecit, vel aliam diem ab eâ in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, reverà non mentitur, nec eſt perjurus; ſed tantùm non dicit unam veritatem determinatam quam audientes concipiunt, ac verba illa ſignificant, ſed aliam veritatem diſparatam.* Ejuſmo-

Ejuſmodi reſtrictionum varia deinde ſubjicit exempla, & inprimis illud num. 26. *Licebit reo non juridicè interrogato reſpondere ſe non occidiſſe Petrum, intelligendo alium ejuſdem nominis, vel etiam eundemmet, intelligendo antequam naſceretur.*

Hanc verò calliditatem *utiliſſimam* dicit eſſe Sanctius *ad tegenda multa quæ tegere opus eſt, nec tegi abſque mendacio poſſent, niſi modus hic eſſet licitus. Cauſam verò hac utendi juſtam eſſe* pronuntiat, *quoties neceſſarium aut utile eſt ad ſalutem corporis, honorem, res familiares tuenda, vel ad quemlibet virtutis actum; ita ut veritatis occultatio cenſeatur tunc expediens & ſtudioſa.*

Hîc ego: Quid eſt, mi Pater, ſi non hoc mendacium? Imò quid eſt ſi non hoc perjurium? Nec mendacium, inquit, nec perjurium eſt. Doctè hoc probat Sanctius, & noſter item Filiutius tr. 25. c. 11. n. 331. *Quia,* inquit, *intentio diſcernit actionem.* Quin etiam n. 328. vitandi mendacii cautiores tradit induſtrias. *Quæro,* inquit, *quâ cautelâ utendum ſit amphibologiâ? Reſp. ut rectè amphibologia concipiatur, aſſignari poſſunt duo modi pro perſonis judicio præditis: primus eſt, habere intentionem proferendi verba externa materialiter, & ad majorem ſecuritatem; cùm incipit v. g. dicere juro, interponere ſubmiſsè reſtrictionem mentalem, me hodie, deinde addere altâ voce, non comediſſe rem illam; vel juro, & interponere, me dicere, tum abſolvere alta item voce, quod non feci hoc vel illud. Sic enim veriſſima eſt oratio tota.*

Apparet, inquam: at duo tamen quædam vereor: primum, ne iſto artificio id unum aſſequamur, ut verum ſummiſsâ voce dicamus, clarâ mentiamur: alterum, ne multi non ſatis apud ſe ſint, ut illis methodis poſſint uti. His, inquit, qui reſtrictiones mentales ad manum non haberent, ſapienter à noſtris Patribus proſpectum eſt, ut ex his quæ ſubjicit Filiutius diſci poteſt. *Pro rudibus,* inquit, *qui neſciunt in particulari concipere amphibologiam, ſatis eſt ſi habeant intentionem affirmandi vel negandi in ſenſu qui contineat*

reipsà veritatem, ad quod neceſſe eſt, ut ſaltem in univerſale ſciant ſe poſſe negare in aliquo vero ſenſu.

Potin es mihi verum dicere? Nonne impeditus ſæpe ac perplexus fuiſti, quòd illius doctrinæ cognitione carueris? Certè, mi Pater. Age, nonne hoc etiam dabis percommodum fore, ſi nonnunquam obſtrictæ fidei tutâ conſcientiâ deeſſe liceat. Siquidem id fieri poſſit, inquam, nil commodius. Audi igitur, inquit, Eſcobarium Tr. 3. Ex. 3. n. 48. *Expende quomodò promiſſio obliget, quando nam minimè obligare videatur. Non obligat, ſi non habuiſti animum te obligandi, ſed ſolùm propoſuiſti facere: vix autem quis promittentium obligari intendit, niſi juret aut inſtrumento ſtabiliat. Itaq; cùm dicunt, faciam, intelligunt ſe facturos niſi mutentur. Volunt enim libertate ſuâ frui.* Alias deinde non implendi promiſſi vias ſubjicit, quæ tu privatim conſulere potes: mox in clauſulâ *hæc omnia ex Molina & aliis* ducta eſſe ſubnectit.

Enim verò, mi Pater, eam vim *dirigendæ intentionis methodo* ineſſe non rebar, ut etiam promiſſa reſcinderet. Cernis, inquit, quantas è vitâ ac negotiis difficultates tollat hæc methodus; at nihil ſcito nobis laborioſum magis fuiſſe, quàm colloquiis virorum cum fœminis leges ponere. Nam in pudicitiæ ratione noſtri cauti valde & reſtricti ſunt; & tamen etiam in hâc materiâ nonnullas habent ſententias ſatis remiſſas, nec minùs curioſas, in eorum præcipue gratiam qui uxorem vel duxerunt, vel deſponderunt. Hîc Pater iſtarum quæſtionum exempla tam ſpurca, tam pecude potiùs quàm homine digna ſubjecit ut nihil fingi poſſit obſcœnius: tot autem mihi ingeſſit, ut facilè pluribus litteris implendis poſſint ſufficere. At nos ne ipſa quidem annotabimus loca: literas enim noſtras cùm tu omnibus promiſcuè communices, metuo ne quis eorum qui ſolam in iſtis rebus voluptatem ſequuntur, hinc arreptâ occaſione ipſos, quod nolim, adeant libros, ac tali lectione animum commaculent.

Nil aliud ex lutulentis illis decretis, quæ mihi Jeſuita

meus

meus in ſuorum libris etiam Gallicis oſtendit, indicare poſſum, niſi quæ Baunius habet in Summâ Gallicâ p. 165. de quibuſdam familiarioris benevolentiæ ſignis, quæ ille & explicat & excuſat, modò intentio dirigatur ad finem honeſtum, ut *ſiquis*, ait, *ſcitus & facetus haberi ſtudeat.* Nec tu, credo, mediocriter miraberis inauditum illud dogma quod idem Baunius ſancit p. 148. nil injuriæ parentibus facere puellam, quæ pudicitiâ ſuâ pro libito utitur; quia ſuo, inquit, in hoc utitur jure. En ipſa Baunii verba. *Cùm puella in vitium conſentit, tametſi ipſius pater queri poſſit, nihil tamen ipſi vel à filiâ, vel ab ejus corruptore injuria factum eſt; nec ab illis prorſus violatur juſtitia. Nam virginitatis jus & poteſtas penes ipſam virginem eſt, ſicut ſui corporis: adeòque eo pro libito uti poteſt, excepto quòd nec mortem ſibi afferre, nec ſe membris multare poſſit.* Tu verò ex hoc ſpecimine reliqua conjice. Sed ille Baunii locus mihi quendam Ethnici Poëtæ locum in memoriam revocavit, morum Doctoris haud paulùm Jeſuitis hâc in parte melioris:

Virginitas non tota tua eſt, ex parte parentum eſt.
Tertia pars data patri, pars data tertia matri,
Tertia ſola tua eſt.

Atque haud ſcio an nullus ſit judex, apud quem hæc Poëtæ contraria Baunio ſententia non legis habeatur loco.

Habes quid his de rebus ex Jeſuitæ ſermone referre poſſim, quem ille tandiu proſecutus eſt, donec tandem ut de alio argumento diſputaret à me rogatus morem geſſit; & ad ſuorum de ornamentis mulierum doctrinam orationem flexit. Remotis illis, inquit, quæ impudicam mentem gerunt, aliis ita conſulit Eſcobarius Tr. 1. Ex. 8. n. 5. *Si fiat*, inquit, *ille ornatus non malo fine, ſed ob naturalem faſtus inclinationem, veniale tantùm erit peccatum aut aliquando nullum.* Et Baunius in Summâ c. 46. p. 1094. *Etſi*, inquit, *fœmina malos effectus cognoſcat, quos ſua in ornando corpore diligentia, & in animo & in corpore virorum pretioſum illum ornatum intuentium operatur, non tamen peccabit his ornamentis*

utendo. Sanctium deinde profert ſecum ſentientem. Quo pacto igitur, inquam, Doctores veſtri ex illis Scripturæ locis elabuntur, quæ ejus generis etiam leviſſima quæque tantâ ſeveritate ſanciunt? Doctè, inquit, iſtis Leſſius ita ſatis facit: *Propter ædificationem Ethnicorum,* inquit, *expediebat illo tempore præcipi.* Obſecro, inquam, mi Pater, undenam id Leſſius hauſit? Nunquam, inquit, inquirendum unde ſententias ſuas noſtri hauſerint. Quid enim refert, cùm talium virorum decreta ſuâpte gravitate ſint probabilia. Hinc tamen liberiori veniæ Moinius noſter certos limites appoſuit. Nam hanc ornandi corporis curam omnino in vetulis non probat. Extat ſanctio in *Commodâ pietate* p. 127. & 157. *Datur,* inquit, *omnium conceſſu & naturali quodam jure juventuti ornandi ſe venia. Decet illam ætatem corporis cultus, quæ flos quidam vitæ noſtræ ac viriditas eſt, at cave ne ultra progrediare. Nil enim intempeſtivum magis fuerit, quàm roſas in nive quærere. Solis demum ſideribus conceſſum eſt ut perpetuos agitent choros, quia nunquam ipſorum juventus fugit. Nil ergo potius, quàm rationis & ſpeculi uti conſilio, nec facere velle quod dedeceat; poſtremò adventante nocte recipere ſe ex mundi ludo neceſſitati parentem.*

O prudentem, inquam, monitorem, mi Pater. Quò magis noris, inquit, quàm nil patrum noſtrorum providentiam fugerit, aliud ipſorum ſtatutum attende. Viderunt quam fœminis concedunt ludendi veniam inutilem iis ſæpius fore, niſi habeant unde ludant: quamobrem aliud quoddam decretum finxerunt, unde illæ facilè argentum ſibi conficiant. Id videre eſt apud Eſcobarium Tr. 1. Ex. 9. n. 13. *Poteſt,* ait, *fœmina ludere, & pecuniam accipere ad ludum, dandumque pauperibus, intra decentiam ſui ſtatus.* Non inſcitè, inquam, mulieribus inſervitum à vobis eſt.

Quàm multa alia, inquit, commodè à noſtris ſancita ſunt: at illa in præſens omitti neceſſe eſt, ut ad graviora veniamus; & quàm facilem rerum ſacrarum uſum effecerint noſtri, breviter explicemus. Audi enim de audiendæ

Miſſæ

Miſſæ ratione, quid decreverint magni illi Theologi Gaſpar Hurtadus & Conink. *Sufficit*, inquiunt, *corporalis præſentia, dummodò licet mente diſtrahatur, corpore reverenter aſſiſtat, & cum debitâ externâ attentione.* Vltra etiam provehitur Vaſqueſius, qui *ſatisfacere præcepto eum* aſſerit *qui ſacrum audit animo non ſatisfaciendi.* Hæc omnia habes apud Eſcobarium. Tr. 1. Ex. 11. n. 74. & 107. Item Tr. 1. Ex. 1. n. 116 ubi rem illorum exemplo illuſtrat, qui ad Miſſam audiendam vi adiguntur, *licet*, inquit, *expreſſam intentionem habeant non audiendi.* Tum ego: Narro, tibi, inquam; hoc nunquam alteri crederem quàm tibi. Non injuriâ, inquit: nam hæc decreta nonnihil tantorum virorum autoritate indigent, ut probabilia cenſeantur. Tale eſt etiam illud Eſcobarii Tr. 1. Ex. 11. n. 31. *Non obeſt*, inquit, (quominus impleatur præceptum) *alia prava intentio, ut aſpiciendi libidinosè fœminas, priori conjuncta, dummodò requiſita adſit attentio.*

Eſt etiam apud noſtros non incommoda hac de re conſtitutio, *poſſe quem partem Miſſæ ab uno, partem ab alio ſacerdote audire: imò poſſe priùs partem Miſſæ poſteriorem audiri, & poſteà priorem.* Aſſerit id Turrianus ſelect. part. 2. d. 16. dub. 7. Addam ampliùs, à noſtris quoque *permiſſum ſimul & eodem tempore dimidiatas Miſſas audire, quando*, ut ait Eſcobarius Tr. 1. Ex. 11. n. 73. *ex duobus ſacerdotibus unus Miſſam inchoaret, alter conſecrationi operam daret.* Ita docent Baunius Tr. 6. q. 9. p. 312. Hurtad. de Sacr. T. 2. de Miſſa d. 5. diff. 4. tum *quia*, ut ait Azorius p. 1. l. 7. c. 3. q. 3. *poteſt quis ad utrumque ſacerdotem animum intendere*; tum *quia*, ut ait Eſcobarius in edit. Lugd. an. 1646. *Eccleſia tantùm præcipit ut Miſſa audiatur: duæ autem medietates unam Miſſam conſtituunt.* Ex quo vide quid eliciat eodem loco. *Colligo*, inquit, *poſſe breviſſimo temporis interſtitio Miſſam audiri, ſi quatuor v. g. altaribus variæ Miſſæ, proportionatâ temporis anterioritate ſic celebrentur, ut dum una inchoatur, ſecunda ab Euangelio tunc in conſecrationem procedat, tertia à conſecratio-*

ne in conſumptionem, quarta denique à conſumptione uſque ad terminum. Iſto modo, inquam, mi Pater, Pariſiis in æde Divæ Mariæ Miſſam vel momento licebit audiri. Vides igitur, inquit, quò facilior fiat Miſſæ audiendæ ratio, vix quicquam noſtrorum induſtriæ adjici poſſe.

At nunc explicandum eſt quemadmodum ex ſacramentorum, & præcipuè pœnitentiæ uſu omnis à noſtris aſperitas detracta ſit. Hîc enim extrema & cumulata noſtræ diſciplinæ benignitas elucet. Stupebis, pietatem quam omnes expaveſcebant, tantâ à noſtris prudentiâ temperatam fuiſſe, ut *dejecto illo terriculo, quod in illius aditu dæmones collocarant, ipſa vitiis facilior, voluptate ſuavior ac mollior effecta ſit*, ut jam ſi Moinii noſtri verbis p. 244. & 291. utendum eſt, *difficilius multò ſit ſimpliciter vivere, quàm ex pietate vivere.* Quam tu majorem rerum omnium in melius commutationem optes? Hîc ego nonnihil me aperiens: Facere non poſſum, mi Pater, quin tibi liberiùs animi mei ſenſum exponam. Vereor ut vobis in iſtis rebus ſatis accuratè ratio ſubducta ſit, neve hæc tam profuſa indulgentia multò plures offendat, quàm alliciat. Nam, ut hoc exemplum commemorem, tam ſanctum tamque divinum eſt Miſſæ ſacrificium, ut multi ſi vel hoc unum perſpexerint, quo pacto veſtri ſcriptores in ejus tractatione verſentur, fidem ipſis in cæteris nullam habituri ſint. Sunt quidam, inquit, quo tu dicis animo; ſed neſcis hoc nobis eſſe propoſitum, ut nos omnibus attemperemus; videris eorum oblitus quæ tibi toties inculcavi: omnino ita faciendum eſſe video, ut noſtrum de mitigatâ Confeſſione ſermonem in aliud tempus rejiciam, ac de iſtâ noſtrâ flexibilitate de integro per ocium tecum ita diſputem, ut nunquam hanc tibi liceat oblivisci. His dictis ab invicem digreſſi ſumus. Itaque proximo congreſſu de politicâ ſuorum calliditate ſpero Jeſuitam diſputaturum. *Vale.*

IN NONAM EPISTOLAM
NOTA PRIMA.

Vera in Deiparam pietas à ſpuriâ & falsâ ſejungitur.

Nihil invidioſiùs Jeſuitæ paſſim in Montaltium jactarunt, quàm ab eo pietatem adverſus B. Virginem ludibrio haberi. Paſſim hanc calumniam ingerit Jeſuiticus Apologiſta:paſſim Caſuiſtarum patronus:ſed uno loco tam furiosè, ut apertè populum ad arma, ad incendendumRegii-portus monaſterium vocet.Locum integrum infra inter alias ejus calumnias deſcribemus. Ad illa igitur omnia Reſpondeo, non aliâ re magis intelligentibus demonſtratum,nullam Jeſuitis veritatis ac ſinceritatis eſſe curam, dummodò imperitorum animos commentis & calumniis paſcant. Quis enim de pietate erga Deiparam religioſiùs unquam aut prudentius ſcripſit? Quid jam à Jeſuitarum maledicentiâ erit intactum, ſi Montaltii locus, quo uno prodit ille ſenſus ſuos, ipſorum calumniæ patuit? *Non dubito,* inquit Epiſt. 9. *pietatem adverſus Beatam Virginem, magnum eſſe adipiſcendæ ſalutis præſidium, & vel leviſſimorum erga illam officiorum non mediocre meritum eſſe, ſi ex fidei & charitatis radice naſcantur, ut in ſanctis qui iſta frequentarunt certè naſcebantur. At periculosè admodum, mi Pater, illis qui hæc obſequia ſtudioſiùs uſurpant, de vita mutanda non laborant, ea inſeritur opinio, fore ut vel in mortis articulo ad Deum ſe convertant, vel mortui revocentur ad vitam. Scilicet temeraria illa fiducia fovendis hominum falſa ſecuritate flagitiis longè accommodatior eſt, quàm iiſdem per veram animi converſionem eluendis.* Obſecro, bone Apologiſta,deſine inanibus clamoribus, deſine calumniis probatione carentibus. Clarè & apertè eloquere quid in hâc Montaltii ſententiâ reprehendas; & jam reprehenſionem tuam non temerariam modò, ſed erroneam eſſe convincam.

Quanquam ſatis vel ipſa generalis accuſatio & mentem tuam detegit, & errorem, quòd laudat Montaltius ſinceram erga B. Virginem pietatem,utique non reprehendis.Quid igitur, niſi quod temerariam in illa fiduciam improbat; & eos inſectatur, qui cum de vita emendanda non cogitent, tamen dum quædam exteriora pietatis officia erga B. Virginem impleant, certam ſibi ſalutem pollicentur? Ergo pietas illa, quæ Jeſuitis autoribus reprehendi ſine impietate non poteſt, nihil aliud eſt quàm illa ſalutis fiducia, quæ precatiunculas quaſdam recitantibus, in iiſdem tamen ſordibus,in iiſdem ſceleribus continenter manentibus affertur. Si ita eſt, agnoſcit hoc crimen Montaltius; etiam de eo gloriatur. Ego verò non agnoſco modò; ſed Jeſuitis hoc crimen intendentibus ſuam illam accuſationem, tanquam peſtiferæ corruptelæ confeſſionem objicio, qua diabolus hoc præſertim ſeculo pro vera & ſolida in Deiparam pietate, fallax quoddam pietatis ſimulacrum ſubſtituit.

Nimirum quod in reliquis virtutibus quotidie contingit,ut quæ-

dam ipſis finitima vitia diabolus adornet, quæ ſpecie homines alliciant, inanitate fallant; idem in pietate adverſus Deiparam videmus accidiſſe, ut pro illius veritate umbram quandam ipſius à dæmone concinnatam plurimi ſequantur.

Meritò religioſi Catholici in Maria omnium virtutum exemplar & divinæ gratiæ plenitudinem venerantur: meritò ad illius opem confugiunt; & hæreticorum inſaniam miſerantur, qui tantum ſibi, tantum Eccleſiæ patrocinium invident. Mariæ præſidium & ſalutare innocentibus, & pœnitentibus opportunum. Meritò per illam acceſſum ad Filii gratiam quærimus, per quam ipſe Filius nobis datus eſt: nec quicquam nimii habet, quicquid Cyrilli, Damaſceni, Bernardi, & tot deinde ſanctorum ore in honorem Mariæ Religioſa charitas effudit. Quin exteriora illa pietatis inventa ad ejus honorem inſtituta, & paſſim in Eccleſia celebrata, ſive precationum certo numero comprehenſarum, ſive alicujus ſimilis officii, vel rejicere, vel non probare, non modò anguſti & jejuni animi ſit; ſed temerarii etiam & præfidentis.

Quamobrem nihil hæreticis inſulſius, cùm in ejuſmodi ritus ſua ſponte laudabiles, & cùm charitatis fonte naſcuntur, etiam ſanctos ac Deo gratos, tanquam in graviſſimos abuſus, invehuntur: quaſi non antiquæ Eccleſiæ uſu & conſuetudine tritum ſit, hominiique naturæ, corpore ſimul & animo conſtanti, apprimè conſentaneum, ut interior pietas in externos actus ſe ſe diffundat; imò ut illa quaſi exterior & corporea pietas certis formulis alligetur, quibus interior componatur & exſuſcitetur affectus. Ergo cultus Beatæ Virginis ſanctus eſt; nec internus modò, ſed & externus: & fiducia de ejus interceſſione concepta, non inanis, ſed laudabilis. Verus tamen hic cultus, vera fiducia, vera pietas, certas ſemper virtutes annexas habet, quibus ab illis ſpuriis officiis diſtinguitur, quæ veram pietatem falſa imitatione mentiuntur.

In primis quantùm abſit quæ Mariæ exhibetur reverentia à ſuprema Dei adoratione, nullus inter Catholicos niſi rudior & ſimplicior ignorat: & tamen reperiuntur non pauci ſcriptores, qui ſtudio elati hunc ſcopulum non ſatis cautè declinant; quos meritò culpat Epiſcopus Graſſenſis in præfatione poëmatum; meritò culpant cæteri Catholici, quòd temeritate ſua & divinæ Majeſtatis gloriam imminuunt, & Mariam verè dedecorant, quæ veris, ut ait Bernardus, cumulata honorum titulis, falſis non eget honoribus.

Altera veræ pietatis in Virginem dos eſt, ut non in ipſa Virgine moretur, ſed ad Deum tendat, ad Deum referatur, & in Deo demum conquieſcat. Non enim aliter coli Maria poteſt, quàm amari: amari verò non poteſt, niſi propter Deum, cujus amor omnes creaturarum amores abſorbere debet. Præclarè Auguſtinus initio libri de doctrina Chriſtiana, cùm ita poſuiſſet: *Frui eſt alicui rei amore inhærere propter ſeipſam.* Mox quibus fruendum ſit exponens: *Res igitur*, inquit, *quibus fruendum eſt, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus; una quædam ſumma res, communiſque omnibus fruentibus.* At illa fallax ſpecies pietatis ita Mariam honorare & amare ſe fingit, ut nihil amet præter

Mariam:

Mariam : ut hanc à Deo avulſam colat, exoſculetur, inanibuſque illam & puerilibus,ne dicam graviùs,laudibus demulceat; miretur-que in ea non tam virtutes quibus Deo placuit, humilitatem, pau-pertatem, ſimplicitatem, patientiam; quàm ſplendorem,potentiam, dignitatem : quæ quia ſibi amat, hinc eadem in Maria,occulta qua-dam cupiditate laudibus tollit.

3. Vera & ſolida pietas in externis illis Religionis officiis tantùm habet fiduciæ, quantùm cum interiori affectu conjuncta ſunt. His quidem divinam miſericordiam devocare ſtudet; ſed ſola Dei cha-ritate, bonis operibus, diligenti mandatorum obſervantia, jugi pœ-nitentia, cupiditatum caſtigatione,novit ad ſalutem poſſe perveniri. Ad ea impetranda quidem Mariæ potiſſimùm opem implorat: ve-rùm hoc non ſolis votis & inertibus precationibus agit,ſed maximè Mariæ virtutum imitatione, quo nullum eſt efficacius precandi ge-nus. In precibus enim unus amor divinam miſericordiam flectit, unus quod poſcitur impetrat. Amor autem nullus penitus otioſus: quantus eſt, tantùm agit, tantùm illud quod amat moribus expri-mit. Ergo qui Mariam multùm imitatur, multùm amat; qui parum imitatur, parum amat: qui nullomodò imitatur,non amat omnino; adeòque nec precatur, quantumvis totos dies immurmurandis pre-cationibus conterat. Semper enim in eorum eſt numero, de quibus Scriptura: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me.*

Ex quo patet quàm graviter fallantur,qui cùm de vitiis deponen-dis, de coërcendis cupiditatibus, de arcta Euangelii via capeſſenda ne cogitent quidem; tamen dum certas precationum formulas bal-butiant, certas panni licinias circumponant, paratam ſibi in mortis articulo divinam miſericordiam ſpondent, & ſe erga Beatam Virgi-nem bene religioſos arbitrantur. Tene deputet inter cultores ſuos pauperis Chriſti pauper parens, qui cùm totos dies in aggerendis di-vitiis colloces, & Chriſti & Mariæ paupertatem ſpernis? An tuas audiat preces illibata & humilis virgo,qui cœno voluptatum aſſiduè immerſus, honoribus continenter inhians, ira & odio ſemper in-cenſus, ejus virginitatem,ejus humilitatem, irrides. Verè enim Au-guſtinus in Pſal. 30. *Omnia iſta qui amant homines, quæ noluit habere Chriſtus, ut non habendo oſtenderet contemnenda; omnes qui amant hæc, contemnunt illum; & quicunque voluerit ſervorum ejus, ſequi veſtigia ipſius,ut ambulet & ipſe in ea humilitate, in qua didicit ambulaſſe domi-num ſuum, contemnitur in Chriſto quaſi membrum Chriſti, & cum caput & membra contemnuntur, totus ipſe Chriſtus contemnitur.*

Stultè ergo & inſipienter in ejus patrocinio confidunt,quicunque in hoc ſtatu conſtituti ne enituntur quidem inde ſurgere; ſed fallaci futuræ emendationis ſpe, volentes interim in flagitiis ſuis perſeve-rant. Qui verò ejuſmodi ſpem illis ingenerant, quocunque habitu incedant, publici impoſtores,publici animarum corruptores haben-di; nec Euangelicæ, ſed diabolicæ pacis autores; prorſuſque illius conſiliorum ſocii & miniſtri, *qui cum armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt ea quæ poſſidet.*

At

At verò ſapiens & bonus Paſtor, qui animarum ſaluti potiùs quàm commodis ſuis conſultum vult; adeò non fovet noxiam illam pacem, ut eam quantùm poteſt turbet, & incuſſo divini judicii terrore depellat. Non ille quidem peccatores à cultu Beatæ Virginis abſtrahet; hortabitur potiùs: ſed illum fallacem & inutilem docebit eſſe, niſi pariter adſit vera, ſtabilis, & firma cordis in Deum converſio; non deſultoriis mutationibus interrupta, ſed in Chriſtianæ vitæ continuatione ſe exerens; atque in hâc unâ locari ab Apoſtolo illam, qualiſcunque haberi poteſt in hâc vitâ, noſtræ ſalutis ſecuritatem. *Satagite*, inquit Petrus 2. Ep. 1. 10. *ut per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis. Hæc enim facientes non peccabitis aliquando.* Externi autem illi ritus, quicunque ſint, eodem ferè habenda ſunt loco, quo ea de quibus ad Phariſæos Chriſtus ait: *Hæc oportuit facere, & illa non omittere.* Atque ut illæ Phariſaicæ inſtitutiones, quamvis per ſe innoxiæ, imò nonnunquam laudabiles & ad pietatem ſuâ ſponte ferentes, tamen pravâ nonnullorum affectione pernicioſæ ipſis evaſerant, quòd his addictiores, quæ graviora erant legis, relinquerent: ſic quædam externa in Beatam Virginem pietatis officia, ardentiùs & cum neglectu graviorum arrepta; non quidem per ſe, ſed utentium vitio, quàmplurimis exitioſa ſunt, dum vanam inde ſalutis ſuæ ſecuritatem hauriunt, ac quæ *deforis ſunt paropſidis* mundare contenti, veram & interiorem virtutem non curant, nec arctam Euangelii viam ineunt. Hoc verò præpoſtero Beatæ Virginis cultui accidiſſe non eſt mirum, cùm idem accidat divino, illique fiduciæ quam in Dei miſericordia habere jubemur. Multi enim de ſola Dei miſericordia confidentes, juſtitiam ejus nihil veriti, *ſecundum duritiam ſuam*, ut ait Paulus, *& cor impœnitens, theſaurizant ſibi iram in die iræ.*

Certè humani ingenii mira quædam ad Phariſaïcam virtutem, ad agglutinandam externis quibuſdam viribus ſalutis ſuæ fiduciam, propenſio eſt. Occurrit enim ibi amica deſidiæ facilitas; non obſtat cupiditas. Ipſa exterior pietas, ut magis conſpicua, magis etiam ſenſibus blanditur humanis. Itaque cùm jactari audiunt homines ſeculo addictiſſimi, ſi quædam precatiunculæ recitentur, ſi quædam imagines in collo ſuſpendantur, aut ejuſmodi quid uſurpetur, certam ſibi ſalutem fore; tametſi repugnet ratio, repugnet fides; tamen libentes ſe ipſi fallunt, proniſque quod optant auribus accipiunt; ac deinde ſublato quo identidem antè pungebantur conſcientiæ morſu, totos jam liberè ſe ſe cupiditatibus dedunt; & ſic hilarè auctis vitiis, extinctis conſcientiæ ſtimulis, futuram illam in articulo mortis mutationem expectant.

Hic abuſus quàm peſtifer, quàm communis ſit, ne ipſi quidem, credo, Jeſuitæ neſciunt: Quamobrem quicunque liber ad illum augendum & confirmandum facit, haud dubiè pernicioſus eſt fidelibus, Beatæ Virgini injurioſus, Eccleſiæ offenſionem apud hæreticos quærit. Talis eſt autem quiſquis in externis illis pietatis officiis totus occupatur, & certam in eis ſalutis fiduciam locandam docet; de vitæ mutatione, de arcta via ingredienda, de charitate, de conti-

nenti

nenti pœnitentia, & cæteris gravioribus Chriſtianæ vitæ inſtitutis nihil habet. Nam ut recta & utilia ſint quæ præcipit, tamen hoc ipſo quo à gravioribus illis ſeparantur, ad Phariſaïcam, non ad Chriſtianam vitam ducunt.

Satis credo omnes intelligunt, tametſi nullus moneam hîc à me deſcribi Barrii librum, quem Montaltius rectè & meritò exagitat, quòd certam ſalutis ſpem afferat externa quædam & minutiora pietatis officia ſervantibus: ut omittam quòd & ille, & multi alii ejuſmodi ſcriptores Virginis cultum ſic ab amore Dei diſtrahunt, quaſi in eo hærere liceret, nec totum ejus cultum ad Chriſtum, ad Deum referre juberemur. Itaque eò quidam impudentiæ progreſſus eſt, ut Mariæ pulchritudinem propter ſe amandam ſcriberet. Barrius ipſe inſipienter, ne dicam impiè, alicubi docet, eo animo ſumi poſſe Chriſtum in Euchariſtiâ, ut quaſdam Mariæ reliquias veneremur. Hinc nobis tot abſurdæ ac ridiculæ quæſtiones natæ ſunt, Eccleſiæ ſcandala, hæreticorum ludibria; quarum magnam partem colligit & refellit Rainaudus Jeſuita, ſæpius in Barrium tacito nomine invectus in libro quem inſcripſit, *Diptyca Mariana*. Utinam non ipſe quoque, eorum quos refellit exemplo, in multis ſimiliter nugatus eſſet!

Nihil eſt ergo quòd Montaltio ſuccenſeatis, quòd imprudentiam Barrii caſtigarit, quam etiam ſociis veſtris diſplicuiſſe videtis. An non ille latentes in fucatâ illâ in Beatam Virginem pietate diaboli inſidias aperiret, cùm illis tot animas miſerè circumveniri gemant omnes boni, etiam Jeſuitæ? Quid enim apud vulgares inſtituendæ pietatis autores tritius, quam fruſtra ſperari Virginis patrocinium, niſi ſimul vitæ in meliùs referendæ propoſitum ineatur? Placet vos familiari teſte coarguere. Is erit Pater Sanjurius, cujus reliquos ego libros, ut audio multiplices, non vidi: unum vidi de vitâ nobilis & pietate præſtantis Galli D. de Renti, ſi neſcio quam de duello narrationem excipias, cæteroquin commodè & piè ſcriptum. In hoc libello quamdam ſanctiſſimi illius viri recitat ſcriptionem, in quâ inter varios diaboli dolos & hunc recenſet: *Spem omnem*, inquit, *nonnulli in Beata Virgine ſanctiſque conſtituunt, & privatis quibuſdam pietatis officiis per ſe laudabilibus, modò ex vera pœnitentia, vera cordis converſione proficiſcantur. At hi longiſſimè errant, ſi Beatæ Virginis, ſi ſanctorum auxilium ſibi pollicentur, niſi à vitiis ſimul ſuis recedant.* Quid aliud habet Montaltius illo qui invaditur loco? Aut quid fieri poteſt Jeſuitis injuſtius, qui eadem in ſuis laudant, in adverſariis culpant? Non igitur de Montaltio querendum fuit, quòd leviter Barrium perſtrinxerit; ſed gratulandum potiùs quòd tot veſtrorum ſcriptorum hoc in genere vana & ridicula prætermiſerit. Nec verò hoc pietatis in Beatam Virginem nomine prætexant. Gravis, ſevera, ſolida eſt pietas Chriſtiana; fabulis & mendaciis capitaliter infenſa, quibus illi libri paſſim ſcatent. Quin etiam tantus exiliorum obſervantiarum numerus ab illis congeſtus jure & verè reprehendi poterat. Quamvis enim nihil habeant noxii, tamen Religionis ſeveritatem infringunt, animoſque languidiori cuidam pietati aſſuefaciunt,

ciunt, & hæreticorum ſannis ſine fructu Eccleſiam abjiciunt. Nec ſufficit, ut illis videtur, quòd à viris religioſis iſta ſervata ſint. Multa enim ſancti, divino incenſi ſpiritu, ſanctiſſimè faciunt, quæ tamen peſſimè ab aliis in exemplum trahuntur, qui charitate vacui corpus tantùm vel umbram illorum officiorum imitantur.

Has igitur minutiores & privatas devotiones coacervari, & in totam Eccleſiam ſpargi, quod Barrius fecit, non levis imprudentiæ fuit; cùm tot alia ſuppetant officia ab Eccleſiâ ad Beatæ Virginis cultum adhiberi ſolita, & piis ac religioſis viris communiter uſurpata: ad quæ tamen ſic hortandi ſunt fideles, ut ſimul doceantur, nihil ipſis hæc omnia profutura, niſi adſit pariter ſincerus in Deum affectus, quo uno continetur Euangelicus ille cultus in ſpiritu & veritate. *Charitas*, inquit Auguſtinus, *cultus eſt Dei; nec colitur ille niſi amando.*

Nota II.

Baunii de ſtupro ſententia ſummâ æquitate à Montaltio repræſentata, reprehenſa. Ipſe iniquiſſimè à Ieſuitis calumniæ poſtulatus.

Docet Baunius *non peccare contra juſtitiam qui puellæ non invitæ invitis parentibus vitium offert; nec patris in eo jura violare: quia virgo eſt domina ſui corporis, excepto quod mutilare ſe & occidere non poteſt.* Hanc ſententiam manifeſtè rationi repugnantem jure Montaltius reprehendit. Epiſtola 9. Ex cujus juſtiſſimâ reprehenſione Impoſturam conflaturus Jeſuita, comminiſcitur eam Baunio à Montaltio affingi ſententiam, prorſus non peccare virginem quæ pudicitiam proſtituit, quia eſt domina ſui corporis. Falſum id eſſe qui hanc Epiſtolam legerit quivis facilè perſpiciet; nunquam hoc Baunio crimini datum nec à Montaltio, nec ab ullo, tametſi Baunii ſententia iis expreſſa verbis ſit; quæ non alium ferè ſenſum admittant. Quid eſt enim quod ait: *Virginem dominam eſſe ſui corporis, excepto quod ſe nec mutilare nec occidere poteſt.* Nam ſi loquitur de potentia phyſicâ, tam poteſt virgo ſe mutilare, quàm pudicitiam abjicere: Sin autem de potentiâ morali & legitimâ, tam non poteſt puella corpore ſuo malè uti, quàm non poteſt ſeipſam mutilare. Sed quamvis eò ferrent Baunii verba; tamen ea fuit Montaltio æquitas, ut illorum ſenſum ex mente potiùs Baunii interpretaretur; quem alienum à tanto ſcelere judicabat, quàm ex nudo imprudentis locutionis cortice, teterrimum hunc ſenſum ſponte animo ingerentis. Quò magis pudere deberet Jeſuitas optimas adverſariorum ſuorum locutiones nefariis ſenſibus intruſis tam ſæpe corrumpere, cùm ab ipſis videant ſuorum verba per ſe flagitioſa commodiori interpretatione molliri. Unum hoc ergo in Baunii ſententiâ culpavit Montaltius, quod illato puellæ vitio neget parentibus injuriam fieri. Hoc verò ab omnibus legibus, ab omni æquitate alienum eſt. Unde meritò ſic à Sancto Thoma ſtuprum à ſimplici fornicatione, quaſi diſtincta luxuriæ ſpecies itidem ut adulterium, ſejungitur; quia ut uxor in mariti, ſic filia eſt in poteſtate patris.

Mul-

Multipliciter igitur peccant Jeſuitæ, & quòd pernicioſum Baunii dogma defendunt, & quòd nedum ut Montaltio ob tantam ejus in ipſos æquitatem gratiam habeant, gravem contrà & abſurdam ipſi calumniam intendunt.

Nota III.

Refellitur Epicurea Eſcobarii de ſenſuum voluptatibus non neceſſariis ſententia.

Facere non poſſum, quin hoc loco turpiſſimam Caſuiſtarum Apologiſtæ doctrinam commemorem, qui Epicureum Eſcobarii dogma ſine pudore agnoſcit, defendit, amplificat. *Multi*, inquit pag. 136. *graves Theologi docent, non magis in vitio eſſe, guſtus voluptates ſine neceſſitate conſectari, quàm auditus, odoratus, aſpectus. Atque adeò multi tam Theologi quàm Philoſophi in ea ſunt opinione, ejuſmodi voluptates ex ſe indifferentes eſſe, nec magis ad vitium, quàm ad virtutem per ſe eſſe propenſas: quod ſi Montaltius prima ſcientiarum attigiſſet elementa, nunquam has opiniones, quæ verè probabiles ſunt, tam temerè damnaſſet.*

Tu verò, Apologiſta, ſi prima pietatis, ſi ſolidæ Theologiæ elementa guſtaſſes, nunquam tam turpe, tam virtutibus inimicum dogma auſus eſſes auribus chriſtianis inferre. Ergone nullum aliud chriſtianæ temperantiæ officium eſt, quàm ut nos ab illicitis & valetudini noxiis voluptatibus retrahat? Iſto modo temperans Epicurus, & omnes illi voluptuarii Philoſophi, quibus nunquam probatum eſt, ut nimiâ ciborum copiâ valetudini ſuæ quis officeret. *Nunquam illis placuerunt Aſoti illi, ut* ait Cicero, 2. de finib. *qui in menſam vomant, & de conviviis auferantur, crudique ſe rurſus ingurgitent: qui ſolem, ut ajunt, nec occidentem unquam viderint nec orientem: qui conſumptis patrimoniis egeant. Mundos volebant*, ut ait idem; *elegantes; optimis cocis, piſtoribus, piſcatu, aucupio, piſcatione, his omnibus exquiſitis vitantes cruditatem.* Prorſuſque ex illorum ſententiâ vivebat Epicureus ille Thorius, *qui*, ut ait Cicero ibid. *cùm omnibus voluptatibus abundaret, tamen habebat rationem valetudinis: utebatur iis exercitationibus, ut ad cœnam eſuriens & ſitiens veniret; eo cibo qui & ſuaviſſimus eſſet, & ad concoquendum facillimus; vino & ad voluptatem & ne noceret; color egregius; integra valetudo; ſumma gratia; vita denique erat conferta voluptatum omnium varietate.* Hæc Eſcobarii temperantia, hæc Jeſuitarum, hæc Epicureorum; ſed illorum qui molliſſimi habebantur: nam erant alii horridiores, qui ſummam voluptatem in olerum eſu collocarent.

Habent ergo Jeſuitæ ſuæ ſententiæ præclaros autores Epicurum, & totam illam voluptuariam familiam. Quod ſi aliquem etiam ejus patronum inter Chriſti cultores invenire ſtudeant, præſto eſt Julianus Pelagianus, inter quem & Auguſtinum magna de iſto capite contentio fuit. Concupiſcentiam ille vitioſam negabat, omneſque adeò ſenſuum voluptates, cùm in rebus licitis verſantur, licitas etiam acerrimè pugnabat. Hunc refellens Auguſtinus, certos poſuit

Chri-

Chriſtianæ temperantiæ limites, ut Juliano, ſic cum Juliano ſentientibus Jeſuitis oppoſitos. *Cùm natura,* inquit lib. 4. in Jul. cap. 14. *quodammodò poſcit ſupplementa quæ deſunt, non vocatur libido, ſed fames aut ſitis: cùm verò ſuppleta neceſſitate amor edendi animum ſollicitat, jam libido eſt, jam malum eſt, cui cedendum non eſt, ſed reſiſtendum. Hæc duo, id eſt, famem & edendi amorem, etiam Poëta diſcrevit, qui poſt maris jactationem ſociis Æneæ naufragis & peregrinis ſatis eſſe judicans, tantum ſumere alimentorum, quantum refectionis indigentia poſtularet, ait:*

Poſtquam exempta fames epulis, menſæque remotæ. Cùm verò Æneas ipſe ab Evandro Rege ſuſceptus eſt hoſpes, decentius arbitratus ampliores exhiberi epulas regias, quàm neceſſitas poſceret, non ſatis fuit ut diceret: Poſtquam exempta fames; ſed addidit & amor compreſſus edendi. Quantò magis nos diſcernere ac noſſe debemus, quid neceſſitas refectionis, quid libido edacitatis expoſcat, quorum negotium eſt contra concupiſcentem carnem ſpiritu concupiſcere, & condelectari legi Dei ſecundum interiorem hominem, ejuſque delectationis ſerenitatem nullis libidinoſis delectationibus nubilare? Nam iſte amor edendi, non edendo, ſed continendo eſt comprimendus. Quis autem mente ſobrius non mallet, ſi fieri poſſet, ſine ulla mordaci voluptate carnali, vel arida ſumere alimenta vel humida, ſicut ſumimus hæc aëria, quæ de circumfuſis auris reſpirando & ſpirando ſorbemus & fundimus. Hoc verò ille generatim de quavis ſenſuum actione mirabiliter docet paulò ſuperiùs. *Ignoras*, inquit, *vel ignorare te fingis, per quemlibet corporis ſenſum aliud eſſe ſentiendi vivacitatem, vel utilitatem, vel neceſſitatem; aliud ſentiendi libidinem. Vivacitas ſentiendi eſt, qua magis alius, alius minùs in ipſis corporalibus rebus pro earum modo atque natura quod verum eſt percipit, atque id à falſo magis minùſve diſcernit. Vtilitas ſentiendi eſt, per quam corpori vitæque quam gerimus, ad aliquid approbandum vel improbandum, ſumendum vel rejiciendum, appetendum vitandumve conſulimus. Neceſſitas ſentiendi eſt, quando ſenſibus noſtris etiam quæ nolumus ingeruntur. Libido autem ſentiendi eſt, de qua nunc agimus, quæ nos ad ſentiendum ſive conſentientes mente, ſive repugnantes, appetitu carnalis voluptatis impellit. Hæc eſt contraria dilectioni ſapientiæ; hæc virtutibus inimica.* Et infra. *Movetur certè animus ad pietatis affectum divino cantico audito: tamen etiam illic ſi ſonum, non ſenſum libido audiendi deſideret, improbatur: quanto magis ſi cantiunculis inanibus, vel etiam turpibus delectatur? Cæteri tres ſenſus corpulentiores & quodammodò craſſiores ſunt, nec ſe foras projiciunt; ſed interiùs quod ad eos pertinet agunt. Odor ab olfaciente diſcernitur, ſapor à guſtante, tactus à tangente plurima. Non enim hoc eſt calidum & frigidum, quod leve & aſperum; aut iſta hoc ſunt quod molle ac durum; & ab his omnibus diſtat quod dicitur leve ſeu grave. In his omnibus quando moleſta vitantur, ut putores, amaritudines, æſtus, frigora, & quæque aſpera, & dura, & gravia; commoditatis proviſio, non libido eſt voluptatis. Et verò quæ his contraria commodè ſumimus, ſi nihil eorum intereſt ad ſalutem, vel ad declinandam doloris laboriſve moleſtiam, etiamſi cum aliqua ſumuntur delectatione cum præſto ſunt; tamen cùm abſunt, nulla ſunt deſideranda libidine.*

Si

Si autem deſiderantur, non eſt bonum. In quibuſlibet enim rebus talis domandus & ſanandus eſt appetitus. Quis enim, quantuſcumque ſit carnalis concupiſcentiæ caſtigator, ſi locum thymiamate intraverit odoratum, poſſit efficere ut ei non ſuaviter oleat, niſi nares claudat, aut intentione vehementi alienetur à corporis ſenſibus? Sed numquid cum inde fuerit egreſſus, id domi ſuæ vel quàcumque pergit deſiderabit? Aut ſi deſideraverit, ſatiare debet iſtam libidinem, non frænare, & contrà concupiſcentem carnem ſpiritu concupiſcere, donec ad illam redeat ſanitatem, quæ nihil tale deſideret? Minimum hoc quidem, ſed qui minima ſpernit, ſicut ſcriptum eſt, paulatim decidit.

Videre licuit ex iſtis Auguſtini locis Julianum & Jeſuitas eàdem via in eundem errorem eſſe delapſos. Concupiſcentiæ vitium non agnovit Julianus, eamque penitus naturalem putavit; hinc illius actus dum intra licitos limites continentur, nulla ex parte vitioſos eſſe certabat. Eadem Eſcobario & Jeſuitis ignorantia fraudi fuit. Nam cùm *appetitum naturalem licitè* pronuntiant *ſuis actibus*, tametſi non neceſſariis, *frui*, voluptatum non neceſſariarum appetitum, qui nihil aliud quàm concupiſcentia eſt, naturalem appellant. Hoc verò nihil aliud eſt, quàm non jam fibras Pelagianæ hæreſeos, ſed totum ejus truncum exſuſcitare.

Turpis ergo & errònea eſt illa Eſcobarii doctrina, qua non neceſſariarum voluptatum conſectationem & deſiderium probat, & hæretico principio nititur, quòd appetitus ille ſit naturalis, quæ ipſiſſima concupiſcentia eſt primævi peccati miſerrimum germen; & ab Auguſtino pleniſſimè tum in ramis tum in ipſa radice ſuccìſa, cùm libidinem ſentiendi per ſe vitioſam, & neceſſitatis limitibus adſtringendam eſſe tam luculenter docuit.

Facile erat hìc aliorum Patrum teſtimonia congerere: ſed quid neceſſe eſt in re ita pervulgata? Tantùm Jeſuitas admonebo, ut potiùs quàm de iſta quæſtione Epicureorum ſuffragia conquirant, ex ſanctorum potiùs illam & piorum moribus expendant. Neminem ex illis videbunt cum concupiſcentia non pugnantem, neminem qui non illos Auguſtini æſtus experiatur, quos tum in Confeſſionibus, tum in illo 4. in Jul. ſuperiùs laudato libro c. 14. flebiliter exprimit. *Iam verò*, inquit, *cum ad uſum ventum fuerit neceſſariæ voluptatis per quam reficimus corpus, quis verbis explicet quemadmodum nos modum neceſſitatis ſentire non ſinat, & ipſum limitem procurandæ ſalutis, ſi qua adſunt delectabilia, rapiendo abſcondat & tranſeat; putantibus nobis ſatis non eſſe quod ſatis eſt, dum libenter ejus provocationibus ducimur, exiſtimantes nos adhuc agere negotium valetudinis, cum agamus potius cruditatis! Quid enim mali fecerimus crapula pœnitendo teſtatur: quod metuentes, plerunque minus quàm eximendæ fami ſufficiat veſcimur: ita neſcit cupiditas, ubi finiatur neceſſitas. Et hæc quidem veſcendi atque potandi tolerabilis eſt voluptas, quanta poſſumus intentione vigilantibus nobis, ut felicius non impleat, quàm modum aliquando victus ſufficientis exedat: contra cujus concupiſcentiam & jejunando & parcius alimenta ſumendo pugnamus.*

Ecquid ipſi Jeſuitæ nullas experiuntur ejuſmodi pugnas? An ap-

petitui naturali cibi & potus omnia citra cruditatem indulgent? An cæteris ſenſibus habenas laxant,nihilque in eorum actibus metuunt, niſi valetudinis periculum? Non arbitror. Nec tam malè de illis exiſtimare placet. Illud urgeo. Cum illum citra neceſſitatem edendi amorem comprimunt, frænant, expugnant; quamobrem id faciant? An ut à malo temperent, an ut à bono? Glorioſa credo cum Juliano dicent ſe exercere certamina, & meritorum abundantiam ſibi parare. Sed non deſinam iiſdem illos argumentis premere, quibus Julianum premit Auguſtinus: *Cum edendi appetitum naturalem, adeòque laudabilem eſſe dicitis, & tamen illum nihilominus expugnatis, quomodò fideliter agatis duo iſta, non video; & ut laudetis velut amicum, & expugnetis velut inimicum. Vnum eorum credimus, ſed eligite quid credamus. Si ex animo pugnatis, non ex animo laudatis. Si autem ſimpliciter agitis in præconio, colluditis in prælio. Ego ſanè quia inimicus vobis non ſum, ſicut inimicum vobis eſt illud quod habitat in carne veſtra malum, quamvis potiſſimum cupiam ut hoc malum & doctrinæ ſanitate vituperetis & vitæ ſanctitate debelletis; tamen ex his duobus, quorum putari poteſtis unum ex animo fugere, alterum fingere, malim vos fallaciter laudare concupiſcentiam, quàm fallaciter impugnare. Tolerabilius enim lingua veſtra quàm vita mentitur: tolerabilius ſententia, quàm continentia ſimulatur. Ergo ut vincantur qui laudant, judicent qui pugnant. Si enim malum eſt, cur laudatis? Si bonum eſt, cur expugnatis? Si autem nec bonum noc malum eſt, ut quid laudatis, ut quid expugnatis? An fortè adverſus ſenſuum libidines non certabitis; ne in iſto quod nobiſcum habetis certamine ſuperemini? Nolite, obſecro, Patres; vincat potiùs ipſos veritas volentes, ut libidines deinde vincatis. Nam ſi cum iis pugnare deſieritis, vincemini & vinciemini, & ad immunda omnia pertrahemini.*

Ergo Eſcobarii veſtri abjecta mollitie, illi potiùs Auguſtinianæ & Chriſtianæ doctrinæ ſubſcribite de moribus Eccleſiæ Catholicæ c. *Habet vir temperans in hujuſmodi rebus mortalibus & fluentibus vitæ regulam, utroque Teſtamento firmatam; ut eorum nihil diligat, niſi propter ſe appetendum putet: ſed ad vitæ hujus atque officiorum neceſſitatem quantum ſatis eſt uſurpet, utentis modeſtia, non amantis affectu.*

EPISTO-

EPISTOLA DECIMA AD PROVINCIALEM.

Lutetiæ Pariſ. 4. *Nonas Aug.* 1656.

Necdum politicas Societatis artes hæ litteræ retegent: retegent tamen callidiſſimam Jeſuiticæ diſciplinæ induſtriam; Confeſſionis ſcilicet lenimenta, quibus vel maximè omnes ad ſe alliciunt, neminem ſubmovent. Horum cognitio reliquis præverti debuit. Quæ cauſa fuit Jeſuitæ ut iſtud argumentum mutato conſilio repeteret, quod ſic exorſus eſt.

Hactenus ea dixi quibus doceri poſſes, quàm feliciter pleraque quæ illicita vulgò putabantur, acumine ſuo noſtri licita fecerint. Reſtant tamen nonnulla quæ prorſus excuſari non potuerunt. Talia nonniſi Confeſſione purgantur, cujus proinde ſalebras complanari quanti interfuerit vides. Hoc quâ ratione perfectum ſit, jam explicabo. Cùm duplici ratione ſcrupulis animos exedentibus medeamur, vel innoxium probantes quod noxium exiſtimatur; vel veram ac facilem eluendorum pœnitentiâ criminum viam tradentes. Alteram ſuperioribus colloquiis expoſuimus: alteram hodierno perſequemur. Hîc ego: Ardeo, mi Pater, illam quam loqueris viam cognoſcere. Illa verò, inquit, mirabilibus illis artificiis continetur, quæ Societati noſtræ propria jure dixeris: unde illa noſtri in IMAGINE PRIMI SECULI pag. 401. & lib. 1. c. 2. *piam & religioſam calliditatem*, & *pietatis ſolertiam vocant*. His artibus, ut iidem ajunt, *alacriùs nunc purgantur crimina, quàm committuntur; plurimique vix citiùs maculas contrahunt, quàm eluunt*, ut ibidem dicitur, *lib.* 3. *cap.* 8. Tu verò, inquam, mi Pater, de ſalutaribus illis verſutiis quæſo ne me celatum velis. Non exiguo, inquit, illæ numero ſunt. Multa

ſunt enim in Confeſſione duriora, quæ ſuis quæque lenimentis eguerunt. Et quoniam iſta præcipuam moleſtiam habent, pudor in certis peccatis confitendis, in exprimendis circumſtantiis diligentia, obeunda pro peccatis pœnitentia, concipiendum non precandi propoſitum, occaſionum quibus ad flagitium illicimur, fuga; denique de peccatis admiſſis dolor: futurum ſpero ut hodie pernoſcas, nihil jam in iſtis omnibus difficilis, nihil acerbi relictum eſſe, adeò de tam neceſſario remedio omnem aſperitatem, omnem acerbitatem detrahere noſtri ſtuduerunt.

Nam ut de pudore primùm dicamus, quo premuntur multi in nonnullis peccatis indicandis, non ignoras quanti nonnunquam referat apud ordinarium Confeſſorem bonam exiſtimationem retinere: unde facilè ſtatues quid commoditatis habeat Patrum noſtrorum, & in iis Eſcobarii ſententia ex Suare deprompta. *Duos quis*, ait tr. 7. Ex. 4. n. 135. *adit Confeſſarios, quorum alteri mortalia, alteri venialia confitetur, uti bonam famam apud ordinarium Confeſſarium tueatur; rogo num delinquat? Cum Suario aſſero non delinquere; quia eſt Confeſſio integra, neque eſt vera hypocriſis, neque mendacium. Admonuerim tamen per accidens poſſe eſſe peccatum mortale, ſi ob hanc cauſam pœnitens in occaſione peccati mortalis maneret.* Idem in prin. Ex. 2. n. 75. ſubtiliſſimam ſuggerit rationem peccati alicujus recèns admiſſi, ſic conſueto Confeſſario confitendi; ut deprehendere non poſſit nuper an olim commiſſum ſit. *Rubore*, inquit, *quis afficitur de aliquo crimine: poteſt generaliorem Confeſſionem facere, & illud peccatum ſimul confiteri, non explicando an aliàs confeſſum ſit, quia id parum variat Confeſſarii judicium.* Idem habet tr. 7. Ex. 4. n. 136. Nec minùs pudorem illum de enuntiandis peccatis hoc Baunii noſtri decreto levari fatebere. *Dubitatur*, inquit 1. p. t. 4. de pœnit. q. 15. pag. 137. *an circumſtantia recidivæ ſit confitenda. Teneri pœnitentem conſuetudinem peccandi confiteri, ſi à Confeſſario interrogetur, tenent Vaſquez, Henriquez, &c. Contrarium docet Sanctius; &*

hæc

hæc opinio priore videtur eſſe probabilior, & ſequenda in praxi; quia Confeſſarius jus non habet interrogandi pœnitentem de conſuetudine peccandi, niſi ejus rei gravem cauſam habeat, quæ rarò accidit. Deinde non eſt in ejus jure afficere pœnitentem dedecore, cognitâ ejus peccandi conſuetudine; ſed debet eum ſtatim abſolvere ſi dolorem de præteritis concipit, cum propoſito futuræ emendationis. Ain verò, mi Pater? Iſto modo nec medico jus erit ab ægroto petere modóne tantùm, an jamdiu febri laboret: quaſi non pro variis illis circumſtantiis multùm inter ſe peccata differant; aut homini quem flagitiorum ſuorum verè pœniteat, aliud debeat eſſe propoſitum, quàm totum conſcientiæ ſuæ ſtatum, omnes latebras ſacerdoti eâdem animi ſinceritate nudare, quâ ipſi, cujus ille locum obtinet, Chriſto nudaret. Quantùm abeſt ab illâ affectione qui prolapſionum ſuarum frequentiam occulit, quò ſuæ ægritudinis magnitudo medico lateat!

Senſi hîc hærere Jeſuitam: itaque ut hunc nodum non tam diſſolveret, quàm eluderet, aliud ſuorum decretum in medium attulit, quod de illius quam retuli Baunii ſententiæ, unius omnium meo quidem judicio peſtilentiſſimæ, & fovendis hominum vitiis accommodatiſſimæ, pravitate nihil omnino detrahens, novam tantùm ſuper adſtruit corruptelam. Fateor, inquit, conſuetudine peccandi aliquid ad peccati deformitatem accedere: at ſpeciem mutari nego. Quamobrem nec neceſſariò confitenda eſt, ex illo noſtrorum Canone ab Eſcobario relato Princ. Ex. 2. n. 39. Rogo, inquit, *an circumſtantiæ notabiliter aggravantes neceſſariò exprimendæ ſint in Confeſſione? Negativæ ſententiæ cum Vaſquez hæreo; quia nullum extat præceptum de his circumſtantiis explicandis. Nam de jure divino ſolùm tenemur omnia peccata mortalia confiteri; quæ omnia poſſumus confiteri ſufficienter abſque his circumſtantiis; v. g. Commiſi furtum mortale toties, non exponendo furti quantitatem.* Ex hac ſententiâ noſter Granados in 5. part. contr. 7. tr. 9. d. 9. n. 22. *negat teneri eum qui jejunii legem infregerit, exponere an per eſum carnium,*

an per duplicem comeſtionem violarit ; ac ſufficere ſtatuit hujuſmodi Confeſſionem : Toties jejunium fregi : quia utraque fractio eidem virtuti temperantiæ opponitur. Indidem pendens Reginaldus tr. 1. l. 6. c. 4. n. 114. *teneri item divinatorem negat, exprimere num exercuerit chiromantiam, pyromantiam, hydromantiam ; ſeu an divinaverit cum pacto dæmonis, nec ne : quia hæ circumſtantiæ non mutant ſpeciem.* Poſtremò Fagundez aſſerit *non teneri quemquam circumſtantiam raptus aperire, ſi virgo conſenſerit.* Hæc omnia habet Eſcob. in Princ. Ex. 2. nu. 62. 61. 41. cum multis aliis ſatis curioſis quæſtionibus circa illas circumſtantias, quas negant ſocii noſtri neceſſariò in Confeſſione declarandas. Has tu apud illum adeas cenſeo.

Tum ego : Commodas, mi Pater, & ſuaves prorſus narras pietatis calliditates. Atqui, inquit, nihil hæc eſſent, niſi etiam ſatisfactionis mitigata eſſet aſperitas, quæ vel maximè homines à Confeſſione abſterrebat : at nunc eam ne molliſſimi quidem poſſunt pertimeſcere, poſtquam Pariſiis in Claromontanis Theſibus hoc dogma defendimus : *Qui factâ Confeſſione apud unum ſacerdotem, non vult acceptare pœnitentiam convenientem : amittit quidem jus ad recipiendam abſolutionem ; ſed ſi nolit abſolvi, & recedat ab ipſo, nullomodò peccat.* Eſcobarius verò in praxi pœnitentiæ ex noſtris Doctoribus tr. 7. Ex. 4. n. 188. *Si pœnitens*, inquit, *affirmat velle ſe purgatorii pœnas ſubire, levem pœnitentiam imponat ſacerdos ad ſacramenti integritatem, præcipuè cum agnoſcat gravem non acceptaturum.* Id ſi ita eſt, inquam, mi Pater, nihil jam eſt cur Confeſſio ſacramentum pœnitentiæ dicatur. Erras, inquit ; nam aliqua ſaltem ad integritatem ſacramenti ſemper indicitur. Tum ego : Verùm mi Pater, quî potes dignos abſolutionis cenſere qui ad delenda peccata nihil laboris obire voluerint? Nonne ſic affectis aſtringi potiùs peccatorum vinculo convenit, quam reſolvi ? An miniſterium veſtrum quale ſit cogitas ? Neſcis vobis ligandi atque ſolvendi traditam poteſtatem ? An porrò promiſcuè

miſcuè omnibus dandam abſolutionem exiſtimas, nec antè diſpiciendum utrùm illos Chriſtus ſolvat in cœlo, quorum in terrâ vincula relaxatis? Quid tu, inquit? Putaſne nobis ignotum eſſe *explorandam pœnitentis diſpoſitionem: tum quia Confeſſor tenetur ſacramenta non dare indignis; debet enim eſſe diſpenſator fidelis, & non dare ſanctum canibus: tum quia eſt judex, & judicis eſt juſtè judicare, ſolvendo dignos, & ligando indignos: tum quia non debet abſolvere quem Chriſtus condemnat; Chriſtus autem indignos condemnat.* Obſecro, inquam, mi Pater, cujuſnam mihi memoras verba? Filiutii, inquit, noſtri T. 1. Tr. 7. n. 354. Mirum, inquam; nam hæc alicujus è ſacris Doctoribus eſſe credideram. At illa quantum terroris Confeſſariis afferunt, quantam debent ingenerare cautionem, ne in hujus diſpenſatione ſacramenti indiligenter dignoſcere laborent, ſufficientemne dolorem afferat pœnitens, & tale non peccandi propoſitum cui meritò confidi poſſit!

Nihil, inquit, iſtorum impeditum ac difficile eſt: nec Filiutii eſt ut implicatos hoc modo Confeſſarios reliquerit. Ille verò hujus expediendi facilem methodum ſequentibus verbis ſubminiſtrat. *Quando*, inquit n. 355. *ex modo ſe accuſandi pœnitens præbet ſigna doloris, vel pœnitens eſt bene moratus, & seriò ſe accuſat, id ſatis eſt ut ſibi Confeſſor poſſit ſatisfacere: at quando non habet ſufficientia ſigna doloris, debet interrogare an ex animo deteſtetur, & ſi affirmet, poteſt & debet credere. Ad explorandum propoſitum eadem ſufficiunt, quando eſt generalis tantùm obligatio non peccandi; ſi verò adſit peculiaris obligatio reſtituendi, vel relinquendi occaſionem proximam, dicam ſequenti loco.* Hîc ego: Hunc locum Filiutii eſſe, nil neceſſe eſt quòd moneas. Falſus es, inquit; ſiquidem proprium Filiutii putas: nam hæc ipſe ex Suare ſyllabatim exſcripſit. Habes locum in 3. part. t. 4. diſp. 32. ſect. 2. n. 2. Verùm, inquam, quæ ſuperiori loco tradiderat Filiutius, hoc ipſo planiſſimè retexit. Nam quî poterunt Confeſſarii de pœnitentis affectione tanquam judi-

ces decernere, ſi illorum verbis credere teneantur, tametſi nullum aliunde ſufficiens doloris indicium præbeant. Tantùm ne in his verbis ad faciendam fidem ponderis, ut unico illo ſigno mens ad aſſentiendum cogatur. Vereor ut Patres veſtri reipsà compererint, promiſſores iſtos datæ fidei nunquam deeſſe, aliter rem ſe habere ſæpius experiuntur, niſi multa me fallunt. Experiantur, inquit, nec ne, nihil ad rem. Nihilominus ejuſmodi pœnitentium verbis credere debent Confeſſarii. Nam noſter Baunius qui totam hanc quæſtionem penitus excuſſit, in Sum. peccat. c.46.p.1090. 1091. 1092. tandem ita ſtatuit. *Quoties qui eadem frequenter admittunt flagitia, ſine ullæ emendationis ſpe Confeſſarium adeunt, ac ſe de præterito dolere, & abſtinendi à peccatis inpoſterum ſibi propoſitum ineſſe teſtantur, debet illis affirmantibus credere ſacerdos; quamvis non immeritò conjici liceat ejuſmodi promiſſa labiorum potiùs eſſe quàm cordis; quamvis etiam deinde ſe licentiùs & flagitioſiùs in eadem delicta ingurgitent: poſſunt tamen, meâ quidem ſententiâ, tales abſolvi.* Hic locus nullum tibi, ni fallor, ſcrupulum reliquit, ita omnia ſubtiliter diſſolvit.

Unus tamen, mi Pater, etiamnum reſtat: gravius omnino ſacerdotibus onus imponere videmini, qui quod falſum cernunt, verum ab illis haberi vultis. Tu verò, inquit, prorſus iſta non capis. Nihil enim aliud volumus, quàm ut Confeſſarii ita ſe in abſolvendis pœnitentibus gerant, quaſi firmum illorum & ſtabile propoſitum eſſe crederent, quamvis reipsà nihil minùs exiſtiment. *Non eſt neceſſe*, inquit deinceps ex Suare Filiutius, *ut Confeſſor ſibi perſuadeat, aut probabiliter judicet futurum ut pœnitens à peccato abſtineat; ſatis eſt ut exiſtimet pœnitentem, quando eſt abſolvendus, habere propoſitum illud generale quod diximus, quamvis illud ſit per breve tempus mutaturus: ita omnes autores.* An tu de eo decreto dubitabis, quod ab omnibus noſtris ſcriptoribus fixum videas? Tum ego: Quid fiet igitur, inquam, mi Pater, illi Petavii voci, quâ profitetur, coactus quidem,

in

in præfat.lib. de pœnit.publicâ. *In hanc ſententiam tanquam certiſsimam Patres, Concilia, Doctores omnes conſentire, præviam Eucbariſtiæ pœnitentiam veram, conſtantem, fortem eſſe debere, non ſegnem & ſomnolentam, ac iteratis lapſibus obnoxiam.* Non vides, inquit, hîc de antiquâ Eccleſiâ Petavium agere: at hoc ſit, ut noſtrorum verbis utar, *intempeſtivum eſſet*, ut ſola demum contraria ſententia vera cenſenda ſit: aſſerit id Baunius Th. Mor. p. 1. tr. 4. de pœnit. q. 15. p. 96. *Quæritur*, inquit, *an adoleſcenti qui gravia ad Confeſsionem peccata affert, maximè verò pollutiones crebras, & tactus &c. impertienda ſit abſolutio toties quoties? Omnino, ſi eum ſincerè præteritæ vitæ pœnitet, ſtatuitque libidini frænos injicere..... An autem differri abſolutionem interdum expediat, res eſt in opinione Doctorum. Differendam cenſent Azor, Lopes, Laiman. Dico ego mihi videri rem committendam judicio Confeſſarii, qui de re univerſâ ſtatuet, prout ad Dei gloriam ac pœnitentis bonum expedire judicaverit: & quidem ſi aliquid operæ ſtudiique ad correctionem præteritæ vitæ pœnitens attulit veròque dolore de peccato tangitur; hunc abſolvendum illico, nec remittendum ad tempus futurum puto. Quid ſi ſæpe admonitus, nihilominus non ſapit? Quid ſi de emendandâ vitâ promiſſa non fecit? Quid ſi in expurgando animo, tollendâque peccati conſuetudine non laboravit? Indignum eum eſſe, cui ad gratiam aditus per abſolutionem pateat, dixêre Ledeſma & Lopez.* VERA SENTENTIA, EAQUE TENENDA *habet, ne tunc quidem abſolutionem ei negandam, dummodò dolore neceſſario ſit inſtructus, & ad Confeſsionem vitæ melioris conſilium afferat; de quo ſacerdoti, quantùm fas eſt humanitùs, ex ſignis aut ejus ore vocéque conſtet. Sic Sanctius* T. 7. Moral. lib. 2. c. 32. n. 45.

Et Tract. 4. q. 22. p. 100. *Dico* 1. *Etſi pœnitens conſuetudinem peccandi habeat, jurandive, aut aliud ſimile quid admittendi contra legem Dei, naturæ, aut Eccleſiæ, non eſt ei tamen neganda abſolutio, ſi verè eum admiſſorum pœnitet, ac emendandi ſui propoſitum habet. Dico* 2. *nec negandam nec diffe-*

differendam ei, etſi emendationis futuræ ſpes nulla appareat. Enimverò, mi Pater, hâc impetrandæ abſolutionis fiduciâ facilè peccatores impellas... Scio quid velis, inquit, Audi Baunium qu. 15. occurrentem ratiunculæ tuæ. *Quæritur*, inquit, *an abſolvi debeat qui confitetur ſe ſpe veniæ obtinendæ peccaſſe liberiùs, quàm feciſſet ſi eâ caruiſſet? Pro parte negante proferri hæc poſſunt &c. Contraria tamen ſententia eſt tenenda.*

Quam ſententiam Cauſſinus in reſponſ. ad Theologiam Moralem, defendens; *Hoc ni verum eſſe cenſeatur*, inquit, *magna pars hominum foret uſu Confeſſionis arcenda; & vix aliud peccantibus ſupereſſet remedium quàm reſtis & arboris ramus.* Hui quàm multi, inquam, ad tribunalia veſtra his illecti ſententiis confluent! Itaque, inquit, dici vix poteſt, quàm conferti ad nos veniant: *pœnitentium planè numero obruimur*, ut dicitur in primi ſeculi imagine lib. 3. c. 81. Habeo tamen, inquam, quò vos hâc turbâ, ſi vultis, exonerem: præcipite modò pœnitentibus ut proximas peccandi occaſiones fugiant. Unum hoc inſtitutum ſatis magnam levationem vobis afferet. Tum ille: Hanc nos, inquit, levationem nullomodò perſequimur, ſed contrà potiùs. Nam, ut eodem habetur loco, *id Societati noſtræ propoſitum eſt, ut virtutes inſerat, vitia revellat, magno ſe animarum numero præſtet utilem.* Quando igitur has proximas peccandi occaſiones pauci admodum fugere ſuſtinent, huic incommodo medendum fuit, ſolerti & commodâ proximæ occaſionis finitione. Ejuſmodi eſt ea quam tradit Eſcobarius in praxi Societatis noſtræ Tr. 7. Ex. 4. nu. 226. *Talis*, inquit, *debet eſſe occaſio quâ nunquam aut rarò non delinquatur; quia occaſio proxima non eſt ea quâ raro delinquitur, v. g. qui repentino affectu ter aut quater per unius anni circulum cum famulante fœminâ delinquit, ſine animo ulteriùs delinquendi*, aut ut ait Baunius in Summâ Gallicâ pag. 1082. *bis aut iterum ſingulis menſibus.* Quocirca quærit idem pag. 1089. *quid ſtatuendum ſit cum dominus & ancilla, cognatus & cognata*

mutuò

mutuò ſe ad peccandum alliciunt, propter hanc domicilii ſocietatem? Sejungendi ſunt, inquam. Idem, inquit, Baunius cenſet, *ſi frequentes & pene quotidiani ſint lapſus: at ſi,* inquit, *ſimul rariùs peccent, ut ſemel aut iterum ſingulis menſibus, nec ab invicem disjungi ſine gravi detrimento & incommodo poßint, poſſunt abſolvi ex autoribus noſtris, ex Suare præſertim, modò ſe ſpondeant inpoſterum non peccaturos, & verè de præterito doleant.* Quis iſte verus dolor eſſet, intellexi. Jam enim didiceram quid Confeſſario ſatis ſit, ut hunc dolorem verum judicet.

Mox ille pergens: Quin etiam Baunius p.1083.& 1084. docet, occaſionibus proximis implicatos illas deſerere non teneri, ſi hoc non poſſunt quin ſermonem populo dent, & incommodi aliquid accipiant. Idem in Morali Theologiâ aſſerit Tr. 4. de pœnit. qu.14. p. 94. & q. 13. p. 93. *Sequitur,* ait, *abſolvi poſſe fœminam, quæ domi ſuæ virum excipit, cum quo ſæpe peccat, ſi eum honeſtè inde ejicere non poteſt, aut cauſam aliquam habet eum retinendi, dummodò firmiter proponat ſe cum eo ampliùs non peccaturam.* Ego autem: Siquidem, inquam, ita eſt ut dicis, ut fugiendæ proximæ occaſionis præcepto quis hoc ſolo nomine non obligetur, quod aliquid inde caperet incommodi, nihil jam legis iſtius onere levius eſt. At illis ſaltem hanc veniam veſtri non dabunt, qui fugiendis illis occaſionibus nihil capiunt incommodi. Rectè tu quidem, inquit, non tamen ſine exceptione rectè dicis. Nam ut ibidem ait Baunius, *Caſtrus Palaus, Salas, Baſilius Pontius, licere ſingulis dicunt lupanar ingredi ad odium peccandi ingenerandum meretricibus, etſi metus ſit, ac verò etiam veriſimilitudo non parva eos peccaturos, eò quòd malo ſuo ſæpè ſunt experti blandis ſe mulierculàrum ſermonibus ac illecebris flecti ſolitos ad libidinem: quod etſi Lopez aliique non probent: etſi, inquam, in eâ ſint opinione Doctores, ut exiſtiment nefas eſſe proximi juvandi cauſâ ultrò ſalutem ſuam in diſcrimen vocare, nihilominùs eorum ego lubens ſubſcribo ſententiæ, qui ſecus quàm illi opinantur. Hi ſunt Baſilius, Emanuel Sa &c.*

Novum

Novum, inquam, Concionatorum genus, mi Pater: at quo fretus Baunius ſic homines mittit in lupanaria concionaturos? Fretus eſt, inquit, quodam Baſilii axiomate, cujus jam mentionem feci: nec te illius puto oblitum. Docet enim ille *occaſionem primò & per ſe quæri poſſe, cùm eſt aliqua cauſa eam volendi ob bonum noſtrum & proximi, tam temporale quàm ſpirituale.* Cohorrui ad illa loca, & pene diſputationem abrupi: utcunque me ſuſtinui tamen, quorſum ille evaderet expectans: tantùm hoc modo interfatus ſum. Quid ſimile, inquam, iſtius doctrinæ & Euàngelii, quo jubemur nobis eruere oculos, & maximè neceſſaria quæque reſecare, ſi noſtræ ſaluti officiant. An tu illum peccata ex animo deteſtari dices, qui volens in peccandi occaſione manet? Quid manifeſtius contrà, quàm talem nondum ita de peccatis dolere ut oportet, nec ad veram illam animæ converſionem perveniſſe, quâ tantùm diligitur Deus, quantùm antè creaturæ diligebantur. Hui quid dixti, inquit! quam tu hîc animi affectionem deſcribis, ipſiſſima eſt contritio. Videris ignorare quid de eâ ſtatuerit Pinterellus noſter in Abbatis Boiſſiaci part. 2. pag. 50. *Docent*, inquit, *communi conſenſu noſtri Scriptores, graviſſimum errorem eſſe, & modò non hæreſim, contritionem aſſerere neceſſariam, & attritionem exortam ex ſolo pœnarum æternarum metu, voluntatem tamen peccandi excludente; cum ſacramento ſufficientem negare.* Siccine, mi Pater, pene inter fidei dogmata reponis opinionem illam, quâ cum ſacramento ſufficere attritio ex ſolo pœnarum metu profecta ſtatuitur? Equidem hoc Patribus veſtris proprium puto. Nam alii qui attritionem ſufficere prædicant, amoris divini aliquid admiſcent. Imò nec id videtur ſcriptoribus veſtris ita ſemper exploratum fuiſſe. Sic enim de iſto argumento loquitur Suarez de pœnitentia qu. 90. art. 4. diſp. 15. ſect. 4. num. 17. *Licet ſit opinio probabilis, attritionem cognitam cum ſacramento ſufficere ad juſtificationem: tamen non eſt certa, & poteſt eſſe falſa, cùm illa opinio nec valde antiqua, nec multùm communis*

ſit.

ſit. Nec tantùm in eâ confidebat Sanchez, cùm in Summâ lib. 1. cap. 9. num. 39. hæc habeat: *Si pœnitens in mortis articulo eſſet, atque habere poſſet contritionem, mortale eſſet & recipere, & ei ſacramentum pœnitentiæ cum ſolâ attritione cognitâ miniſtrare, propter grave damnationis periculum, cui ille exponeretur, ſi fortè hæc ſententia non eſſet vera, cùm tamen Dei gratiâ poſſit ſecurum contritionis remedium aſſequi.* Hinc etiam veſter Comitolus: *Non eſt uſque adeò certum, attritionem pœnitenti eſſe ſatis.*

Hîc me repreſſit Jeſuita. Ehem, inquit, noſtros, ut video, Scriptores tractas; laudo quidem: laudarem tamen ampliùs, ſi noſtrorum aliquem ad hanc lectionem adhiberes. Nam dum tu illa ſolus legis, perperam hæc quæ memoraſti loca hodiernę noſtræ de attritione doctrinæ adverſa putaſti, quæ maximè in gloriam noſtram cedere demonſtratum tibi facile foret. Quàm glorioſum enim Patribus noſtris, privatam de attritione opinionem quàcunque terrarum ita diſperſiſſe, ut Theologis demptis vix ulli ſint, qui alium in Eccleſiâ ſenſum viguiſſe exiſtiment. Itaque cùm ante aliquot annos incertam hanc fuiſſe doctrinam ex Patribus noſtris oſtendis, quid aliud quàm in recentiores noſtros ſcriptores totam hujus opinionis conſtabilitæ gloriam confers. Eâ re ſummus noſter Diana gratificari ſe nobis ratus eſt, cùm eos notat gradus quibus eò perventum eſt. *Opinio eſt,* inquit p. 5. tr. 13. *Guillelmi Pariſienſis, Argent. Majoris, Petri Soto. Silveſt. & D. Antonini, aſſerentium præceptum contritionis ſtatim ac commiſſum peccatum mortale, obligare. 2. opinio eſt Mars. ajentis peccatorem teneri præcepto contritionis in diebus feſtis. 3. opinio eſt Adriani, peccatores obligari præcepto contritionis quando magna aliqua calamitas imminet. 4. opinio eſt Domin. Soto in 4. Sent. diſt. 17. qui docet peccatorem teneri præcepto contritionis, quando eſt in periculo probabili oblivionis peccatorum. 5. opinio eſt Suarez, & aliorum, qui tenent peccatorem teneri ante articulum mortis ad non multum differendam contritionem; nullum*

tamen

tamen determinatum tempus aſſignant, pro quo peccator obligetur. Sed omnes has opiniones optimè refellit Hurtadus Complutenſis & Vaſquez, qui docent peccatorem non teneri præcepto contritionis, niſi in articulo mortis aut in periculo, quando medio ſacramento pœnitentiæ juſtificari non poteſt. Nam aliàs peccator excuſatur ab obligatione præcepti contritionis, quando aliâ via juſtificatur.

Sed ut mirabilem iſtius doctrinæ progreſſum perſequamur, addam noſtrum Fagundez præc. 2. t. 2. cap. 4. num. 13. Granad. in 3. part. cont. 7. tr. 3. d. 3. ſec. 4. num. 17. Eſcobarium tr. 7. Exam. 4. num. 88. in praxi Societatis noſtræ diſertè ſtatuiſſe, eum *qui confitetur in mortis articulo cum attritione cognitâ, non teneri actum contritionis elicere; quia*, inquiunt, *Tridentino aſſerente ſufficit ad ſalutem attritio: quod quidem incertum eſſet, ſi quis ita confeſſus, non eſſet de ſuâ ſalute ſecurus.* Magnus item noſter Hurtado de ſacr. d. 6. à Diana citatus pag. 4. tr. 4. miſc. Reſp. 193. & ab Eſcobario tr. 7. Exam. 4. num. 91. ultra etiam provehitur. *Aſſerit enim ſufficere attritionem & dolorem peccatorum ob malum temporale, cum reſpectu ad Deum, à quo immiſſum aut immittendum eſt in pœnam, id eſt, dolorem de peccato, quia Deus ob illud immiſit aut immittet dictum malum (ut verè fieri poteſt, inquit Diana, quia quodcunque malum quod non ſit culpa, à Deo immittitur;) non verò ob malum temporale, ut aliunde eveniens vel eventurum, abſque reſpectu ad Deum.* Quod breviùs Eſcobarius loco citato. *Sufficitne attritio ob malum temporale? Hurtado diſtinguit: ſi quis doleat de peccato, quòd Deus in pœnam illius malum temporale immiſit, ſufficit: ſi autem doleat ſine ullo reſpectu ad Deum, non ſufficit.* Idem defendit Fr. Amicus ex Societate noſtrâ t. 8. diſp. 13. num. 13.

Mira prorſus, inquam, mihi narras, mi Pater. Quid enim in iſtâ quam explicas attritione ſupra naturam eſt? Ergo ex vobis ſine gratiâ ſupernaturali mereri abſolutionem quis poteſt; quod inter cæteras hæreſes à Tridentinâ ſynodo anathemate percuſſum nemo eſt qui neſciat. Idem

pror-

prorſus, inquit, quod tu, ſenſiſſem: aliter tamen ſe rem habere liquet, quandoquidem Pariſienſes noſtri Patres in Theſibus Claromontanis 23. Martii &. 6. Junii anni 1644. col. 4. num. 1. hoc propugnarunt. *Ejuſmodi*, ajunt, *attritio* (ſcilicet ex metu gehennæ, amittendæve beatitudinis) *ſancta eſt, & ad ſacramenti finem obtinendum ſufficit, licet ſupernaturalis non ſit.* Et in theſibus anni 1643. menſis Auguſti. *Sacramenti pœnitentiæ neceſſitas ad remittenda baptiſatorum lethalia peccata, ex verbis inſtitutionis conficitur. Ad illud ſufficit attritio naturalis, modò honeſta.* Nil ampliùs dici poteſt, niſi unum addi placeat illud conſectarium, quod inde nullo negotio deducitur, adeò neceſſariam ſacramento non eſſe contritionem, ut potiùs noxia ſit: quia cùm vi ſuâ peccata deleat, nihil delendum relinquit ſacramento. Id habet Valentia tanti nominis Jeſuita t. 4. diſp. 7. q. 8. pag. 4. *Contritio*, inquit, *in re ipſâ non eſt neceſſaria ad effectum primarium ejuſmodi ſacramentorum percipiendum; imò obſtat potiùs quominùs ille ſequatur. Igitur abſurdum eſſet præceptum, quod contritionem ad eam rem requireret, ut convenienter & fructuosè iſta ſacramenta ſuſcipiantur: quemadmodum abſurdè certè faceret medicus, qui ægroto præciperet ut non ſuſciperet medicamentum, niſi priùs conatus eſſet abſque medicamento morbum depellere.* Nihil eſt, credo, quod in attritionis gratiam poſſit adjici.

Certè, inquam, mi Pater: at tu quæſo boni conſulas, ut meum de hâc doctrinâ ſenſum aperiam; ac paucis oſtendam in quæ vos præcipitia delatura ſit. Nam cùm attritionem ex ſolo pœnarum metu cum ſacramento ſufficere pugnatis, nonne conſequens eſt per totam vitam ſic peccata elici poſſe, adeoque poſſe contingere ut ſalutem adipiſcatur, qui nunquam Deum in vita dilexerit. An id quoque Doctores veſtri defendent? Ex tuo, inquit, ſermone intelligo, ignotam tibi, at multùm profuturam eſſe noſtrorum de amore divino doctrinam: hæc verò noſtræ moralis diſciplinæ quaſi cumulus, hoc omnium noſtrorum de-

decretorum longè graviſſimum: tu quidem, ſi quid tibi fuiſſet acuminis, ex his quæ modò de contritione dixi, quid de amore Dei ſentiendum ſit, intelligere debueras: afferam tamen in tarditatis tuæ gratiam alia loca, ſed tu vide ne me obturbes. Nam ipſa ſeries diligenter attendenda. Omiſſâ Suaris ſententiâ, quem jam diximus actum contritionis, ſive Dei amoris præceptum quidem putare, ſed ſine temporis determinatione. Audi Eſcobarium reliquorum ſententias referentem t. 1. exam. 2. num. 21. *Putat Vaſquez*, inquit, *ſufficere ſi diligamus in fine vitæ: multa tempora alii aſſignant; quando ſuſcipitur Baptiſmus; quando præceptum contritionis obligat; quando eſt cauſa ſubeundi martyrii; quando reſiſtendum eſt blaſphemantibus, aut Dei honorem aut nomen contemnentibus; quando tenemur diligere proximum; ſingulis diebus feſtis. Has Palaus t. 1. tr. 6. d. 1. pag. 4. num. 3. & 4. meritò impugnat. Hurtado de Mendoza 2. 2. diſt. 74. ſect. 6. §. 36. adeſſe per ſingulos annos implendi hujus præcepti obligationem, imò remiſſiùs nobiſcum agi, quod ſæpius non petatur. At Coninch putat hoc præceptum ad tres aut quatuor annos non eſſe differendum.* Henriquez ut refert idem tr. 5. Exam. 4. num. 8. *præter mortis articulum, & morale principium uſus rationis, tertium tempus aſſignat vitæ intermedium, ſaltem ſingulis quinquenniis. Addit ex Filiutio tr. 5. Exam. 4. num. 8. probabile eſſe non quinquenniis ſingulis rigoroſè obligare, ſed ſapientum arbitrio.*

Sivi ut liberè has omnes ineptias effutiret, quibus divinam charitatem hominis ingenium tam indignis modis ludificatur. Ille autem: At noſter, inquit, Antonius Sirmundus, mirum ſuper illo argumento quàm triumphet in eximio illo libello quem *Virtutis defenſionem* inſcripſit, ubi *Gallis Gallicè* loquitur, ut ipſe habet in præfatione. Auſculta quæſo quomodò de amoris divini præcepto differat, de ordine charitatis tr. 2. ſect. 1. cap. 2. *Diligendi Dei præcepto homines obligari affirmat S. Thomas ſtatim ab uſu rationis. Hui tam citò? Scotus ſingulis Dominicis. Vnde petitum? Alii*

cum

cum urget tentatio. Rectè, ſi non eſſet alia via effugiendæ tentationis. Sotus poſt acceptum beneficium. Grati quidem animi iſtud indicium eſt. Quidam in mortis articulo. Nimis ſerum eſt. Nequidem quoties recipitur aliquod ſacramentum eam obligationem urgere exiſtimem. Sufficit enim attritio cum Confeßione ſi commodè fieri poßit. Aliquo tempore teneri cenſet Suarez. At quo? Tuo judicio remittit; ipſe neſcit. At quod ille neſcivit, quis ſciat neſcio. Poſtremò ex his omnibus efficit Sirmundus, qui nullo Deum affectu diligat, nec voluntatem ſuam ad ipſum convertat dummodò non oderit, & cæteris mandatis obſequatur, eum legi divinæ ſatisfacere, quod ſatis eſt ut ſit citra culpam. Hoc toto tractatu ſecundo exequitur, ut ſingulis ferè paginis cerni poteſt, & maximè paginâ 16.19.24.28.in quibus hæc habentur. *Dum ſe amari præcipit Deus, ſatis habet ſi ſibi in cæteris mandatis pareatur. Si dixiſſet, quantumvis cætera mandata ſervetis, niſi etiam in me amorem transferatis, in infernum vos dejiciam. An hoc, amabo, invitamentum ei propoſito conſentaneum fuiſſet, quod ſequi Deus debuit & potuit. Iußi ſumus igitur Deum amare, id eſt, voluntati ipſius ita parere, quaſi reipſâ eum diligeremus, quaſi quodam charitatis motu ad id impelleremur: hoc ſi contingat, multò meliùs & optatius: ſin minùs, tamen præcepto de amando Deo parebimus, quantùm ſat eſt ſi cæteris præceptis non deſimus. Itaque quæ miranda eſt in homines bonitas Dei, non tam amorem ſui præcipit, quàm odium vetat.*

Hoc pacto noſtri laborioſo illo amandi Dei onere homines relevarunt, quod probè ſtabiliri, tanti ad publica commoda intereſſe putavimus, ut Annatus, Pinterellus, Moinius & ipſe Sirmundus ſocii noſtri pro illâ doctrinâ à nonnullorum impugnatione defendendâ ſtrenuè admodum propugnarint. Videre potes illorum prælia in reſponſionibus ad Theologiam Moralem, & in libello ad Abbatem Boiſſiacum pag. 53. ubi diſpenſationis iſtius præſtantia, ex eo quo empta dicatur pretio, exiſtimari licet. Nam iſtud non aliud eſt quàm ſanguis ipſe Chriſti.

Attende hoc quæſo diligentiùs. Eſt enim iſtius doctrinæ quaſi coronis quædam & faſtigium. Diſces hoc Euangelicæ legis ſupra Judaïcam præcipuum eſſe privilegium, quòd nunc amandi Dei præcepto Chriſtiani immunes ſint. *AEquitati*, inquit, *conſentaneum fuit, in lege gratiæ & novi Teſtamenti illud durum & difficile exercendi ad obtinendam juſtificationem perfectæ contritionis, id eſt charitatis actus præceptum reſolvi: æquum, inquam, fuit inſtitui ſacramenta, quæ charitatis defectum ſupplerent, ne tam arduam animi affectionem requirerent: alioquin Chriſtiani qui filii ſunt, nihilo faciliùs Patris ſui gratiam ſibi reconciliarent quàm Iudæi, qui tantùm ſervi erant, & domini ſui miſericordiam impetrabant.*

Hîc verò temperare mihi ampliùs non valui, ſed Jeſuitam commotiùs adortus: Nulla, inquam, tanta patientia quam non exhaurias, nec iſta flagitia ſine horrore audiri non poſſunt. Quid tu, inquit, hîc me invadis, quaſi mea proferam? Tua non ſunt, inquam, mi Pater, hæc monſtra; novi: ſed tu ea non exhorreſcis: amas illorum parentes nedum deteſteris. Non times ne conſenſu tuo in criminis venias ſocietatem, nec recolis quod à Paulo dictum eſt: Dignos eſſe morte non ſolùm qui talia agunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus. Parumne ergo erat vobis tot vitia falſis prætexuiſſe coloribus, ut illorum veniam hominibus daretis? Etiamne in ea quæ velari non potuerant piacula, inanis quam offertis abſolutionis ſecuritate præcipitandi erant? An divina ſacerdotum poteſtas funditus evertenda, impoſitâ ipſis dandæ etiam inveteratis peccatoribus abſolutionis ſervitute, quamvis illi nec mores emendent, nec ulla præferant pœnitentiæ ſigna, niſi centies violata promiſſa: quamvis nullam ſi modo voluerint obeant pœnitentiam: quamvis denique peccatorum incitamenta fugere detrectent, quia inde aliquid nanciſcerentur incommodi? Ultra etiam, proh nefas, progredi juvat; & in apertum totius Euangelicæ legis excidium profana quidvis audendi licentia graſſatur. Violatur magnum illud manda-

mandatum, *unde univerſa lex pendet & Prophetæ*: cor ipſum pietatis attentatur: expulſo inde ſpiritu vivificante inane pietatis ſimulacrum relinquitur: poſtremò negatur ad ſalutem neceſſarium eſſe Deum diligi. Quid reſtat ampliùs, niſi ut non amandi Dei privilegium à Chriſto hominibus prædicetur allatum? Hoc etiam veſtri prædicarunt. Creſcere jam non poteſt impietas, ad ſummum pervenit.

Itane, Pater, nobis ſanguine ſuo promeruit Chriſtus, ut ipſum nobis non amare liceret? Antequam Dei Filius carnem indueret, nemini non præcipiebatur ut Deum diligeret. At poſtquam ſic *Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret*, redemptus à Deo mundus diligendi Dei præcepto ſolutus eſt! O nefandam temporum noſtrorum Theologiam! Diffingitur Paulinum anathema in eos qui non amant Dominum Jeſum. Evertitur Joannis oraculum: *Qui non diligit, manet in morte*. Imò ſacra Chriſti ipſius ſententia: *Qui non diligit me, ſermones meos non ſervat*: dignique judicantur qui Deo æternùm fruantur in cœlo, qui nunquam Deum in terrâ dilexerunt! O plenum undique iniquitatis myſterium! Aperi tandem oculos, mi Pater; ac ſi alias tuorum aberrationes lentiùs tuliſti, hujus certè ſcelerati dogmatis ab his te avertat impietas. Hoc tibi, hoc ſociis tuis opto. Agnoſcant, precor, intus lucente veritate, quàm fallaci fulgore in hæc præcipitia delati ſunt. Denique divini amoris flammas concipiant, qui non amandi Dei hominibus veniam donant.

Hæc & alia quædam iſtiuſmodi locutus, à Jeſuitâ diſceſſi; nec video quî poſſim illum rurſus inviſere: ſed tu nihil eſt quòd noſtros congreſſus deſideres. Nam ſi me in explicandis Jeſuitarum decretis diutiùs verſari neceſſe eſt, ſatis jam illorum libros contrivi, ut ipſorum doctrinam non minùs accuratè quàm ille, politicas artes etiam accuratiùs poſſim perſcribere. Vale.

IN DECIMAM EPISTOLAM
NOTA PRIMA.

De abſolutione peccatoribus in eadem ſemper flagitia relabentibus concedendâ, etſi emendationis futuræ ſpes nulla appareat.

Quàm depravatum ſit recentium Caſuiſtarum de rebus moralibus judicium, quàm cœcum in hominum cupiditates obſequium, ſæpe jam vidimus, ſæpe videbimus. Nuſquam tamen hoc cerni licuit evidentiùs quàm ex his duobus Apologiſtæ Caſuiſtarum locis, in quibus pernicioſiſſimam Jeſuitarum doctrinam de abſolutione inveteratis peccatoribus ſine ullâ emendationis ſpe concedendâ, confidentiſſimè tuetur. *Theologorum,* inquit pag. 49. *doctrina de abſolutione non denegandâ, magis etiam locum habet in iis qui repetitis ſæpe juramentis, ebrietate, ſpurcitiâ, validum horum vitiorum habitum & conſuetudinem contraxerunt. Quamvis enim illa conſuetudo voluntate contracta, proximæ habeat occaſionis locum, quâ ad ſupradicta peccata propelluntur: ſæpe tamen hanc conſuetudinem voluntariam eſſe dici non poteſt, cùm eam oderint ac deponere optent.* Paginâ verò 162. generalem hanc Caſuiſtarum ſententiam approbat. *Non eſt neceſſarium ut Confeſſor ſibi perſuadeat fore ut pœnitens mutandæ in meliùs vitæ propoſitum exequatur, vel hoc etiam probabiliter judicet: ſed ſufficit ut adeſſe pœnitenti putet generale propoſitum, licet hoc brevi mutatum iri præſentiat.* Quod his inſuper argumentis confirmare nititur. *Contraria,* inquit, *Ianſeniſtarum ſententia, qua talibus denegandam abſolutionem contendunt certa ad deſperationem eſt via. Vbinam enim invenias, de quibus hanc habere fiduciam poſſit ſacerdos, nunquam fore ut in eadem flagitia non recidant? Hanc ſi expectet ſacerdos, nihil opus eſt pœnitentiæ ſacramento, quod nec iis qui baptiſmi innocentiam tenuerunt neceſſarium eſt, nec iis concedendum qui amiſerint, cum de iis talis concipi fiducia non poſſit. Hæc ergo Ianſenianorum ſententia Eccleſiæ exitioſa, & interdicto generali deterior. Quod autem Ieſuitis hìc objectant, ab omnibus probatis ſcriptoribus unanimi conſenſu traditur. Debet ergo pœnitentem ſacerdos abſolvere, etiamſi illum in crimina relapſurum ſentiat: ultra etiam provehuntur Theologi, adduntque etiamſi de ſe pœnitens judicet fore ut in eadem peccata recidat in poſterum, non tamen eum propterea abſolutione indignum eſſe, modò tempore Confeſſionis peccatum ipſi diſpliceat. Contrà enim quò iteratum lapſum vehementius timet, eò ſtudioſius ad Confeſſionis remedia debet accedere, ut ex illorum ope convaleſcat. Quis podagricus non cupit tam difficili morbo liberari, quamvis illum judicet brevi poſt tempore reverſurum?*

In his verbis quid primùm querar & inſecter neſcio. An tam manifeſtam rationis depravationem? An Chriſtianæ prudentiæ lumen extinctum? An temerarium antiquitatis contemptum? An ſancti Caroli venerabilem orbi Chriſtiano autoritatem ludibrio habitam? An Epiſcoporum Galliæ dignitatem inſigni contumeliâ violatam?

An ſalutem denique Chriſtianorum nefariè proditam, & apertum omnibus vitiis aditum? Primùm enim quid à ratione alienius, quàm illa podagræ cum animi morbis comparatio? Quaſi podagra voluntate conſtet, animi morbi voluntate non conſtent. Quid tardius aut hebetius, quàm tam apertum diſcrimen non intellexiſſe? Podagram velis nolis ſimiliter habes, adeòque quod recurrit nullum prorſus argumentum eſt ab illâ voluntatem non abhorrere, imò quò crebrius quis eâ vexatur, eò magis illam odit & refugit. Alia prorſus vitiorum ratio, quorum in ipsâ voluntate ſedes eſt, quæ tota voluntaria ſunt; imò nihil aliud ſunt quàm ipſa depravata voluntas. Nemo his morbis vexatur invitus; nemo verè odit, quin iis pariter liberatus ſit. Si quis illis laboret identidem, manifeſtum eſt nondum ab illis planè alienam gerere voluntatem, ſive ut Auguſtini verbis utar Confeſſ. lib. 8. *Non id velle fortiter & integrè, ſed* ad ſummum *ſemiſauciam hâc atque hâc verſare, & jactare voluntatem parte aſſurgentem, cum aliâ parte cadente luctantem.*

Quis porrò Chriſtianæ prudentiæ uſus futurus eſt, ſi hanc ſequitur Jeſuitarum rationem, ideò minimè differendam ad tempus peccatoribus in eadem ſemper flagitia relabentibus abſolutionem, quia certò de nemine ſciri poteſt, nunquam ipſum in crimina relapſurum? Quis unquam hâc ſententiâ etiam in leviſſimis rebus uſus eſt, quâ in Chriſti myſteriis diſpenſandis utendum docent? Scitari libet ex iſtis Caſuiſtis, an quoties pecuniam alicui collocant, utrùm quærere negligant an ille ſolvendo ſit, quia vix cognoſci poteſt nulláne interventura ſit calamitas, aut aliuſmodi caſus quo ad inopiam redigatur? Scitari libet an famulo recenti & inexplorato tantùm fidei habeant, quantùm veteri & ſpectatæ per multos annos fidei? Et tamen neutrius certò præſtari fides poteſt, cùm non deſint exempla ſervorum qui perdiu fideles habiti, pòſt tamen dominos compilarint, vel etiam occiderint.

Sed urgebit ipſos etiam vehementiùs religioſarum familiarum exemplum, quæ tam diuturnis experimentis eorum quos ad ſocietatem ſuam cooptaturæ ſunt conſtantiam & ingenium explorant. Quorſum enim tota hæc diligentia, ſi nihil temporis diuturnitas affert, quo melius de cujuſque propoſito judicetur? Cur non igitur ſuâ illâ manſuetudine utuntur Jeſuitæ? Cur Societatis ſuæ candidatos ſtatim non aſciſcunt in cœtum ſuum, ne omnes à religioſæ vitæ profeſſione arcere videantur? Sentiunt ipſi quàm abſurdum, quàm Societati ſuæ pernicioſum iſtud inſtitutum fuerit, meritòque majorem in iis explorandis adhibent curam. Cur igitur hanc in ſacerdotibus negligentiam non modò tolerant, ſed etiam laudant & præceptam docent? Nimirum utrique judicio in re ſimillimâ tam diſſimili eadem cauſa ſubeſt, utilitas ſcilicet Societatis, quæ Jeſuitis ſuprema lex. Sentiunt ipſi ab apoſtatis vel flagitioſis dedecorari Societates. Ergo ad tales ſtudioſè cavendos ſua illos utilitas acuit; nec temporis moram inutilem ad hoc eſſe facilè intelligunt. Contrà Societati utile eſt ſtatim omnibus ſine delectu abſolutionem impertiri. Ergo hîc contra ipſos eadem Societatis utilitas excœcat, & præter

rationem ſuadet inutilem abſolutionis moram ad pernoſcendum cujuſque propoſitum.

Jam verò quid in antiquam Eccleſiam contumelioſius, quàm eam diſciplinam quæ perdiu in omnibus criminibus, diutiùs in criminibus publicis viguit, tanquam propriam Janſeniſtarum doctrinam, & *certam ad deſperationem viam* infamare. Verùm hanc injuriam pluribus hîc exagitare non neceſſe eſt, cùm id toto ferè de frequenti Communione libro præſtiterit Arnaldus Doctor Sorbonicus, cujus librum præter ſexdecim Epiſcopos & viginti Doctores, Conventus etiam Epiſcoporum Auſcenſis Provinciæ anno 1645. inuſitato honore populo Chriſtiano commendavit. Nec verò hoc eò dico, quaſi totam priſtinæ Eccleſiæ ſeveritatem cenſeam revocandam, cùm id hujus ævi perverſitas omnino non ferat. Duo tantùm affirmo: primum irreligioſum & impium eſſe, duodecim ſeculorum praxim non revereri, aut Chriſtianis pernicioſam dicere: deinde nec ſeveritatis eſſe; ſed neceſſariæ in diſpenſandis Chriſti myſteriis cautionis, iis abſolutionem differre, qui iteratis lapſibus firmum ſibi mores in meliùs commutandi propoſitum non adeſſe fidem faciunt.

Quamobrem id expreſsè Confeſſariis præcipit ſeneſcentis Eccleſiæ grande decus Carolus Borromæus Act. part. 4. Inſtr. Conf. p. 767. *Sacerdos,* inquit, *neminem ſic affectum abſolvere debet, ut probabile cenſeat in eadem peccata recaſurum, ſi in iiſdem occaſionibus perſeveret; ſed certum temporis ſpatium ſumere ad emendationem illius explorandam. Atque hìc eò magis evigilandum eſt excubandumque animo, quòd Confeſſorum culpâ & inertiâ factum videmus, ut in pleriſque artibus & profeſſionibus innumeræ corruptelæ & graviſſima delicta paſſim vigeant, ſine quibus res alioquin juſtiſſimæ jam à paucis admodum ſectari poſſe videantur.* Et paulò ſuperius. *Confeſſarios,* inquit, *monitos volumus, ut iis quos peccata non dimiſſuros probabiliter exiſtimabunt, quantùmvis polliceantur ac ſpondeant ea ſe dimiſſuros, abſolutionem procraſtinent quoad emendationem perſpexerint. Nec non iis qui per multos annos in eadem peccata prolapſi erunt, neque operam ullam ad correctionem vitæ contulerint.*

Recognoſcant Jeſuitæ in his ſancti Caroli decretis non modò ſanctiſſimi Præſulis mentem, ſed etiam avitum Ordinis ſui ſpiritum, cùm in illis condendis ſancto Carolo Adornus Jeſuita, vir graviſſimus affuerit. Nec minùs illum perſpicere poterunt ex his antiqui Jeſuitæ verbis cui nomen De Bonis, iſtius dilationis fructum uſu ipſo ſeſe didiciſſe teſtantis, in libello Italico cui titulus eſt, *Tractato del ſantiſſimo Sacramento* d'ell'Altare, Romæ excuſo An. 1595. *Vtiliſſimum,* inquit, *remedium eſt adverſus iteratos lapſus, multiſque probatum experimentis, abſolutionem peccatoribus differre, ut ſe aliqua pœnitentia ad Communionem comparent. Varia igitur pœnitentiæ officia ipſis imponenda ſunt, quibus ad cognitionem, dolorem, & deteſtationem peccatorum perducuntur: hoc autem niſi fiat, peccatores ſtatim ad vomitum redeunt. Hoc inſtitutum multis peccatoribus profuiſſe teſtantur graves & prudentes Religioſi.*

Poſtremò quod ad augendam Caſuiſtarum Apologiſtæ temeritatem

tem facit, ultimus etiam Cleri Gallicani conventus hanc exitialem Jeſuitarum indulgentiam apertè damnavit. Nec enim modò ſancti Caroli decreta ſuis impenſis excudi curavit; ſed nominatim in Epiſtolâ huic libello præfixâ hanc corruptelam graviſſimis verbis inceſſit,& Jeſuiticas quibus prætexitur cauſas præcîdit. *Præter illam*, inquit, *doctrinæ Moralis pravitatem, quæ facilè, niſi provideatur, Chriſtianorum mentibus illabetur, non mediocri nos afficit dolore pernicioſa quàmplurimorum Confeſſariorum in concedenda promiſcuè pœnitentibus abſolutione facilitas, quam illi falſis pietatis coloribus prætexunt; quaſi hoc modo illos à peccato paulatim averterent, & à deſperatione ac Religionis contemptu retraherent.*

Quis igitur non miretur tam parum frontis fuiſſe Jeſuitis, ut poſt celeberrimi Conventus, quo nullum ſibi magis faventem unquam experti ſunt, tam apertum judicium, ejus autoritatem propalam calcare non vererentur! Et quod illi Antiſtites quaſi inſignem corruptelam inſectantur, ipſi quaſi omnium Catholicorum diſciplinam, à ſolis impugnatam Janſeniſtis defenderent. Ex quo obiter diſcas illos quos Janſeniſtarum nomine traducunt Jeſuitæ, non alios eſſe quàm Epiſcopos Galliæ, Pariſienſes, Rothomagenſes, & totius ferè orbis Parochos Jeſuitarum erroribus infeſtos.

Quòd ſi Jeſuitas non movebat nec ſancti Caroli, nec Epiſcoporum Galliæ autoritas, ſaltem illos movere debuerat tota Eccleſiæ diſciplina, hoc uno ſuo decreto labefactata, & pœnitentium ſalus nefariè prodita. Nam cæteræ quidem illorum labes utcunque in ſingulis quæque flagitiis excuſandis verſantur. Hæc univerſa complectitur etiam illa in quibus excuſandis omnis Caſuiſtas defecit induſtria. Inveteratis peccatoribus ſcatet & premitur orbis Chriſtianus: omnes pene ſub Paſchatis tempus peccata confitentur, feſto peracto ad vomitum redeunt; nulláque prorſus in ipſis mutatæ in meliùs vitæ veſtigia comparent. Unum huic malo remedium eſt, firmitas ſacerdotum ad ejuſmodi peccatores ab altaribus removendos: hoc cùm Eccleſiæ à Jeſuitis eripitur, omnis emendandæ Chriſtianorum vitæ via pariter eripitur.

Nota II.

Refellitur Ieſuitarum hæreſis de attritione naturali.

Cùm multi multas in Montaltium laudes congerant, ego unam in ipſo præcipuè commendo cautionem & circumſpectionem. Nihil ejus verbis prudentiùs, nihil à præcipiti temeritate remotiùs. Si quæ ſit opinio paulò probabilior, tametſi eam falſam eſſe ſentiat, ſedulò cavet ne eam Jeſuitis vitio vertat. Probabiliſſima eſt Lovanienſium Theologorum, imò omnium ferè antiquorum doctrina, qui amorem Dei ſuper omnia ad juſtificationem adultorum omnino neceſſarium docent; adeóque illum amorem etiam in illâ contritione imperfectâ includunt, quæ ad peccatorum remiſſionem in ſacramento pœnitentiæ conſequendam ſufficit.

Nec urget illos vulgare argumentum, abſolutionem fore merè declaratoriam; hoc enim duplici ratione depellunt. Primò enim

ajunt, juſtificationem tametſi antecedentem, futuræ abſolutionis effectum eſſe; quia non conceditur à Deo niſi in voto abſolutionis impetrandæ. Secundò negant multi, & in iis Eſtius, cujuſvis charitatis quâ Deus diligitur ſuper omnia, eam vim eſſe ut animum juſtificet ſine ſacramento, ſed tantùm intenſioris. Quamvis igitur hæc doctrina forte Montaltio probabiliſſima, imò longè veriſſima videretur, non tamen inde Jeſuitis crimen conflavit quòd ab eâ diſſentiant: illud culpavit quòd cùm nullam in attritione amoris divini particulam includant, eam tamen ad juſtificationem in ſacramento pœnitentiæ impetrandam ſufficere contendunt. Hoc verò à vulgaribus etiam eorum qui attritionem tuentur placitis abhorret. Illud item graviùs incuſavit, quòd tum attritionem naturalem, tum metum mali temporalis à Deo ob peccatum inflicti ad recuperandam gratiam ſufficere fidenter Jeſuitæ Pariſienſes & in Claromontanis Theſibus,& variis libris affirmarint: quem nos potiſſimum errorem, ſeu potiùs certiſſimam hæreſim quibuſdam hic argumentis breviter confutabimus, quorum pleraque tamen etiam ad illum timorem merè ſervilem,& ex ſolius gehennæ ſuppliciis profectum referri non incommodè poterunt.

I. Quocunque modo accipiantur quæ Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 4. de contritione imperfectâ tradit, *eâ non reddi hominem hypocritam*; *ſed ad gratiam in ſacramento obtinendam præparari.* Certè ut hæc præparatio ſufficiat, non minor nec exilior ulla ſufficit. At Concilium Tridentinum quid ſit illa contritio imperfecta luculenter explicat Seſſ. 14. can. 5. his verbis. *Si quis dixerit*, inquit, *eam contritionem quæ paratur per diſcuſſionem, collectionem, & deteſtationem peccatorum, quâ quis recogitat annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ, ponderando peccatorum ſuorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amiſſionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incurſum, non eſſe verum & utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, ſed facere hominem hypocritam, anathema ſit.* Habemus ex Concilio veras attritionis illius dotes. Includit deteſtationem peccatorum. Ergo etiam aliquem Dei amorem, ſine quo nemo verè deteſtatur peccata, ut ait Auguſtinus. Includit æternæ damnationis metum, non igitur mali duntaxat temporalis formidinem. Includit dolorem ob beatitudinem amiſſam, non ergo amorem Dei in totum excludit. Nam cùm beatitudo nihil aliud ſit quàm Deus, nemo de ejus amiſſione verè dolere poteſt, niſi qui Deum aliquatenus amet. Præclare enim Auguſtinus: *Cum dolore non amittitur, niſi quod cum amore poſſidetur.*

II. Certa & multis Conciliis nominatimque à Synodo Tridentinâ damnata hæreſis eſt, poſſe quem ad gratiam ſine ſancti Spiritus motu præparari; & tamen hæc hæreſis manifeſtè in illo Jeſuitarum dogmate continetur, quo naturalem attritionem ad juſtificationem in ſacramento obtinendam ſufficere dixerunt.

III. Eadem hæreſis ex altero Jeſuitarum dogmate de metu temporalis mali manifeſtè ſequitur. Quid enim in illo mali temporalis timore ſupra naturam? Aut quis etiam perditus non doleat de amiſ-

ſâ in

ſâ in ludo pecuniâ? Quis tam impius ut neget hoc Dei nutu & providentiâ contigiſſe. Igitur non jam ex lege, ſed planè ex naturâ juſtitia eſt; vicitque Dei Eccleſiam Pelagius Jeſuitarum operâ redivivus.

IV. Nullam mentis affectionem ex ſolo pœnæ timore profectam, ad juſtificationem ſufficere manifeſtè probant quæ de timore ſervili docet S. Thomas 2. 2. qu. 19. art. 4. Diſertè enim aſſerit timorem ſervilem, etſi ſecundum ſubſtantiam bonus eſt, ex parte tamen ſervilitatis habere quod malus ſit: ſive timorem ſervilem malum eſſe quatenus ſervilis eſt. *Is verò*, ex eodem ſancto Thoma ib. *facit aliquid timore ſervili in quantum ſervilis eſt, qui non amat juſtitiam, ſed tantùm pœnam timet*: de quo intelligendum agnoſcit quod ait Auguſtinus: *Qui timore aliquid facit, etſi bonum eſt quod facit, non tamen bene facit.* Ergo quem ex ſolo timore pœnæ peccatorum ſuorum pœnitet, is non bene bonum facit; & ſervili timore premitur quatenus ſervilis eſt, quem ex parte ſervilitatis bonum eſſe pronuntiat ſanctus Thomas, ac proinde minimè idoneus, qui gratiam etiam in ſacramento conſequatur.

V. Nec infirmius argumentum ad hunc errorem abigendum ex certiſſimo Theologiæ principio ab eodem ſancto Thoma inprimis ſtabilito repetitur. Nunquam homini peccata remitti, niſi animus averſus à peccato ad Deum convertatur. Hoc docet ſanctus Thomas pluribus locis 1. 2. q. 113. & præſertim art. 5. *Oportet quòd in juſtificatione impii ſit motus liberi arbitrii duplex: unus quo per deſiderium tendat in Dei juſtitiam; & alius quo deteſtetur peccatum.*. Et art. 7. *In juſtificatione impii liberum arbitrium ſimul deteſtatur peccatum, & convertit ſe ad Deum. Propter hoc enim homo deteſtatur peccatum, quia eſt contra Deum cui vult adhærere.* Jam verò in eo qui ſolum temporale metuit malum, nulla eſt ád Deum converſio, nulla peccati deteſtatio propter Deum cui velit adhærere. Nullam igitur dum ſic conſtitutus animo erit, à Deo peccatorum remiſſionem expectet, *qui*, ut ait Auguſtinus in pſal. 32. *converſis ad ſe donat peccata, non converſis non donat.*

VI. Qui propter bona temporalia Deum colunt, non Deum, ſed illa temporalia colunt. Unde Auguſtinus in Pſal. 77. de Judæis loquens. *Qui propter beneficia terrena Deum quærebant, non utique Deum, ſed illa quærebant, quia eo modo timore ſervili, non liberali dilectione Deus colitur. Sic ergo Deus non colitur; hoc enim colitur quod diligitur.* Jam verò qui propter malum temporale quantùmcunque à Deo immiſſum dolet, ſola temporalia diligit, Deum omninò non diligit; igitur nec colit. Quid autem abſurdius, quàm ut aliquis maximum Dei munus iis actibus mereatur, quibus nullomodò Deum colat?

VII. Idem ferè hæc quoque ſuperiori finitima ratio docet. Inter veterem & novam legem hoc maximè intereſt, quòd legis, ut loquitur Paulus, æmulatores, & veteris teſtamenti hæredes ob id demum à vitiis ſe continebant, ne bonis temporalibus ſpoliarentur. Contrà novæ legis, novi fœderis filii ob id maximè peccata dete-

ſtantur, ne Deum ipſum amittant. Prior illa mentis affectio tota Judaïca eſt, poſterior demum Chriſtiana. Huic verò uni conceſſam peccatorum remiſſionem luculenter docet Auguſtinus de geſtis Pelagii cap. 15. *Qui propter illa terrena ſuſcipit legem Dei, ipſe eſt heres veteris Teſtamenti: ea quippe ſecundum vetus Teſtamentum permittuntur atque tribuuntur, quæ ſecundum veterem hominem concupiſcuntur.* Et in Epiſt. ad Galat. *Ille enim juſtificatur apud Deum qui eum gratis colit, non ſcilicet cupiditate aliquid ab ipſo appetendi, aut timore amittendi.*

Verùm ad cumulum libet pulcherrimas hîc attexere Auguſtini de timore ſententias, ut certiùs perſpiciat Lector quid de hâc Jeſuitarum opinione ſtatuendum, quam illi nunc tantùm non pro ipſâ Eccleſiæ fide omnibus obtrudunt.

Augustini de Timore Sententia.

De Spiritu & Litt. cap. 8. *Vnde illis lex iram operabatur abundante peccato quod ab ſcientibus perpetrabatur? Quia & quicunque faciebant quod lex jubebat, non adjuvante ſpiritu gratiæ, timore pœnæ faciebant, non amore juſtitiæ; ac per hoc coram Deo non erat in voluntate, quod coram hominibus apparebat in opere; potiùſque ex illo rei tenebantur, quod eos noverat malle ſi fieri poſſet impunè committere.* Et ibid. *Nec audiunt quod legunt: quia non juſtificabitur ex lege omnis caro coram Deo. Poteſt enim fieri coram hominibus, non autem coram illo qui cordis ipſius & intimæ voluntatis inſpector eſt: ubi videt, etiamſi aliud faciat qui legem timet, quod tamen mallet facere ſi liceret.* Et ibid cap. 19. *Ex hâc promiſſione, hoc eſt Dei beneficio ipſa lex impletur, ſine quâ promiſſione prævaricatores facit, vel uſque ad effectum mali operis, ſi etiam repagula timoris concupiſcentiæ flamma tranſcenderit; vel certè in ſolâ voluntate, ſi timor pœnæ ſuavitatem libidinis vicerit.*

Et cap. 32. *Quoniam & illi qui timore pœnæ juſtitiam ſuam facere conantur, & ideò non faciunt juſtitiam Dei, quia charitas eam facit, quà non libet niſi quod licet; non timor qui cogitur in opere habere quod licet, cùm aliud habeat in voluntate, quâ mallet ſi fieri poſſet licere quod non licet. Et illi ergo credunt Deo. Nam ſi omnino non crederent, nec pœnam legis utique formidarent.*

Et cap. ult. *Si in ipſo corde aliquid ita cogitet, ut mallet licitum quod malè delectat, & per præceptum ſcitur illicitum. Etiam iſta quippe conſenſio eſt peccatum, quod utique fieret, niſi pœna terreret.*

Et lib. de nat. & grat. cap. 57. *Sub lege eſt, qui timore ſupplicii quod lex minatur, non amore juſtitiæ ſe ſentit abſtinere ab opere peccati, nondum liber nec alienus à voluntate peccandi. In ipſâ enim voluntate reus eſt, quà mallet ſi fieri poſſet non eſſe quod timet, ut occultè faciat quod occultè deſiderat.*

Et lib. 1. ad Bonifacium cap. 9. *Nec moveat quod ad Philippenſes ſcripſit, ſecundum juſtitiam quæ in lege eſt, quòd fuerit ſine querelâ. Potuit enim eſſe intus in afflictionibus pravis prævaricator legis, & tamen conſpicua opera legis implere vel timore hominum, vel ipſius Dei: ſed pœnæ formidine, nec dilectione & delectatione juſtitiæ. Aliud eſt enim voluntate benefaciendi benefacere: aliud autem ad malè faciendum ſic*

voluntate inclinari, ut etiam faceret, ſi hoc poſſet impunè permitti. Nam ſic profectò in ipſâ intus voluntate reus eſt, qui non voluntate, ſed timore non peccat.

Et lib. 2. cap. 9. *Quando autem timore pœnæ, non amore juſtitiæ fit bonum, nondum bene fit bonum; nec fit in corde, quod fieri videtur in opere, quando mallet homo non facere, ſi poſſet impunè.*

Et lib. 3. cap. 4. *Illi etiam quicunque ibi erant, ſola quæ ibi Deus pollicetur terrena promiſſa ſectantes, & quid pro novo Teſtamento ea ipſa ſignificarent ignorantes, eorum adipiſcendorum amore, & amittendorum timore Dei præcepta ſervabant, ſed ſibi ſervare videbantur. Neque enim fides in eis per dilectionem operabatur; ſed terrena cupiditas metuſque carnalis. Sic autem præcepta qui facit, procul dubio invitus facit, ac per hoc in animo non facit. Mavult enim omnino in animo non facere, ſi ſecundum ea quæ cupit & metuit permittatur impunè: ac per hoc in ipſa voluntate intus reus eſt, ubi ipſe qui præcipit inſpicit Deus.*

Et Epiſt. 44. *Inaniter autem putat victorem ſe eſſe peccati qui pœnæ timore non peccat. Quia et ſi non impletur foris negotium malæ cupiditatis, ipſa tamen mala cupiditas intus eſt hoſtis. Et quis coram Deo innocens invenitur, qui vult fieri quod vetatur, ſi ſubtrahas quod timetur? Ac per hoc in ipſa voluntate reus eſt, qui vult facere quod non licet fieri: ſed ideò non facit, quia impunè non poteſt.*

Et in Pſalm. 77. *Poterat putari lex operum quaſi ſufficere ad juſtificationem, cùm ea quæ præcipiuntur forinſecus fiunt ab eis hominibus qui mallent non præcipi, quæ non ex corde faciunt, & tamen faciunt: ac per hoc quaſi videntur ambulare in lege Dei; ſed nolunt ambulare, non enim ex corde faciunt. Ex corde autem nullomodò fieri poteſt, quod formidine fit pœnæ, non dilectione juſtitiæ. Nam quantùm attinet ad facta quæ forinſecus aguntur, & qui timent pœnam, & qui amant juſtitiam non furantur: & ideò pares ſunt manu, diſpares corde; pares opere, diſpares voluntate.*

Denique conc. 25. in Pſal. 118. *Timor iſte quo non amatur juſtitia, ſed timetur pœna, ſervilis eſt; quia carnalis eſt, & ideò non crucifigit carnem. Vivit enim peccandi voluntas, quæ tunc apparet in opere, quando ſperatur impunitas. Cùm verò pœna creditur ſecutura, latenter vivit, vivit tamen. Mallet enim licere, & dolet non licere quod lex vetat; quia non ſpiritualiter delectatur ejus bono, ſed carnaliter malum metuit quod minatur.*

Addam hanc S. Auguſtini doctrinam ita certam eſſe; ut ex illâ ſummi Pontifices juris formulam condiderint. In Decret tit. de Regulis juris. *Qui ex timore facit præceptum, aliter quàm debeat facit, & ideò jam non facit.*

Nota

NOTA III.

SIVE

Diſſertatio Theologica de præcepto amandi Dei.

Sectio I.

Antonii Sirmundi Ieſuitæ adverſus hoc præceptum intolerandi errores proponuntur.

§. I.

Vera notio divini amoris.

Clamat natura amandum eſſe ab hominibus Deum, totumque ipſi animum caſtâ & gratuitâ charitate conſecrandum. Omnibus verò paginis ſacræ Scripturæ hanc naturæ vocem altiùs inſonant, & cunctis hiſtoriis, prophetiis, figuris, myſteriis, minis, documentis nihil aliud agunt, quàm ut diligendi Dei præceptum hominum animis penitiùs infigant. Hoc mandato tota continetur Chriſtiana Religio. Non alio fine venit Chriſtus in mundum, non alio paſſus eſt, non alio reſurrexit, quàm ut ſacrum hunc ignem in ſuorum cordibus accenderet. Ita qui maximum hoc mandatum negat, totam ſimul Chriſtianam Religionem evertit, Incarnationis conſilium deſtruit, omnium myſteriorum fructum evacuat, delet ſcripturas omnes; uno denique errore omnium errorum virus complectitur. Cæteri ramos amputant, hic truncum exſcindit, hic cor ipſum Religionis invadit.

Duplici autem viâ ſacrum illud mandatum attentari poteſt: ſive divinus amor negetur hominibus præceptus: ſive manente præcepto, pro vero amore ſpurius, adulterinus, & amoris inane ſimulachrum ſubſtituatur.

Sed cùm hoc præceptum inter ac conſilium interſit, quòd qui præcepto non paret, pœnâ dignus; qui conſilio, non item; manifeſtum eſt veritatem præcepti ab eo funditus tolli, qui pœnam removet, & ſupplicium eos commeruiſſe negat qui non paruerint.

Nec minùs manifeſtum, divinum illum amorem qui totam legem ac Prophetas continet, actum quendam eſſe voluntatis, ſive intus in ipsâ voluntate maneat; ſive etiam in exteriores actus erumpat. Unde diligendi Dei præceptum tam non poteſt impleri ſine actu voluntatis, quàm non poſſet impleri alicujus rei audiendæ, videndæ, cogitandæ præceptum ſine actu auditus, viſus, intellectus. Dixi ſine actu voluntatis: non enim amor cum amoris cogitatione permiſcendus eſt, ut imperitè & perniciosè tam multi faciunt; qui amorem Dei in quâdam cogitatione collocant, quâ Deum à nobis amari profitemur. Verus amor pondus quoddam eſt voluntatis in rem amatam, non ingenii commentatio, quæ poteſt quidem iſtius amoris comes

eſſe,

eſſe, ſed ab illo ſemper latè disjungitur. Quàm multæ matres vel ardentiſſimè filios diligunt, quàm multæ uxores maritos ſuos, quibus tamen nunquam venit in mentem ejuſmodi verbis aut cogitationibus amorem ſuum teſtificari! Veriſſimos illæ amoris actus exercent, dum filios aut conjuges ſollicitè & amanter curant, dum illis ægrotis anguntur, convaleſcentibus gaudent; dum periclitantibus metuunt, dum abſentes deſiderant. Has formas, aliaſque innumeras induit terrena charitas, ex quâ nobis cœleſtis intelligenda, non minùs ipſa variis affectibus multiplex. Zelus erat in Paulo dum fratrum ſcandalis ureretur, infirmitatibus infirmaretur: gaudium erat cùm effuſam in fideles divinæ gratiæ abundantiam cerneret; continuus erat dolor in ejus corde, cùm Evangelium videret à fratribus carnis ſuæ contemni: nunc indignatio quædam ſancta adverſus eos qui cognitam veritatem deſerebant: nunc ardens deſiderium diſſolutionis ſuæ, ut eſſet cum Chriſto: nunc caſtus timor ne cùm aliis prædicaſſet, ipſe reprobus efficeretur. Hic ille eſt verus ac ſincerus Dei amor; qui ab illâ cogitatione quâ Deum à nobis amari conteſtamur, ſæpe divellitur; à voluntatis actu divelli non poteſt.

At ſicut Dei præcepta non in ſono verborum, ſed in rei ſignificatæ veritate conſiſtunt, manifeſtum eſt qui neget hominibus præcipi ut ejuſmodi divini amoris actus eliciant, hunc charitatis præceptum penitus tollere, quantùm libet amoris aut præcepti ſonum retineat. Sed cujus tam perdita, tam ſcelerata audacia ſit, ut hoc Chriſtianæ Religionis ſanctuarium audeat polluere? An forte vanis hîc nos formidinibus territamus? Nec ullius unquam eò progreſſa eſt impietas, ut genuinum Dei amorem neget ad ſalutem neceſſarium. Sic eſt, ſiquidem credimus Jeſuitis, Impoſturâ 28. Et propterea illi Montaltium, qui hoc crimen in Antonium Sirmundum Jeſuitam, & à Jeſuitarum principibus defenſum conjecit, ignorantiæ, malitiæ, calumniæ vehementer accuſant. Quid nobis igitur faciendum eſt? An ſub hâc infamiâ Montaltius deſerendus eſt; an potiùs Sirmundus impietatis, Jeſuitæ fraudis & calumniæ arguendi ſunt? Iſtud potiùs: alterum enim, nec æquitas, nec veritas ſinit. Hoc non modò ſinit, ſed etiam jubet. Ergo id demonſtrandum; nec ullum unquam audaciùs erraſſe quàm Sirmundum; nec ullum fraudulentiùs aut audaciùs à Jeſuitis defenſum. Quorum elidendis cavillis in primis tota Sirmundi doctrina breviter at accuratè ante Lectorum oculos expandenda eſt.

§. 2.

Accurata explicatio doctrinæ Antonii Sirmundi.

Librum quem inſcripſit Sirmundus, *Defenſionem virtutis*, generatim in tres tractatus, & ex iis ſecundum in tres ſectiones diviſit; in quarum primâ hanc de præcepto amandi Dei quæſtionem excutit: Atque ut opiniones ſuæ auribus lectorum molliùs illaberentur, primò quam plauſibilem maximè putavit, inquiſitionem præ-

præmittit: *Vtrum ſub pœnâ ignis æterni, ad Deum continenter amandum obligemur.* Hîc cùm ſtatuiſſet perennem illum amoris actum patriæ eſſe, non ejus viæ,& proptereà hominibus in hac vita nequàquam præceptum; ad illam quæ una hîc agitur quæſtionem accedit. *Cùm igitur*, inquit, Tract. 2. Sec. 1. c. 2. p. 12. *affirmativa præcepta certis tantùm temporibus obligent, quandonam obligabit illud amoris?* Inde varias Theologorum ſententias refert, & improbat. Ad extremum difficultatem ita in ſummam colligit. *Si quod ſit Dei diligendi præceptum, ad obſervationem ſui obligat, tranſgreſſio verò ad quid obligat? An mortali piaculo præceptum illud violaret, qui* NULLUM UNQUAM *divini amoris actum eliceret?* Non potuit clariùs quæſtionem conſtituere. Quid ergo pronuntiabit? *Sanctus Thomas* inquit, 2. 2. *q.* 44. *art.* 6. *videtur id negare; idque demùm ad vitandam damnationem exigere, ne quid contra ſacram dilectionem agamus.* A tanto errore ſuo loco vindicabitur ſanctus Thomas; ſed Sirmundum nunc ſequi juvat. *Si hæc*, inquit, *quemadmodum quidem videtur, eſt ſancti Thomæ doctrina, ejus authoritate fretus* LIBENTER DIXERIM: *Cùm Deus amorem ſuum nobis imperat, nihil præcisè aliud à nobis exigit, quàm ut ipſi in aliis mandatis pareamus.* Deinde ut Divum Thomam, ſic Euangelium corrumpit, *Præceptum*, eſt inquit, *amandi Dei; ſed opere & veritate, hoc eſt, implenda ejus voluntate, quaſi ipſum affectu diligeremus, quaſi divinus amor pectora noſtra ſuccenderet, quaſi iſta mandata charitatis intentione ſervaremus. Hoc ſi fit, tantò melius: ſin minùs, tamen in rigore divino mandato ſatisfacimus. Itaque vide bonitatem Dei. Non tam præcipit amorem ſui, quàm odium vetat; ſive formale & actuale, quod non humanum, ſed diabolicum eſt; ſive materiale, quòd in mandatorum tranſgreſſione poſitum eſt.* Habes initia Sirmundi, progreſſum videamus.

Quærit ſequente capite quis ſenſus ſit illius præcepti: *Diliges Dominùm Deum tuum ex toto corde tuo.* Hîc jam ipſe loquitur Sirmundus, nec ſub ſancti Thomæ larva deliteſcit. Quid ergo ille expromet de ſuo, videamus. *In præcepto*, inquit, *duo diſtinguenda ſunt; rigor & clementia: in amore item duo; motivum & effectus: vel potiùs duo diſtingue præcepta; alterum rigoris, alterum clementiæ: duos amores; alterum affectus, alterum effectus. Qui quantùm poteſt præcipit, at nullam apponit pœnam, ſaltem gravem, hujus mandatum totum melleum eſt. Adde minas, jam fit rigoris mandatum. Ita qui alteri ſervit* SINE INTENTIONE ET AFFECTU, *ſolo illum effectu diligit, non affectu; qui autem prætereà ipſum interno amore proſequitur, utrumque habet, affectum ſcilicet & effectum.*

Definivit omnes voces, omnemque ambiguitatem planè ſuſtulit. Ergo quid decernat audiamus. *Quid igitur*, inquit, *de ipſo amoris præcepto, aut amoris menſura dicendum, quæ nobis maximo omnium mandatorum præcipitur: nempe clemens quoddam eſt mandatum (videlicet ſine pœna) erga ipſum amoris affectum, amorem intentionis, amorem motivi: at mandatum eſt rigoris erga ipſum amorem effectus & operis. Vt iſti legi obedias, quatenus lex clementiæ eſt, id eſt ſine pœna, neceſſe eſt cor tuum vero affectu tangi, veris charitatis motibus incitari, qui omnes*

animi motus, cogitationes, ad Dei vel minima juſſa ſtudioſè ſervanda ſecum rapiant. Huc tendere debemus, ſi quidem perfecti eſſe volumus. At qui divino illo caret affectu, & tamen quadam alia bona intentione ita officii ſui tenax eſt, ut malit ab omnibus cogitationibus, deſideriis, utilitatibus ſuis recedere, quàm divinas leges ſub pœna mortalis peccati obligantes violare; huc qui pervenit (quamvis ut ſupra dixit, careat affectu, & hæc omnia *alia* quam charitatis intentione impleat) *in rigore obedit magno mandato quantùm ſatis eſt ut ſalvus ſit.*

Hâc doctrinâ toties iteratâ rationem adjungit, ſimilis aut etiam majoris impietatis. *Sic*, inquit, *debuit Deus, & potuit ſanctum nobis amorem præcipere. Debuit effectum præcipere in rigore & intentatis pœnis. Vbi enim principem ac dominum egiſſet, niſi obedientiam exigeret? At verò ad eliciendum illum amorem ſincerum aptior omnino clementia, id eſt, imperium ſine pœnarum metu. Si hoc dixiſſet, perdam vos, quamcunque mihi obedientiam præſtetis, niſi etiam ipſum in me amorem ac cor transferatis; quæro an huic conſilio conveniſſet hic finis?*

In fine hujus capitis lectorem remittit ad aliud caput, ubi de integro affirmatè & aſſeveranter eandem doctrinam repetit.

§. 3.

Eadem doctrina ab eodem Sirmundo confirmata in alio libello quem inſcripſit,

Reſponſio ad libellum famoſum.

Cùm quidam Theologus hanc Sirmundi doctrinam in brevem ſynopſim collectam vehementiùs reprehendiſſet, non modò Sirmundus ſalutari pœnitentiâ flagitia ſua non emendavit; ſed reprehenſorem ſuum probris adortus, eandem doctrinam adhuc fidentiùs defendit. Mitto illius convicia, ad cauſam venio. *Principalis*, inquit pag. 7. *querela eſt, quòd præceptum amoris divini, quantùm ad affectum interiorem, clementiæ præceptum, non rigoris eſſe dixerim; id eſt, ſub pœna æternæ damnationis obligare negaverim. Calumniaris. Non hæc doctrina mea, ſed ſancti Thomæ, cujus eam nomine protuli.* Videbimus poſteà, quòd hanc doctrinam Sancto Thomæ tribuit, ad augendum illius crimen, non ad imminuendum valere. Sed jam audiamus ipſum, quod ex ſancto Thoma hauſiſſe ſe dicit, ſuo nomine defendentem. *Quæritur*, inquit, *inter nos, an præter decem legis mandata, ſub pœna peccati mortalis duo alia de diligendo Deo & proximo implere teneamur? Dixeram ſanctum Thomam videri ſenſiſſe, iſta mandata novam obligationem non inducere: dixeram me pronum in eam ſententiam eſſe, ſi ita eſſet; tam multæ in ea mihi probabilitates apparebant. Sed fac me hoc affirmatè dixiſſe; quid tum?* Vides audaciam hominis? Quid tum ſi Theologus dicat nullum eſſe præceptum amandi Dei? Quid tum ſi totum Euangelium verbulo deleat? O vocem horrendam! ſed reliqua perſequamur.

Multùm refert, inquit, *bene intelligi quid diſtet ea opinio quam mihi tribuis ab illa quam certam in Eccleſia putas. Dicit in tua ſententia Deus: Ama me, alioquin in æternum te perdam, etſi timore, aut alio laudabili fine ita coram me humilis fueris, ut nunquam tranſgreſſione*

ullius

ullius præcepti accepta in baptiſmo gratia ſpoliari merueris. In mea autem ſententia, ſi hoc tueri velim, hoc dicit Deus: Ama me; hoc jubeo: non tam diſtrictè tamen ut, ſi nihil adverſus debitum mihi tot titulis amorem facias, æternis te ſuppliciis velim addicere. Cujus rei pag. 14. hanc affert rationem; *quòd æternæ pœnæ comminatio videtur amori oppoſita, occaſionem præbens amandi Dei propter ſupplicii timorem, quod à vero amore alienum eſt.*

Porro ad eludenda quæ vel ex Scripturâ, vel ex Patribus afferri ſolent teſtimonia de præcepto amandi, aliam hîc architectatus eſt diſtinctionem amoris habitualis & actualis, ut præceptum ab actuali amore in habitualem transferat.

Poſtremò *ad veram illam*, ut loquitur, *ſancti Thomæ ſententiam*, conatur ſuffragatores adjungere Auguſtinum, Bernardum, Gerſonem, Vallium: totâ verò diſputatione adverſarium ſuum tanquam calumniatorem, hæreticum, novum dogmatiſtam, ut in optimâ cauſâ inſolentiſſimè inſectatur.

SECTIO II.

Fraudulentæ Sirmundi diſtinctiunculæ exploduntur.

§. I.

Eliditur prima de amore affectivo & effectivo.

Turpitudinem ſuam ipſa impietas erubeſcit; velis indiget, quibus ſe ſibi & aliis obtegat. Hæc ratio fuit Sirmundi. Cum horrendum dogma vellet invehere, nullum hominibus de Deo actu diligendo præceptum impoſitum, tantam blaſphemiam apertè proferre non ſuſtinuit; aut potiùs à Chriſtianis ferri poſſe meritò veritus eſt. Variarum ergo diſtinctionum fucum adhibuit, quibus rem ipſam, id eſt, amoris divini obligationem abigeret; nomen tamen mandati amoriſque retineret. Diſtinctionum illarum callidiſſima ipſi viſa eſt ea quæ amorem dividit in affectivum & effectivum; ſive in amorem affectus, & amorem effectus; in quâ ſingulari uſus eſt fraude: quæ diligenter hîc aperienda eſt.

Diſtinctio illa amoris in affectivum & effectivum non nova eſt, ſed novo & perverſo ſenſu à Sirmundo uſurpata. Nam apud omnes alios Theologos amor affectivus is dicitur, qui in voluntate & animo remanet, nec in exteriores actus ſe ſe diffundit: amor effectivus autem idem eſt interior animi affectus, quatenus in externos actus funditur. Hinc præclarè Epiſcopus Genevenſis de Amore Divino lib. 11. cap. 4. *Ex divina*, inquit, *dilectione duo naſcuntur actus: effectivus ſcilicet, & affectivus amor: ille quaſi alter Ioſeph, regia poteſtate utens, facultates omnes, cupiditates, affectus noſtros divinæ voluntati mancipat, ut in omnibus colatur & ametur Deus; ac ſic impleatur magnum illud mandatum:* DILIGES DOMINUM DEUM TUUM EX TOTO CORDE TUO: *hic autem quaſi alter Benjamin,*

min, tener, delicatus, jucundus, & amabilis eſt: at Benjamino eò felicior, quòd parentem charitatem non extinguit naſcens; ſed ſuavitatis abundantiâ vividiorem facit.

Uterque ergo, tàm affectivus, quàm effectivus amor, interiorem amoris actum continet; quamvis alter tantùm affectus nomen retineat, ut ſolæ gratiæ ad alios inſtitutæ, dicuntur gratuitæ; quamvis aliæ quoque gratiæ quibus homines juſtificantur non minùs gratuitæ dici poſſint. Hoc ſenſu ſemper illæ voces ab omnibus Theologis uſurpatæ ſunt. Verùm Sirmundus qui fucum in illis illigare decreverat, aliam planè commentitiam notionem ſubſtituit. *Qui alteri*, inquit, *inſervit, ſed* SINE INTENTIONE, SINE AFFECTU, *effectu illum diligit, non affectu: qui autem cum intentione & affectu bene de aliquo meretur, hic & affectu diligit & effectu.*

Ita fit ut cùm eadem Sirmundus quæ cæteri Theologi loquitur, diverſiſſimum ſenſum efficiat. Nam cùm illi nominant amorem effectus, intelligunt interiorem affectum in opera externa ſe ſe fundentem: ille autem ſolum exteriorem effectum *ab intentione & interiori affectu* planè ſejunctum; cui nemo ante ipſum nomen amoris indiderat. Itaque cùm hâc explicatione propoſitâ ſubjungit, *Amorem effectus nobis in rigore non eſſe præceptum*, hoc dicit, non eſſe hominibus mandatum ut Deum interiori affectu diligant; ac maximo illi præcepto in rigore ſatisfieri, ſi reliqua mandata ſerventur ſine amore, intentione & affectu.

Haud ſcio an nemo unquam audacius Dei verbum ludificatus ſit. Quid enim unquam clariùs & ſignificantiùs expreſſum voluit Deus quàm princeps illud omnium mandatorum: *Audi Iſrael, Dominus Deus tuus unus eſt, diliges Dominum Deum tuum?* Quid eſt diligere, niſi amare, niſi affectu interiori ferri in rem dilectam? Itaque cùm amor & affectus idem ſint, amor ſine amore, qualis ille Sirmundi *amor effectivus*, non eſt amor, ſed merum phantaſma, merum ludibrium, mera inanitas. Ideòque qui pro verâ dilectione hunc effectum ſine affectu ſupponit, amorem ipſum delet; ſolam ejus larvam, imò ne larvam quidem, ſed nudum & inane nomen relinquit.

Senſit hoc Sirmundus quàm abſurdum eſſet: ideòque ad illam opinionis ſuæ labem fulciendam, ſolitam hæreticorum diſtinctiunculam adhibuit, Reſponſ. pag. 17. *Effectus*, inquit, *ſæpe cauſæ nomine donatur, ut ſigna rerum ſignificatarum: unde fit ut exterioribus effectibus nomen amoris tribui poſſit, tametſi non adſit interior affectus.* Sed peccatum ſuum hâc diſtinctione auget potius quàm minuit. Quis enim hoc in Eccleſiâ ante Sirmundum dixerat, cogitarat, audierat, quod vix auditum credi poteſt; primum illud præceptum tantùm eſſe figurativum, ſolumque nobis figurativum amorem in rigore præceptum. Non pudet Jeſuitas tam apertè hæreticorum artes, audaciam, perfidiam imitari? Non pudet manifeſtiſſimum Dei præceptum figurativo quodam amore pervertere, ut hæretici clariſſima Chriſti de Euchariſtiâ verba metaphoris figuriſque corrumpunt? Non pudet in Simpliciſſimâ Dei Lege figuras quærere, ut illi in ſimpliciſſima Teſtamenti verba metaphoras intrudunt?

Hoc verò eò abſurdiùs factum, quod nihil à figuris longiùs abeſt, quàm præceptum charitatis. Unde Auguſtinus regulas traditurus, quibus internoſci poſſet propriéne aliquid an figuratè accipiendum eſſet, hanc potiſſimùm conſtituit; pro figurato haberi non poſſe quod ad charitatem ædificandam pertinet. *Servabitur*, inquit de doctr. Chriſt. lib. 3. cap. 9. *in locutionibus figuratis regula hujuſmodi, ut tamdiu verſetur diligenti conſideratione quod legitur, donec ad regnum charitatis interpretatio perducatur. Si autem hoc jam propriè ſonat, nulla putetur figurata locutio.* Quid eſt igitur ultro tenebras accerſere; niſi metaphoris & figuris illud præceptum involvere, quod ita ex Auguſtino metaphorâ caret, ut quicquid charitatem propriè docet, metaphorâ carere credendum ſit.

Satis ergo pervicaciam Sirmundi refellit ipſum diligendi verbum, quod ad fictitium amorem & figurativum tam impiè deflectitur, quàm hæc verba, HOC EST CORPUS MEUM, ad figuram corporis. At quia in re graviſſimâ ne umbram quidem difficultatis relinquere voluit Deus, ſignificantiùs adhuc adjungit: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo:* Non Judaïco ſcilicet ritu & externis tantum officiis; ſed Euangelico cultu *in ſpiritu & veritate:* non corpore tantùm, ſed & corde: nec corde variis quaſi amoribus diſtracto atque diviſo, ſed toto corde. Cor enim hominis ita totum vult poſſidere Deus, ut in eo conſortem non admittat.

Non ſatis eſt ſi toto corde diligatur; etiam ex totâ animâ, ex totis viribus diligendus eſt; quod explicans Auguſtinus lib 1. de doct. Chriſt. cap. 22. ſimul Sirmundi hæreſim obterit.

Hæc enim, inquit, *regula dilectionis divinitus conſtituta eſt: Diliges proximum tuum ſicut te ipſum: Deum verò ex toto corde, ex tota anima, & ex tota mente; ut omnes cogitationes tuas, & omnem vitam, & omnem intellectum in eum conferas à quo habes ea ipſa quæ confers. Cùm autem ait toto corde, tota anima, tota mente, nullam vitæ noſtræ partem relinquit, quæ vacare debeat, & quaſi locum dare ut alia re velit frui: ſed quicquid aliud diligendum venerit in animum, illud rapiatur, quo totus dilectionis impetus currit. Quiſquis ergo rectè proximum diligit tanquam ſeipſum, totam dilectionem ſui & ipſius refert in illam dilectionem Dei, quæ nullum à ſe rivulum duci extra patitur, cujus derivatione minuatur.* Sic Auguſtinus. Quid Sirmundus? Nullum contrà ex amore creaturarum rivulum duci ad Deum neceſſarium cenſet. Sinit ut mundus toto corde, totâ animâ totis viribus diligatur. Satis habet ſi divinis legibus ſine intentione, ſine affectu pareatur.

§. 2.

Evertitur ſecunda diſtinctio duplicis præcepti, rigoris, & clementiæ: & oſtenditur Chriſtum morum magiſtrum abnegari, Baptiſmo renuntiari, totam Religionem Chriſtianam extingui, ſi negetur hominibus præceptum in rigore eſſe, ut Deum vero & interiori affectu diligant.

Offenſionis metuens Sirmundus, ut nomen amoris, ſic nomen præcepti voluit retinere: ſed rem ſtatim, duplicis præcepti, rigoris & clementiæ, diſtinctione, ſuſtulit. Affectum amoris

præcipi

præcipi confitetur : en retentum præcepti nomen. Negat hoc rigore præcipi, ut ad ſalutem pervenire non poſſit qui nullum dilectionis actum exercuerit : en rem ſublatam. Quanquam hâc diſſimulatione non ſemper utitur ; & amandi Dei præceptum, cùm de interno amore intelligitur, inter conſilia diſertis verbis reponit : *Non parum eſſet*, inquit Reſponſ. pag. 21. *ſi ſemel in vita uno amoris actu fungeremur ; atque hoc plùs fieret, quàm quod in rigore præcipitur.* Paulò pòſt : *Iubemur*, inquit, *magno mandato, amoris ejus habitum Decalogi obſervatione retinere* : MONEMUR VERÒ QUASI CONSILIO, *ut amoris actus quàm poſſumus frequentiſſimos eliciamus.* Pudendum ſanè eſſet in hoc commento refellendo tempus teri, niſi ea eſſet hujus ſeculi indoles, ut nihil tam ſit abſurdum, quod non multos defenſores inveniat. Id Jeſuitarum inſtitutum, ut errores ſemel à ſuis invectos, niſi coerceantur, probabilium ſententiarum loco confidentiſſimè venditent.

Inprimis quantæ temeritatis eſt, omnium maximo mandato, quo contineri legem ac Prophetas Chriſtus denuntiat, æterni ſupplicii pœnam demere, cùm eandem reliquis longè minoribus annexam confiteri neceſſe ſit? quaſi ullius officii gravior, juſtior, ſanctior neceſſitas hominibus incumbat, quàm amandi Dei, qui unus creaturæ rationalis finis, juſtitia, felicitas eſt?

Verùm rationi fortè non multum tribuit Sirmundus, homo, ut apparet, cùm illa ſcripſit ratione ſuâ parum uſus. Autoritate conſtringendus eſt. Audiat ergo Apoſtolum. *Anathema*, inquit, *ei qui non amat Dominum Ieſum Chriſtum.* Audiat amantis diſcipuli gravem in non amantes comminationem : *Qui non diligit*, inquit, *manet in morte.* Etiamne refragabitur, & clariùs errorem ſuum damnari poſtulabit? Age, hîc etiam mos gerendus, & diſertis verbis illa ipſa, de quâ litigamus, quæſtio, Chriſto propoſita à Chriſto deciſa palam oſtendenda eſt. *Ecce*, inquit Lucas, *Levites quidam Legiſperitus ſurrexit, tentans illum ac dicens : Magiſter, quid faciendo vitam æternam poſſidebo?* Quæritur à Chriſto quid ad vitam æternam conſequendam ſit neceſſarium. Nihil ergo hîc habent loci præcepta clementiæ. Non quærit Levites quid utile ſit, ſed quid neceſſarium. Quid igitur Chriſtus? *In lege quid ſcriptum eſt*, inquit : *Quomodò legis?* Ille reſpondens dixit : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex totâ animâ tua, ex totis viribus tuis & ex omni mente tua ; & proximum tuum tanquam teipſum.* Diſcat Sirmundus ex legis Moſaïcæ perito Euangelicæ legis eſſe peritior. Diſcat ad vitam æternam conſequendam neceſſarium eſſe, Deum ex toto corde diligere ; quod de interiore affectu intelligendum eſſe jam probavimus. At fortè malè reſpondit Levites : ita Sirmundo videtur ; Chriſto non item, qui hanc reſponſionem his verbis comprobat : *Rectè reſpondiſti ; hoc fac, & vives.*

Impiè ergo Sirmundus his vitam promittit æternam, qui nunquam fecerint quod hîc Chriſtus ad vitam æternam neceſſarium docet : & ſic Chriſti magiſterio renuntiat. Nec minùs ille ſuſceptum à ſe baptiſmum, quantùm poteſt irritum facit, dum eas abne-

gat conditiones quibus illum accepit. Redigat ſibi quæſo in memoriam diviniſſimas hujus ſacramenti ceremonias, & in iis conſignatam erroris ſui damnationem cernat. Quærit Sacerdos à Catechumeno totius Eccleſiæ nomine, quid petat? Ille fidem ſe petere reſpondet, quâ unâ ad vitam æternam aditus patet. Tum ſacerdos: *Si vis habere vitam, ſerva mandata.* Sed quæ mandata? *Diliges*, inquit Presbyter, *Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota mente tua; & proximum tuum ſicut te ipſum.* En quid neceſſarium ſit ut ad vitam ingrediamur. En quâ conditione in familiam Chriſti cooptati ſumus: quam qui refigit, utique quantùm in ſe eſt initum in baptiſmo fœdus diffingit.

Poſtremò quod ultimum poſui, Chriſtianam Religionem ab eo deleri, qui negat impoſitum Chriſtianis Dei vero & interiori affectu diligendi præceptum, facilè conficitur. Religionem enim delet qui verum ejus cultum ad ſalutem negat eſſe neceſſarium; & iis vitam æternam promittit qui nullo unquam proprio iſtius Religionis munere functi ſunt: nullo autem fungitur qui non amat Deum: amore enim continetur verus ille & ſpiritualis cultus, quem Chriſtus Euangelii legiſque diſcrimen Samaritanæ, & in eâ toti Eccleſiæ reſerans: *Venit hora*, inquit, *quando veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate.* Spiritu enim adorat Deum qui corde adorat, qui ſe offert Deo tanquam hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium. *Hic eſt*, inquit Auguſtinus lib. 20. de Civitate Dei cap. 4. *Dei cultus, hæc vera Religio, hæc recta pietas, hæc tantùm Deo debita ſervitus.* Et epiſt. 120. *Pietas cultus eſt Dei; nec colitur ille niſi amando.* Et in Pſalm. 77. *Hoc colitur*, inquit, *quod diligitur: unde, quia Deus rebus omnibus major aut melior invenitur, plus omnibus diligendus eſt ut colatur.* Ex hoc cultu, ut ait idem, ex hoc amore, & nomen & vim ſuam Religio mutuatur. *Ipſe*, inquit de Civit. Dei lib. 10. cap. 4. *Fons noſtræ beatitudinis, ipſe omnis appetitionis eſt finis; hunc eligentes, ſeu potiùs religentes; amiſeramus enim negligentes; hunc ergo religentes, unde Religio dicta perhibetur, ad eum dilectione tendimus, ut perveniendo requieſcamus: ideò beati, quia illo fine perfecti.* At fortè hoc nobis præceptum non eſt. Audiamus quid adjungat. *Hoc bonum diligere in toto corde, in totâ animâ, & in tota virtute* PRÆCIPIMUR: *ad hoc bonum debemus & à quibus diligimur duci, & quos diligimus ducere. Sic complentur duo illa præcepta, in quibus tota lex pendet & Prophetæ: Diliges Dominum Deum tuum &c. Vt enim homo ſe diligere noſſet, conſtitutus eſt ei finis quò referret omnia quæ ageret.*

Denique ut omnem Religionis Chriſtianæ cultum charitate ac divino amore contineri doceret, nulla ipſe agnoſcit ſacrificia, Deo digna, niſi quæ charitatis igne cremantur. Quod non modò in bonis operibus locum habet (quæ ipſe vera ſacrificia ideò appellat, quia Deo gratiſſima ſunt) ſed in ipſo etiam altaris ſacrificio. Ac primò de bonis operibus: *Verum*, inquit, *ſacrificium eſt omne opus quod agitur ut ſancta ſocietate inhæreamus Deo; relatum ſcilicet ad illum finem boni, quo veraciter beati eſſe poſſimus. Vnde & ipſa miſericordia, qua homini ſub-*

ſubvenitur, ſi propter Deum non fit, non eſt ſacrificium. Et cap. 4. *Cùm ad illum,* inquit, *ſurſum eſt, ejus eſt altare cor noſtrum: ejus unigenito cum ſacerdote placamus, & ſuaviſſimum adolemus incenſum, cùm in ejus conſpectu pio ſanctoque amore flagramus, ei ſacrificantes hoſtiam humilitatis & laudis in ara cordis, igne fervidæ charitatis.* Hoc ipſum Auguſtinus ad ſacrificium altaris transfert cap. 6. *Cùm igitur,* inquit, *vera ſacrificia, opera ſint miſericordiæ, ſive in nos ipſos, ſive in proximos, quæ referuntur ad Deum; opera verò miſericordiæ non ob aliud fiant niſi ut à miſeria liberemur, ac per hoc ut beati ſimus, quod non fit niſi illo bono de quo dictum eſt: Mihi autem adhærere Deo bonum eſt: profectò efficitur ut tota ipſa redempta civitas, hoc eſt congregatio ſocietaſque Sanctorum, univerſale ſacrificium offeratur Deo per ſacerdotem magnum, qui etiam ſeipſum obtulit in paſſione pro nobis, ut tanti capitis corpus eſſemus ſecundum formam ſervi.* At paulò poſt, cùm ſanctam illam conjunctionem inter Eccleſiæ membra charitatis nexu copulatam Apoſtoli verbis explicaſſet. *Hoc eſt,* inquit, *ſacrificium Chriſtianorum. Multi unum corpus ſumus in Chriſto: quod etiam ſacramento altaris fidelibus noto frequentat Eccleſia, ubi eidem demonſtratur, quod in ea oblatione quam offert ipſa offeratur.*

His verbis Auguſtini myſteriorum pleniſſimis docemur Altaris ſacrificium plenius intelligere quàm plerique ſolent; nec modò myſticam illam ſeparationem corporis ac ſanguinis attendere; ſed divinius quoddam ac nobilius ſacrificium, quo ſe & totam Eccleſiam Deo Patri ardentiſſimâ charitate conſecrat Chriſtus. Nam ut ſacramentum Euchariſtiæ ſigno quodam conſtat & veritate; ac ſigno quidem convenit cum antiquis illis figuris, ſed ea longè veritate ſuperat propter ipſum quod verè continet Chriſti corpus; ſic ſacrificium altaris, quòd ſit immolati hominis oblatio, quadantenus convenit cum antiquis legis ſacrificiis. Sed quod hîc Chriſtus & ſe & univerſam Sanctorum ſocietatem, tanquam amoris holocauſtum offert & conſecrat, hoc totum Euangelicæ legis proprium eſt.

Ergo ut hæc omnia in ſummam contraham, ſi Chriſtianæ Religionis cultus, adoratio, ſacrificium ab amore divelli nequit: qui amorem Dei negat ad ſalutem neceſſarium, negat idem Religionis Chriſtianæ cultum ad ſalutem requiri; hoc eſt, Religionem omnem, quæ ſuo cultu maximè continetur, quantum in ſe eſt extinguit & delet. Negavit autem hoc Sirmundus, negant quicunque Sirmundo patrocinantur. Videant ipſimet Jeſuitæ quid inde colligatur; & tantorum errorum convicti aliquid ſaltem de contumacia ſua remittant.

Sectio III.

Vindicantur autores quibus ad confirmandum errorem ſuum Sirmundus abutitur.

§. 1.

Explicatur Bernardi locus.

Jam exarmandus eſt Sirmundus neſcio quibus Bernardi, Gerſonis, & S. Thomæ locis, quibus perverſiſſimè ab ipſorum mente detortis, opinionis ſuæ fœditatem occultare nititur. Sed iiſdem nos patefactis ſimul à tantis viris tantam defendemus injuriam, & Sirmundi impietatem clariùs revincemus.

Ordiamur à Bernardo, cujus locum ex ſerm. 50. in Cant. & Sirmundus & Cauſſinus, & recentior ille Apologiſta proferunt, & turpiſſimè adulterant. *Eſt charitas in actu, eſt & in affectu: & de illa quidem, quæ operis eſt, puto datam eſſe legem hominibus, mandatumque formatum. Nam in affectu quis ita habeat ut mandatur: ergo illa mandatur ad meritum, iſta in præmium.*

Super hoc loco ita loquitur Apologiſta pag. 162. *Duplicem amorem diſtinguit Bernardus; alterum affectivum, alterum effectivum: ſecundum nobis præceptum aſſerit, primum negat. Hæc verba ſi bonum ſenſum habere poſſunt, cur innoxia erunt in Bernardo, noxia & impia in Sirmundo?* Breviter & præcisè reſpondeo: quia in Bernardo optimum habent ſenſum interprete Bernardo: in Sirmundo peſſimum interprete Sirmundo: quia non magis lux à tenebris abeſt, quàm ſubjectæ his vocibus, hinc à Bernardo, illinc à Sirmundo ſententiæ. Quid enim per charitatem in effectu intelligit Sirmundus? *Eam,* inquit, tr. 2. c. 4. p. 21. *qua alteri ſine intentione & affectione inſervimus.* Quid per charitatem in affectu? *Ipſum dilectionis interiorem actum, ſive in actum prodeat, ſive non prodeat.* Itaque cùm ſolam charitatem in effectu præceptam dicit, hoc dicit, nobis mandatum non eſſe ut Deum interiore affectu diligamus, nec ut opera noſtra intentione ad eum directa faciamus.

Longè alio ſenſu hæc verba Bernardus uſurpat. Nam per charitatem in effectu, verum & interiorem charitatis actum cum operibus conjunctum; per charitatem autem in affectu, ardentem illum tenerum, & plenum ſuavitatis amorem, cujus torrente ſanctos in patria inebriat Deus, & nunc in via quibuſdam rivulis nonnunquam religioſas animas conſolatur.

Itaque ab illa quam vocat charitatem in actu & effectu, Bernardus intentionem in Deum directam ac verum Dei affectum non removet, ſed includit; nec alium quàm illum teneriorem, ſuaviorem, uberiorem amoris affectum excludit. Audiamus ipſum optimum ſui interpretem. *Non hoc,* inquit, paulò pòſt, *dico, ut ſine affectione ſimus, & ſolas moveamus manus ad opera:* (en amorem effectivum

Sirmundi

Sirmundi rejectum) *legi inter alia quæ ſcribit Apoſtolus magna & gravia hominum mala, hoc quoque annumeratum, ſcilicet ſine affectione. Sed eſt affectio quam caro gignit, & eſt quam ratio regit, & eſt quam condit ſapientia. Prima eſt, quam Apoſtolus dicit legi Dei non eſſe ſubjectam, nec eſſe poſſe: ſecunda, quam perhibet è regione conſentientem legi Dei, quoniam bona eſt: Longè verò tertia ab utraque, quæ guſtat & ſapit quoniam ſuavis eſt Dominus, primam eliminans, ſecundam remunerans. Nam prima quidem dulcis, ſed turpis: ſecunda ſicca, ſed fortis, ultima pinguis & ſuavis. Igitur per ſecundam opera fiunt, & in ipſa charitas; ſed & non illa affectualis, quæ ſale ſapientiæ condita pingueſcens, magnam menti importat multitudinem dulcedinis Domini: ſed quædam potiùs actualis, quæ etſi nondum dulci illo amore ſuaviter reficit; amore tamen ipſius amoris vehementer accendit.*

En quid ſit illa charitas, quam in affectu Bernardus locat; non affectione carens, ſed conſentiens legi Dei quoniam bona eſt; qui eſt ipſiſſimus ille amor juſtitiæ, amor legis æternæ, amor veritatis, in quo toties Auguſtinus veram charitatem poſitam docet: ut cùm libro de ſpiritu & littera cap. 5. ſic loquitur: *Mandatum ſi fit timore pœnæ, non amore juſtitiæ, ſerviliter fit, non liberaliter; & ideò nec fit. Non enim eſt bonus fructus, qui de charitatis radice non ſurgit.* Ille autem Sirmundi effectivus amor *affectione* carens, nec ad Deum relatus, fictus à Bernardo ſequentibus verbis appellatur. *Non diligamus,* ait, *verbo neque lingua; ſed opere & veritate. Vides quomodò cautè medius incedat inter vitioſum atque affectuoſum amorem; ab utroque pariter hanc diſtinguens actualem & ſalutiferam charitatem. Nec linguæ mentientis in hac dilectione recipit fictum, nec rurſum afficientis exigit ſapientiæ guſtum: opere, inquit, diligamus & veritate, quò videlicet moveamur ad bonum magis quodam vividæ veritatis impulſu, quàm ſapidæ illius charitatis affectu.*

Graviſſimè igitur errat Sirmundus, errant Jeſuitæ, qui in his Bernardi verbis doctrinæ ſuæ patrocinium quæſierunt, in quibus ejus damnationem invenire potuerant. Quid enim ibi Bernardus, niſi quòd apud omnes vitæ ſpiritualis autores pervulgatum eſt; verum illum Dei interiorem & actualem ſupernaturalem amorem quodammodò duplicem eſſe, ſive duplici modo hominum illabi mentibus, nunc lumine ſplendentem, & abundantia quadam ſuavitatis circumfluentem, nunc contra quadam veluti ſiccitate conjunctum, caligine circumfuſum, & ſolo fidei lumine, ſolo voluntatis nutu, guſtu & ſapore deſtituto, animam ad exequenda mandata impellentem. Hic ille eſt amor apud carnales adhuc, ſed tamen bonos Chriſtianos uſitatior; ſed tamen & verus, & interior, & ſupernaturalis, non ſolum actum externum, ſed interiorem voluntatis affectum includens, ab illo fictitio Sirmundi amore intentionis & affectus experte disjunctus, quàm à lege operum lex gratiæ, à Judaïcâ virtute Chriſtiana virtus disjuncta eſt.

Quod autem hujuſmodi affectionem, ſeu charitatem, de qua hîc loquitur Bernardus, pro naturali haberi vult Sirmundus, ſi non ſit hæreticum, neſcio jam quid ſit hæreſis. Nam cùm hac una uſitate

ſtatuat Bernardus nos mereri, ſequitur planè nonniſi naturali amore vitam æternam nos promereri; quod tot Conciliorum canonibus damnatum eſt.

§. 2.

Inſignis Sirmundi fraus in Vallii opinione referendâ.

Bernardo propter argumenti conjunctionem placet Vallium adjungere, quem quaſi opinionis ſuæ vindicem affert Sirmundus, & Sirmundi Apologiſtæ. In quo ſatis mirari nequeo Jeſuitarum frontem, qui auſi ſint illum Vallii locum proferre, quo diſertè opinionem Sirmundi tanquam impiam & erroneam deteſtatur. *Neoterici quidam*, inquit tract. de char. *teſtatur Lorca* (Neotericorum autem illorum nomine Joannem Sancium intelligit, Jeſuitarum delicias & amores) *exiſtimarunt præceptum dilectionis Dei non eſſe ſpeciale, ſeu diſtinctum; ita ut diligere Deum ſuper omnia, ſit adimplere omnia omnino ejus mandata quando occurrunt, non autem ſpecialiter & diſtinctè exercere actum amoris Dei ſuper omnia.* En Sirmundi ſententiam: audi nunc judicium Vallii: *quæ ſententia*, inquit, *non ſolùm eſt impia, ſed etiam manifeſtè erronea.*

Variis deinde rationibus illam impugnat, quarum hæc extrema eſt. *Sequeretur*, inquit, *non teneri hominem memorem eſſe Dei per totam vitam, aut ſe ad ipſum per affectum dilectionis convertere, velle ei placere & inhærere tanquam ſummo bono: hoc autem nemo dixerit, imò pias aures graviter offendit.*

Poſtremò cùm illud præmiſiſſet; *nullam eſſe tam impiam, tam abſurdam opinionem, quæ non aliqua in ſui patrocinium afferat*, affert & ipſe cum aliis neoterici illius, nempe Sancii rationibus, hunc Bernardi locum quo abutuntur Jeſuitæ, cujus ſenſum etſi minùs videatur aſſecutus, tamen longè ab impietate Sirmundi ſe removet. Nam primò per charitatem in actu, non intelligit nudam ſine intentione, ſine affectione, operis externi obſervationem, ut facit Sirmundus; ſed charitatem illam activam quæ *vagatur per actus omnium præceptorum, qui niſi ex charitate & cum charitate fiant*, inquit, *nullius ſunt meriti apud Deum.* Deinde ſubjungit: *hoc non obſtare, quin præter iſtam detur altera quæ præciſè in affectu, ſive actu charitatis reperiatur, quam præceptam eſſe contendit.* Hoc ſpecimen fidei ac ſinceritatis Jeſuiticæ.

§. 3.

Alienus ab errore Sirmundi Gerſon oſtenditur.

In eandem ſententiam & eâdem fide à Sirmundo & Apologiſtis ejus affertur locus ille Gerſonis ex opuſculo tripartito, quaſi eo interioris in Deum affectus obligationem ſuſtulerit.

Primum præceptum eſt, inquit Gerſon in Opuſc. tripart. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex totâ mente tuâ, & ex totâ virtute tuâ; hoc eſt, non voles ſcienter rem quamcumque amare plùs quàm Deum, quò Dei amorem perdas. Hoc autem præceptum convenienter ab homine ſervatur, & non aliter, ſi legem Dei & alia præcepta ope-*

ribus

ribus impleat. Quiſquis enim mortaliter peccat, præceptum hoc infringit; quia voluntatem ſuam divinæ voluntati oppoſitam præcipienti anteponit. Huic loco, quo maximè nituntur, ut majorem autoritatem Jeſuitæ concilient, opus illud Gerſonis ab octo Galliæ Conciliis probatum jactitant, ut jam non unius Gerſonis teſtimonio, ſed octo Galliæ Conciliorum præceptum amoris deletum eſſe exiſtimetur. Verùm non difficile eſt Gerſonem & illa Concilia à tanto crimine liberare. Quid enim tandem habet locus allatus? Juberi nos illo præcepto nihil amare pluſquam Deum. Ergo, inquiunt, ex Gerſone non jubemur hoc præcepto Deum affectu diligere. At ego contrà. Ergo ex Gerſone diligendus affectu Deus. Nam ni ita diligatur, pluſquàm Deus diligitur quicquid diligitur. Cùm enim voluntas ſine amore quodam dominante & imperioſo eſſe nequeat, fieri non poteſt ut qui non amat Deum, aliquid non amet pluſquam Deum. Quamobrem ut violatur ex Gerſone magnum illud mandatum cùm aliquid pluſquam Deus amatur: ſic ſervatur cùm nihil amatur pluſquam Deus, id eſt, cùm Deus amatur pluſquam omnia.

Quod ut meliùs percipiatur, advertendum eſt non hìc à Gerſone explicari quo pacto illud præceptum ſine ullo ne quidem veniali peccato ſervari poſſit; ſed tantùm quandonam lethali ſcelere infringatur. Nam ſi de toto illius ambitu loquamur, prorſus illo jubemur non modò nihil diligere pluſquam Deum; ſed etiam nihil omnino diligere præter Deum, eo affectu qui in ipsâ creatura maneat, nec ad Deum referatur. Deo enim tanquam creatori, tanquam redemptori, tanquam ſupremo hominum bono debetur omnis animæ motus, omnis affectus, nec ulla amoris noſtri pars ſine injuria creatoris in creaturam derivatur. Hinc Leo Magnus ſerm. 5. de jejunio ſeptimi menſis. *Rationalis animus, qui ſine dilectione eſſe non poteſt, aut Dei amator eſt, aut mundi: in dilectione Dei nulla nimia, in dilectione mundi cuncta ſunt noxia.* Hinc Auguſtinus de iſto præcepto lib. 1. de doctr. Chriſt. c. 22. *Cùm ait toto corde, totâ animâ, totâ mente, nullam vitæ partem reliquit quæ vacare debeat, & quaſi locum dare ut alia re frui velit* (id eſt, ut ipſe explicat Auguſtinus in hoc libro, ut aliam rem velit diligere propter ſeipſam) *ſed quicquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur, quò totius dilectionis impetus currit; adeòque & ipſam dilectionem proximi in Dei amorem rapiendam declarat, quæ nullum à ſe rivulum duci extra patitur, cujus derivatione minuatur.* Ac ne quis conſilii hoc eſſe putet, nullamque amore creaturæ culpam contrahi, luculenter hanc cogitationem removet Auguſtinus variis locis, & inprimis lib. 2. contra Fauſt. cap. 78. *Fit,* inquit, *homo, iniquus, cùm propter ſeipſas diligit res propter aliud aſſumendas; & propter aliud diligit res propter ſeipſas diligendas. Sic enim, quantùm in ipſo eſt, perturbat in ſe ordinem naturalem, quem lex æterna conſervari jubet. Fit autem homo juſtus, cùm ob aliud non appetit rebus uti, niſi propter quod divinitus inſtitutæ ſunt: ipſo autem Deo frui propter ipſum, ſeque & amico in ipſo Deo propter ipſum Deum.* Et ſerm. 18. de diverſis: *Peccatum,* inquit, *non ſolùm illud eſt quod in turpi aut iniquo facto apparet hominibus; ſed etiam ſi habeat ſpeciem boni operis, & tamen*

propter mercedem temporalem fiat, non propter requiem ſempiternam.

Ergo ſi quicquid complexu ſuo coërcet magnum illud mandatum attendamus, fatendum eſt illo præcipi, ut quicquid vel animo gerimus vel corpore, ad Deum amore referamus. Atque adeò quiſquis *amore*, ut loquitur Auguſtinus, *manſorio* in creatura defigitur, culpa non caret; non tamen continuò lethale peccatum ſuſcipit, hoc ipſo quo iſtum actum non refert in Deum, ſed contrà niſi actus iſte aliquo ſpeciali præcepto prohibeatur, erit ſua ſponte venialis. Quandonam igitur omiſſione amoris Dei mortale ſcelus admittitur? Hoc inquirunt Theologi, hoc inquirit Gerſon loco à Sirmundo perperam accepto. Quid ergo ille hoc præcepto ſub pœna mortalis peccati mandari dicit? *Non voles*, inquit, *ſcienter rem quamcumque amare pluſquam Deum*; hoc eſt, ſemper amor Dei in te cæteris dominabitur amoribus, ſemper præcipuum in corde locum obtinebit, ut nihil ipſi præponatur: quod prorſus fieri non poteſt, niſi ametur actu, non ſolo habitu inerti & otioſo. Nam ſi nullomodò diligatur, neceſſe eſt, ut in alia re ultimus conſtituatur finis. Hinc Auguſtinus, qui ſerm. 17. de verbis Apoſtoli ferè loquitur Gerſonis in modum, manifeſtè cum habitu innuit amorem actualem. *Amanda eſt*, inquit cap. 4. *juſtitia, & in hac juſtitia amanda gradus ſunt proficientium: prior eſt ut amori juſtitiæ non præponantur omnia quæ delectant, ipſe eſt primus gradus.* En quod ait Gerſon, ut nihil ametur pluſquam Deus; ſed fortè hoc impleri poteſt etiamſi nullomodò ametur ipſa juſtitia: ut audiatur Auguſtinus. *Quid eſt quod dixi, ut inter omnia quæ delectant plùs te delectet ipſa juſtitia; non ut alia non delectent, ſed plus ipſa delectet.* Et paulò poſt. *Iuſtitia ſic delectet, ut vincat etiam licitas delectationes, & ei delectationi qua licitè delectaris præpone juſtitiam.*

Omnino igitur ex Auguſtino & Gerſone ſic amanda eſt juſtitia, id eſt Deus, ut nihil ipſi præponatur, & ut ipſa omnibus præponatur: ſed hoc ita demum impletur, ſi divinus ille amor maximam officiorum partem ad ſe rapiat, & ad Deum ferat; quod non fit niſi amore actuali: Nam ſi ille diu ceſſet, cùm interim non ceſſet cupiditas, non multo tempore amor mundi ſuperior evadet, & in eo locabitur ultimus finis.

Neque enim poteſt homo vivere, quin aliquem habeat ultimum vitæ finem; nec diu ab iſtius finis amore ceſſare, quin ſibi alium præſtituat. Ergo hoc ipſo quo juſti diu deſiſtunt ab amando Deo, hoc ipſo aliis ſe amoribus etſi per ſe licitis implicant, qui repetitis actibus roborati nec charitate actuali ad Deum relati tandem ita convaleſcunt, ut divino amori præponantur: quod cùm fit, moritur anima, & charitatis vitâ privatur. Ergo ut ex Gerſone violatur præceptum cùm defectu charitatis actualis aliquid præponitur Deo: ſic contrà ſervatur cùm anima ſubinde novis charitatis actibus roborata, & noxias vincit cupiditates, & iis quas licitè amat creaturis Deum præponit, & maximâ vitæ ſuæ parte ad Deum tendit, Deum quærit, Deo placere ſtudet. Hoc illud eſt, quod mirificè expreſſit

Gene-

Genevenſis Antiſtes Divini amoris lib. 10. *Hoc*, inquit, *à nobis poſcit Deus, ut inter omnes amores divinus præcipuum in corde locum obtineat, ut toti nimirum dominetur cordi, ut ille dilectiſſimus ſit, totum videlicet animum poſſidens, ut latiſſime regnet; omnes nimirum facultates ſibi mancipans: & quia illo Deum eligimus, quaſi ſupremum voluntatis bonum, amor eſt ſupremæ dilectionis. Hic* AMOR OMNIBUS ET SINGULIS MORTALIBUS GENERATIM PRÆCIPITUR, *quamprimùm ad rationis uſum pervenerunt*, SINGULIS SUFFICIENS, OMNIBUS NECESSARIUS AD SALUTEM.

Hoc ipſum ſignificavit Chriſtus Euangelicis illis verbis: *Aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* Et alibi: *Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Quibus innuitur Spiritum ſanctum in animis juſtorum illapſum, non otioſum hîc manere; ſed cæleſtibus deſideriis mentem ad Dei amorem identidem accendere.

Atque hæc de primâ parte loci Gerſonis. Secunda nihil prorſus habet difficultatis, & ſanctiſſimam ſimul vulgatiſſimamque doctrinam continet; *hoc præceptum ſcilicet convenienter ab homine ſervari, & non aliter, ſi legem Dei & alia præcepta operibus impleat.* Primùm loquitur Gerſon de verâ obſervatione mandatorum, quæ fit amore juſtitiæ, non Phariſaicâ & amore deſtitutâ, qualem invehit Sirmundus, & rejicit Auguſtinus quæſt. 54. ſuper Deuter. his verbis. *Si forinſecus ea quæ Deus jubet, manibus fiant, & in corde non fiant, nemo eſt tam inſulſus qui præcepta arbitretur impleri.* Et in Pſal. 118. *Propter mercedem terrenam atque carnalem Dei mandata facere conabantur Iudæi, neque faciebant; quia non ipſa ſed aliud diligebant.* Deinde non ait ad hoc mandatum ſervandum ſufficere ſi lex ſervetur; ſed mandatum iſtud non ſervari niſi lex ſervetur. Quod veriſſimum quidem, ſed ab errore Jeſuitarum longè diverſum eſt. Certè enim non amat Deum qui mandata non ſervat, quod dicit Gerſon: ſed falſiſſimum eſt amorem Dei ſitum in obſervatione mandatorum, *ſine affectu & intentione ad Deum relata*, quod ait Sirmundus, non autem Gerſon.

Nil ergo ad propoſitum Sirmundi facit Gerſonis locus. Sed mirabiliter facit ad noſtrum, & perverſiſſimam in morum inſtitutione Caſuiſtarum calliditatem detegit. Veritas ſemper inter oppoſitos errores media eſt, ut Chriſtus in Cruce inter latrones, inquit Tertullianus. In alterum ex illis ſæpe hominum ingenium illiditur, raro admodum in utrumque impingit: hoc tamen cæteris hominibus inuſitatum non raro Caſuiſtis uſu venit, quibus vim diſciplinæ infringere tendentibus, nunc iſte nunc alius error opportunus eſt; quo fit ut ipſos pro Caſuiſtica libertate, utcunque uſus poſtulat, amplectantur.

Certum eſt in Chriſtiana inſtitutione amorem illum, ſine quo non impletur magnum mandatum, utrumque complecti, & affectum interiorem cordis, quaſi radicem; *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*; & fidelem in cæteris mandatis ſervandis diligentiam,

gentiam, quaſi iſtius amoris fructum: *Si quis diligit me ſermonem meum ſervabit.* Huic Catholicæ veritati geminus error adverſatur, quorum ille ſolis operibus contentus eſt, ſine amore: alter ſolo amore ſine operibus. Utroque modo verum Dei amorem evertunt Jeſuitæ; ſed variè variiſque utilitatibus permoti. Si uſus poſtulet homines diligendi Dei neceſſitate exolvi, hanc obligationem tanquam duram, moleſtam, ac difficilem ſummovent, & è *puteo abyſſi* diſtinctiunculam repetunt, *ſæpe cauſarum nominibus effectus affici, adeòque amoris nomine dici poſſe exteriores ejus effectus, etſi non adſit interior.*

At cùm Euangelicæ vitæ officiis homines liberandi, ſtatimque ad Sacramenta ſine veræ converſionis fructibus admittendi; cùm ad altaria facinoroſiſſimi quique propellendi ſunt: tunc verò longè diverſa ipſorum oratio: ſatis eſt ipſis interior ille affectus; utrùm adſit exterior effectus non laborant: modò dicat pœnitens interiorem ſibi de peccatis doloris ſenſum eſſe, nihil ampliùs ab eo poſtulatur, quamvis illum dolorem centies fallacem fuiſſe conſtiterit. Ipſe autem contritionis actus, quàm tunc facilis, quàm expeditus, quàm promptus evadit. Nullum tam breve tempus, quod non ei ſatis ſit: nullus tam malè affectus animus, qui non eum ſemper in nutu habeat. Ridiculum eſt, ſed tamen verum; modò detur tantum temporis, quantum ſufficit ad emungendum naſum, ſufficit ad actum contritionis. Habet hoc alicubi Maſcarenhas, ac propter ſummam iſtam facilitatem ſine præviâ Confeſſione ſacerdotes & laïcos horrendorum ſcelerum reos ſæpe immittit ad altaria, ſicubi Confeſſoris inopiam prætexere potuerint.

In hæc extrema reipſâ quidem longè diſtantia eâdem tamen adulandi voluntate corruunt Caſuiſtæ, & utroque errore divinum de diligendo Deo mandatum ex æquo pervertunt, hinc pro vero charitatis actu hypocriſim quandam inducentes: illinc pro efficaci amore ſterilem quandam & fallacem amoris larvam, nihil ex ſe fructus efferentem. Huic poſtremæ ſatis frequenti corruptelæ ut occurreret Gerſon: Hoc *præceptum,* inquit, *convenienter ab homine ſervatur, ſi legem Dei & alia præcepta operibus impleat*; quaſi diceret: nemo ſe ipſe decipiat, nec de quodam interiore Dei amore ſibi blandiatur, cujus nullum in moribus extet veſtigium: nemo ſibi perſuadeat propter illum neſcio quem affectum divini amoris mandato ſatisfeciſſe: *hoc præceptum convenienter ab homine ſervatur, & non aliter, ſi legem Dei & alia præcepta operibus impleat.* Qui habet mandata mea & ſervat ea, ipſe eſt qui diligit me; non *corde arido manus movens*, ut inquit Bernardus; nec affectu ſterili iners & otioſus; ſed Deum pariter & affectu intus diligens, & effectu voluntati ejus obtemperans.

Et nimirum hoc eſt quod præcipit Joannes: *Filioli, non diligamus verbo neque lingua; ſed opere & veritate.* Diligendus eſt opere Deus, id eſt, fideli mandatorum obſervatione: diligendus eſt veritate, id eſt, ſpirituali illo amore, qui proprius eſt ut jam diximus, Euangelici illius cultus in ſpiritu & veritate.

Utrum-

Utrumque etiam mirâ brevitate complexus eſt Auguſtinus in illum ipſum Joannis locum: *Nemo*, inquit, *attendat linguam, ſed facta & cor*: facta, ad explodendam ſterilis amoris ſimulationem: cor, ad amovendum exterius illud operum ſine affectu quaſi mortuum amoris divini ſimulacrum.

Sectio IV.

Expoſitis à Sancto Thoma principiis refellitur error Sirmundi.

Tertius nobis expendendus venit Sanctus Thomas, ex quo ſimul omnes ſuas diſtinctiunculas de amore effectivo & affectivo, habituali & actuali, de præcepto rigoris & clementiæ petiiſſe Sirmundus videri vult. Hujus nomine perſonatus primum in ſcenam prodiit, & quamvis hanc ſibi ipſe larvam plerùnque detrahat, & errorem ſuum non diſſimulanter agnoſcat, tamen quoties urgetur, ſub ejus autoritate latitans, tanti Doctoris nomine omnia adverſariorum ſuorum tela ſe fruſtrari arbitratur. Quamobrem operoſiùs paulò tanto præſidio, quod per ſummam ſibi vindicat injuriam, nudandus eſt. Et quoniam ille, cui turbare inſtitutum fuit, acceptas hinc inde lacinias ſine principiorum contextu & continuatione profert; nos quibus rem illuſtrare ſtudium eſt, totam ſancti Thomæ doctrinam enucleatè ſuis principiis diſtinctam exhibebimus.

§. 1.

Primum Principium Sancti Thomæ: Præcepta Dei eſſe de neceſſitate ſalutis.

Tradit hoc Sanctus Thomas 2. 2. q. 147. art. 4. *Præcepta Dei*, inquit, *ſunt præcepta juris naturalis, quæ ſecundum ſe ſunt de neceſſitate ſalutis*: Et q. 32. art. 5. & 6. utitur hoc principio: *Omiſſio præcepti divini eſt peccatum mortale.*

§. 2.

Secundum Principium: Omnium mandatorum maximum eſſe mandatum dilectionis proximi.

Etſi non ſit hoc dubium, cùm id ab ipſâ veritate definitum ſit, tamen pulchrè probatur à ſancto Thoma 2. 2. q. 44. art. 1. in corp. *Finis ſpiritualis vitæ eſt ut homo uniatur Deo, quod fit per charitatem, & ad hoc ordinantur ſicut ad finem omnia quæ pertinent ad ſpiritualem vitam: unde & Apoſtolus dicit* 1. *ad Timotheum. Finis præcepti eſt charitas de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta. Omnes enim virtutes de quarum actibus dantur præcepta, ordinantur vel ad purificandum cor à turbationibus paſſionum, ſicut virtutes quæ ſunt circa paſſiones: vel ſaltem ad habendam bonam conſcientiam, ſicut virtutes quæ ſunt circa operationes. vel ad habendam rectam fidem, ſicut illa quæ pertinent ad divinum cultum. Et hæc tria requiruntur ad diligendum Deum. Nam cor impurum à Dei dilectione abſtrahitur propter paſ-*

ſionem inclinantem ad terrena: conſcientia verò mala facit horrerè divinam juſtitiam propter timorem pœnæ. Fides autem ficta trahit affectum in id quod de Deo fingitur, ſeparans à Dei veritate. In quolibet autem genere, id quod eſt per ſe, potius eſt eo quod eſt propter aliud. Et ideò maximum eſt præceptum de charitate, ut dicitur Matth. 22.

§. 3.

Tertium Principium: Quicquid ſit contra legem, eſſe peccatum mortale: ſolum peccatum mortale eſſe contra legem.

Ex tertio principio lux non mediocris quibuſdam implicatioribus ſancti Thomæ locis affulgebit. Nam in ejus doctrinâ peccatum veniale non niſi impropriè dicitur peccatum, nec propriè eſt contra legem, ſed tantùm extra legem. Quemadmodum frequenter ait eum qui peccat venialiter, non facere quod lex prohibet, non omittere quod lex jubet, ſed tantùm non ſervare rectum ordinem rationis in iis quæ ſunt ad finem. Hoc modo explicat illam venialis & mortalis peccati diſtinctionem in 1. 2. q. 88. art. 1. ad 1. ubi cùm illud ſibi objeciſſet Auguſtini: *Peccatum eſſe factum, dictum, concupitum contra legem æternam*; reſpondet, *quòd diviſio peccati in mortale & veniale non eſt diviſio generis in ſpecies, quæ æqualiter participant rationem generis: ſed analogi in ea de quibus prædicatur ſecundum prius & poſterius. Et ideò perfecta ratio peccati quam Auguſtinus ponit, convenit peccato mortali. Peccatum autem veniale dicitur peccatum ſecundum rationem imperfectam, & in ordine ad peccatum mortale; ſicut accidens dicitur ens in ordine ad ſubſtantiam, ſecundum imperfectam rationem entis. Non enim eſt contra legem; quia venialiter peccans, non facit quod lex prohibet, nec prætermittit id ad quod lex per præceptum obligat: ſed facit præter legem; quia non obſervat modum rationis quem lex intendit.*

Novi uſitatè aliter accipi voces illas, nec paucos ſimpliciter aſſerere, peccatum etiam veniale eſſe contra legem. Sed hîc non agimus quomodò loquendum ſit; ſed quo pacto Sanctus Thomas locutus ſit: ex quo petenda eſt verborum quæ ab ipſo uſurpantur notio; quam qui præ oculis non habebit, illamque præcipuè de peccatis venialibus mortalibuſque doctrinam, plane in Sancto Thoma cœcutiet, & innumeros ipſi adſcribet errores, cum eadem loca vero ipſius ſenſu accepta totidem certa Theologiæ dogmata ſint.

Sic igitur quoties ſcribit Sanctus Doctor aliquid cadere ſub præcepto, intelligendum eſt nos ad id ſub pœna peccati mortalis obligari; multùmque adeò in ipſo diſtinguendæ ſunt illæ phraſes, *id quod lex prohibet: id ad quod præceptum obligat*, quæ peccati mortalis obligationem inducunt, ab iſtâ locutione: *modus rationis quem lex intendit*, quæ nonniſi peccati venialis materia eſt.

Ita quoties idem ait aliquid eſſe contra legem æternam, accipe ſemper eſſe peccatum mortale. *Eſſe enim*, inquit 1. 2. qu. 88. art. 1. *contra legem æternam, dat peccato quod ſit mortale.*

Hinc ille divinæ legis obligationem arctat & adſtringit pluſquam alii; & præcepto nil contineri dicit, niſi quod ſine peccato mortali vio-

violari non poteſt: in quibus autem tantùm venialiter delinquimus, hæc præcipi negat. Quod bene explicat ibid. quæſt. 33. art. 2. in corp. *Actus virtutum non quolibet modo fieri debent, ſed obſervatis debitis circumſtantiis, quæ requiruntur ad hoc quod ſit actus virtuoſus, ut ſcilicet fiat ubi debet, & quando debet, & ſecundum quod debet. Et quia diſpoſitio eorum quæ ſunt ad finem, attenditur ſecundum rationem finis, in iſtis circumſtantiis virtuoſi actus præcipuè attendenda eſt ratio finis, qui eſt bonum virtutis. Si ergo ſit aliqua talis omiſſio alicujus circumſtantiæ circa virtuoſum actum, quæ totaliter tollat bonum virtutis, hic actus contrariatur præcepto. Si autem ſit defectus alicujus circumſtantiæ, quæ non totaliter tollat virtutem, licet non perfectè attingat ad bonum virtutis, non eſt contra præceptum.*

Hinc quædam præcepta quæ ſine culpâ veniali vel mortali nunquam violantur, negat ſanctus Thomas ſemper obligare, ut illud Pauli: *ſive manducetis, ſive bibatis, omnia in gloriam Dei facite.* Hoc verò pro eo modo quo loquitur Sanctus Thomas veriſſimum eſt: quia non ſemper peccatum mortale admittitur ab iis qui actus ſuos ad Deum non dirigunt. Meritò ergo illius præcepti quod agnoſcit 1. 2. quæſt. 88. art. 1. ad 2. & quæſt. 100. art. 10. ad 2. perpetuam eſſe obligationem negat.

Hinc etiam patet peſſimè argumentari, qui ex eo quod negat Sanctus Thomas aliquid præcipi, efficiunt id ſine veniali culpâ omitti poſſe. Itaque cùm ait, præceptum honorandi parentes & diligendi Dei ut diſtincta & affirmativa variis temporibus obligare poſſe, adeòque qui honorat Parentes, nec Deum in illo actu colit, continuò tranſgredi præceptum dici non poſſe, non id dicit, nullum ab eo qui ſine amore Dei patrem honorat, peccatum veniale ſuſcipi; ſed tantùm negat ſemper ſuſcipi mortale, quod unum ipſi *contrà præceptum eſt.*

§. 4.

Quartum Principium: Præcepta dari de actibus, non de habitu virtutum.

Quartum principium Sirmundi cauſam penitus disjicit, & totam controverſiam continet; ita verò ſancto Thomæ tritum eſt, ut nihil ſit apud eum frequentius. *Præcepta*, inquit 2. 2. quæſt. 31. art. 4. ad 1. *non dantur de habitibus virtutum, ſed de actibus; & ideò diverſitas præceptorum non ſignificat diverſos habitus, ſed diverſos actus.* Et 2. 2. quæſt. 33. art. 2. in corp. *ſicut præcepta negativa legis prohibent actus peccatorum, ita præcepta affirmativa inducunt ad actus virtutum.* Et quæſt. 44. art. 3. *Præcepta dantur de actibus virtutum.* Et ibid. *De actibus virtutum ſunt danda præcepta.* Et art. 4. *Cùm præcepta dentur de actibus virtutum, hoc modo aliquis actus cadit ſub præcepto, ſecundum quod eſt actus virtutis.* Et quæſt. 32. art. 5. in corp. *Sed quia præcepta dantur de actibus virtutum, neceſſe eſt quòd hoc modo donum eleemoſynæ cadat ſub præcepto, ſecundum quod actus eſt de neceſſitate virtutis.* Et quæſt. 39. art. 4. *Præcepta non dantur, niſi de actibus virtutum.* Nec modò id generatim de cæteris præ-

ceptis; ſed ſpeciatim de actu amoris Dei tradit ibid. art. 2. ad 1. *Licet charitas ſit una virtus, habet tamen duos actus, quorum unus ordinatur ad alium, ſicut ad finem: præcepta autem dantur de actibus virtutum, & ideò oportuit eſſe plura præcepta charitatis.* Et art. 3. ad 2. cùm hoc ſibi objeciſſet: *Charitatis actus non ſolùm eſt dilectio; ſed gaudium, pax, beneficentia. Sed de actibus virtutum ſunt danda præcepta. Ergo duo præcepta charitatis non ſufficiunt. Dicendum*, inquit, *quod alii actus charitatis conſequuntur ex actu dilectionis ſicut effectus ex cauſa: unde in præceptis dilectionis virtute includuntur præcepta de aliis actibus.* Et art. 8. in corp. *Modus qui pertinet ad rationem virtuoſi actus, cadit ſub præcepto quod datur de actu virtutis. Ordo autem charitatis pertinet ad ipſam rationem virtutis. &c.*

§. 5.

Quintum Principium: Actum amoris primo præcepto mandatum ab obſervatione aliorum præceptorum eſſe diſtinctum.

Quinto principio patebit quàm fraudulenter Sirmundus ſanctum Thomam nobis hujus ſententiæ autorem attulerit in Reſp. pag. 9. & 10. *præter decem Decalogi præcepta, nullam aliam nobis obligationem impoſitam ſervandi gemini de Deo & proximo diligendo præcepti.* Contra enim ſtatuit D. Thomas actum amoris qui cadit ſub præceptum: *Diliges Dominum Deum tuum*; planè diſtinctum eſſe ab aliis mandatis. Hoc docet 2. 2. quæſt. 44. art. 1. ad 1. *Modus dilectionis non cadit ſub illis præceptis, quæ dantur de aliis actibus virtutum: cadit tamen actus dilectionis ſub præceptis ſpecialibus.* Et quæſt. 100. 1. 2. art. 10. ubi quærit an quiſque teneatur lege divinâ omnia referre ad Deum actu charitatis; quod ſic exprimit: *Vtrùm modus charitatis cadat ſub præcepto legis divinæ?* Primùm ſtatuit charitatis actum, ut ſejunctum ab aliis præceptis, cadere ſub præceptum: *Diliges Dominum tuum.* 2. ſtatuit eùmdem modum charitatis non cadere ſub præcepta ſpecialia, v. g. honorandi parentes; cadere tamen ſub generale amandi Dei: adeòque qui non honorat patrem propter Deum, etſi non tranſgrediatur quartum mandatum de honorandis parentibus, poſſe tamen tranſgredi mandatum de amando Deo. *Modus* inquit, *charitatis cadit ſub illo divinæ legis præcepto, quod ſpecialiter de dilectione Dei & proximi datur, non autem ſub præceptis. &c. Actus charitatis dupliciter conſiderari poteſt: uno modo ſecundum quod eſt quidam actus per ſe; & hoc modo cadit ſub præcepto legis, quod de hoc ſpecialiter datur, ſcilicet; Diliges Dominum Deum tuum, &, diliges proximum tuum. Et quantum ad hoc primi verum dixerunt, modum ſcilicet charitatis eſſe ſub præcepto.*

Alio modo poteſt conſiderari actus charitatis, ſecundum quod eſt modus actuum aliarum virtutum, hoc eſt, ſecundum quod actus aliarum virtutum ordinantur ad charitatem, quæ eſt præcepti finis, ut dicitur 1. ad Timotheum 1. Et hoc modo verum eſt quod modus charitatis non cadit ſub præcepto, hoc eſt dictum, quod in hoc præcepto; Honora patrem, non includitur quòd honoretur pater ex charitate, ſed ſolùm quòd honoretur pater: unde qui honorat patrem, licet non habeat charitatem, non efficitur

tur tranſgreſſor hujus præcepti, etſi SIT TRANSGRESSOR PRÆCEPTI, QUOD EST DE ACTU CHARITATIS, PROPTER QUAM TRANSGRESSIONEM MERETUR POENAM.

Sic fatetur in Reſponſ. ad 2. juberi nos omnia referre ad Deum; at negat hanc obligationem ex ſingulis præceptis exurgere, ſed tantùm ex generali diligendi Dei mandato. *Dicendum,* inquit, *quòd ſub præcepto charitatis continetur ut diligatur Deus ex toto corde, ad quod pertinet ut omnia referantur in Deum; & ideò præceptum charitatis implere homo non poteſt, niſi etiam omnia referantur in Deum. Sic ergo qui honorat parentes, tenetur ex charitate honorare, non ex vi hujus præcepti, quod eſt, honora parentes; ſed ex vi hujus præcepti, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.*

Et cùm iſta ſint duo præcepta affirmativa, non obligantia ad ſemper, poſſunt pro diverſis temporibus obligare; & ita poteſt contingere, quòd aliquis implens præceptum de honoratione parentum, non tunc tranſgrediatur præceptum de omiſſione modi charitatis.

Quod hîc negat ſanctus Thomas, ab eo ſemper violari diligendi Dei, præceptum, qui non honorat patrem propter Deum, eum habet ſenſum, ut jam oſtendi, non ſemper ab eo admitti lethale flagitium.

Ex his effice adverſus Sirmundum, 1. actum qui cadit ſub præceptum diligendi Dei, eſſe propriè dictum charitatis actum, & genuinum, ac interiorem in Deum affectum. 2. obſervationem aliorum mandatorum ad ſalutem non ſufficere, niſi aliquando fiant ex charitate, quia modus charitatis, etſi non cadat ſub præcepta ſpecialia, cadit tamen ſub magnum illud mandatum quo jubemur Deum diligere ex toto corde.

§. 6.

Sextum Principium: Nullus amor Dei naturalis in ſtatu naturæ lapſæ.

Sexto principio revincitur alia cavillatio Sirmundi, quam ſubinde ingerit de amore naturali & ſupernaturali. Statuit enim D. Thomas in hoc ſtatu naturæ lapſæ nullum jam eſſe amorem Dei naturalem. *Homo,* inquit 1. 2. q. 109. art. 3. *in ſtatu naturæ integræ non indiguit divinæ gratiæ gratuito auxilio, viribus naturalibus ſuperaddito, ad Deum ſuper omnia naturaliter diligendum, quanquam Dei ad hoc moventis auxilio ei opus eſſet. At in ſtatu naturæ corruptæ, indiget ad hoc gratiâ ipſam naturam interiùs ſanante.* Et ibid. in corp. *In ſtatu naturæ corruptæ homo ad hoc deficit ſecundum appetitum voluntatis rationalis, quæ propter corruptionem naturæ ſequitur bonum privatum, niſi ſanetur per gratiam Dei.*

Ac ne quis cauſetur id velle S. Thomam, non poſſe nos naturaliter nunc Deum diligere tanquam autorem gloriæ, poſſe tamen ut autorem naturæ; hanc diſtinctionem ſummovet S. Thomas. Aſſerit enim eo modo naturaliter à nobis Deum amari non poſſe, quomodò ab Adamo potuit: at idem ſtatuit, Deum ut autorem gloriæ ne quidem ab Adamo potuiſſe naturaliter amari. Ergo ille amor naturalis, qui nobis nunc deeſt, Adamo non defuit, non eſt amor

ſupernaturalis qui nunquam in Adami poteſtate ſine gratiâ poſitus fuit, ex ſancto Thoma; ſed tantum naturalis.

§. 7.

Quid ex ſupra poſitis principiis efficiatur.

His principiis quicquid Sirmundus ſuper diſtinctiunculis ſuis *amoris affectivi* & *effectivi*; *præcepti rigoris*, *præcepti clementiæ*; *habitualis*, & *actualis*, exædificavit impietatis, tanquam pulvis à facie venti diſpergitur.

Primò falſum eſt quod ait Sirmundus, *ſolum nobis effectum exteriorem non interiorem affectum præcipi*; cùm & actus charitatis cadat ſub præcepto per 4. & 5. principium, & modus charitatis in aliis præceptis involutus, eodem charitatis mandato præcipiatur per 5.

Falſum eſt quod ait Sirmundus, affectum amoris non præcipi præcepto rigoris: actus enim charitatis cadit ſub præcepto per 4. principium; quicquid autem cadit ſub præcepto, peccati mortalis obligationem affert per primum principium.

Falſum eſt quod ait Sirmundus, ſolum habitum, non actum præcipi; quia præcepta dantur de actibus, non de habitibus per 4. principium.

Falſum eſt quod ait Sirmundus, amore naturali impleri poſſe præcepta; quia nullus ejuſmodi datur in ſtatu naturæ corruptæ, per 6. principium.

Ex omnibus autem ſequitur, quam ſancto Thomæ tribuit doctrinam Sirmundus, eam non minùs cum ejus ſenſibus, quàm cum Catholicâ fide pugnare.

Sectio V.

Diluuntur objectiones Sirmundi ex S. Thoma petitæ.

§. 1.

Explicatur 2. 2. qu. 44. articulus quartus, quo ille in errorem inductus eſt.

Quattuor tantùm loca profert Sirmundus, quæ aliquid habeant difficultatis: duo ex 2. 2. q. 44. art. 4. tertium ex art. 6. ejuſdem quæſtionis: quartum ex opuſc. 18. c. 5. At in his tametſi non diffitear caliginis nonnihil reperiri, cùm minùs attentè conſiderantur, ut in iis magis ignorantiâ quàm improbitate Sirmundus labi potuerit, tamen propterea veniâ prorſus indignus eſt, quòd in hâc quæſtione 44. tantus occurrat locorum numerus, quibus diſertè ſanctus Thomas & ſine ambagibus affirmat actum charitatis eſſe in præcepto, ut prorſus illorum luci opponi non potuerit duarum laciniarum caligo, niſi ab eo qui tenebras magis quàm lucem diligeret.

Articulo

Articulo primo ſtatim agnoſcit Sanctus Thomas actum dilectionis cadere ſub præceptis ſpecialibus.

Articulo 2. hanc rationem reddit, cur duo ſint præcepta charitatis, quamvis una ſit virtus; quòd cùm præcepta dentur de actibus non de habitibus, duo præcepta charitatis dari oportuit, quia *duo ſunt charitatis actus.*

Articulo 3. ſufficere docet hæc duo præcepta; quia etſi dentur alii charitatis actus, tamen in duobus illis actibus, erga Deum ſcilicet, & proximum, quaſi in causâ effectus includuntur. Quî poſſet igitur fieri, ut cùm toties in tribus illis articulis iteraſſet ſanctus Thomas præceptum dari de actibus charitatis, non de habitu, in quarto, unde petitur prima Sirmundi lacinia, ſe ipſe retexeret, & præceptum charitatis de ſolo habitu dari non de actu ſtatueret? Non cadit in tantum virum tanta inconſtantia; quod etiam magis ex iſtius qui agitur articuli explicatione pateſcet.

Poſtquam igitur ſatis docuiſſet tribus ſuperioribus articulis *actum charitatis eſſe in præcepto*; quærit articulo quarto quomodò ſit diligendus, ſive quas dotes habeat ille charitatis actus, qui ſub primum mandatorum cadit. Titulus articuli eſt: *Vtrùm convenienter mandetur quòd Deus diligatur ex toto corde:* quod ille hâc concluſione complectitur: *Cùm Deus ut ultimus finis ſit diligendus, ad quem omnia ſint referenda, decuit nobis mandari ut eum ex toto corde diligeremus.* Quod hac ratione in corpore confirmat: *Reſpondeo dicendum, quòd cùm præcepta dentur de actibus virtutum; hoc modo aliquis actus cadit ſub præcepto, ſecundum quod eſt actus virtutis. Requiritur autem ad actum virtutis, non ſolùm quod cadat ſuper debitam materiam; ſed etiam quod veſtiatur debitis circumſtantiis, quibus ſit proportionatus tali materiæ. Deus autem eſt diligendus ſicut finis ultimus, ad quem omnia ſunt referenda, & ideò totalitas quædam fuit deſignanda circa præceptum de dilectione Dei,* Non poterat S. Thomas clariùs & ſignificantiùs docere, non habitum, ſed actum charitatis eſſe in præcepto, cùm huic principio: *Præcepta dari de actibus virtutum*, totam orationem ſuperſtruat.

In reſponſ. ad 1. cùm ſibi hoc objeciſſet: *Modus virtuoſi actus non eſt in præcepto, ut ex ſupra dictis patet: ſed hoc quod dicitur ex toto corde, importat modum divinæ dilectionis, ergo inconvenienter præcipitur. Ad primum,* inquit, *dicendum quod ſub præcepto quod datur de actu alicujus virtutis, non cadit modus quem habet ille ex aliâ ſuperiori virtute: cadit tamen ſub præcepto modus ille qui pertinet ad rationem propriæ virtutis, & talis modus ſignificatur cum dicitur, ex toto corde.*

Hîc adverte, totalitatem illam quæ ſignificatur his verbis, ex toto corde, eſſe modum actus charitatis, non habitus charitatis. *Requiritur,* inquit, *ad* ACTUM *virtutis quòd veſtiatur debitis circumſtantiis: & ideo totalitas quædam ſignificanda fuit circa præceptum de dilectione Dei.*

Sed adverſus illam totalitatem objicit. 2. *Totum & perfectum idem ſunt: ſi ergo in præcepto cadit quod Deus ex toto corde diligatur, quicunque facit aliquid quod non pertinet ad Dei dilectionem, agit contra*

præceptum, & per conſequens peccat mortaliter: ſed peccatum veniale non pertinet ad Dei dilectionem: ergo peccatum veniale erit mortale, quod eſt inconveniens. En illud argumentum, in cujus reſponſione contendit Sirmundus negari expreſsè à Sancto Thoma actum dilectionis eſſe in præcepto, & diligendi verbum ab eo ad ſolum habitum charitatis referri.

Dicendum, inquit S. Thomas, *quod dupliciter contingit Deum ex toto corde diligere. Vno quidem modo in actu, ut totum cor hominis ſemper actualiter feratur in Deum, & iſta eſt perfectio patriæ alio modo ut habitualiter totum cor hominis in Deum feratur, ita ſcilicet quod nihil contra Dei dilectionem cor hominis recipiat, & hæc eſt perfectio viæ; cui non contrariatur peccatum veniale, quia non tollit habitum charitatis, ſed ſolum impedit charitatis uſum.*

Hæc petra offenſionis Sirmundo fuit, qui intelligere non potuit, non de ipſo actu, ſed de modo actus hîc agi. At quibus contentionis caligine non cæcatur animus, nihil jam difficultatis in his verbis inveniunt: planus enim & manifeſtus hujus articuli ſenſus.

1. *Præcepta dari de actibus virtutum*, adeòque præceptum amoris de actu amoris.

2. Ad actum virtutis requiri ut veſtiatur debitis circumſtantiis, atque ita actum charitatis debitis circumſtantiis veſtiendum eſſe.

3. Debitam circumſtantiam actus charitatis eſſe ut ad Deum omnia referantur. Ergo actum charitatis aliqua totalitate eſſe veſtiendum.

Hoc totum habet Sanctus Thomas in corpore. In reſponſ. ad 2. quærit quænam ſit illa totalitas, quâ veſtiendus eſt actus charitatis tanquam debitâ circumſtantiâ; & reſpondet eam eſſe duplicem: actualem unam, aliam habitualem. Actualis totalitas, ipſomet interprete, eſt quædam in amoris actu perennitas, quâ totum ſemper cor ad Deum fertur: hanc actualem totalitatem meritò cenſet eſſe patriæ, non hujus viæ. Reſtat igitur totalitas habitualis, quæ nihil aliud eſt quàm habituale quoddam propoſitum nihil recipiendi contra Dei dilectionem: atque hanc totalitatem neceſſariam judicat ad actum charitatis, tanquam circumſtantiam quâ veſtiri debet. Ita ex ſancto Thoma, cùm jubemur Deum ex toto corde diligere, jubemur diligere actu & affectu interiori, qui totalitatem ſuam repetat non ex ſui perennitate, ſed ex habitu unde procedit, ſive ex habituali propoſito nihil admittendi contra Dei dilectionem. Sic cùm peccatum veniale non tollat habitum charitatis, ſequitur ab illo non tolli totalitatem illam requiſitam ad actum charitatis, quæ ex habitu petitur; nec efficere quominus Deus ex toto corde non diligatur. Atque adeò, ut uno verbo rem expediam, non explicat hoc loco S. Thomas duplicem amoris, ſed duplicem totalitatis modum, quarum unam amoris actui neceſſariam docet tanquam debitam circumſtantiam.

Ita hic locus ſic vero redditus ſenſui, non modò non labefactat, ſed mirificè confirmat centies traditam à ſancto Thoma doctrinam, *actum charitatis eſſe in præcepto.*

Alterum

Alterum argumentum repetit Sirmundus ex his verbis ſancti Thomæ in reſponſione *ad* 3. *Dicendum quòd perfectio charitatis ad quam ordinantur conſilia, eſt media inter duas perfectiones prædictas, ut ſcilicet homo quantum poſſibile eſt ſe abſtrahat à rebus temporalibus etiam licitis, quæ occupando animum, impediunt actualem motum cordis in Deum.*

Hoc verò planè fluxum & imbecillum eſt. Primùm ſubdolè & fraudulenter hæc verba interpretatur pag. 26. *Perfectio charitatis ad quam ordinantur conſilia,* quaſi fateretur ſanctus Thomas, perfectionem charitatis eſſe tantùm conſilii, quod falſum eſſe jam jam docebimus. Secundò abſurdè ex his colligit, actum amoris in præcepto non eſſe. Nam ſi ex ſancto Thomâ quò quis perfectiùs diligit Deum, eò ſæpius actualiter in ipſum tendit, cùm charitas naſcens, proficiens ac perfecta ejuſdem ſint generis, ſequitur illas quoque aliquando in Deum actuali affectu ferri: ſed rariùs quò imperfectior quæque fuerit, frequentiùs quo perfectior.

§. 2.

Explicatur articulus Sextus ejuſdem quæſtionis, quo ſimiliter abutitur Sirmundus.

Summa doctrinæ hujus articuli eſt, dupliciter ſervari poſſe præceptum charitatis, perfectè & imperfectè: perfectè ſervari, quando pervenitur ad finem quem Deus intendit; nempe ut *totaliter* cum ipſo conjungamur, quod in cœlo demum fieri poſſe docet: imperfectè autem impletur ab iis qui ad iſtam divini amoris, ut loquitur ſanctus Thomas, totalitatem non perveniunt, ſic in viâ ſervari poteſt. Utitur S. Thomas ad id explicandum exemplo ducis qui militibus jubet ut pugnent. Ille enim, inquit, perfectè implet præceptum qui pugnando vincit, qui præcepti finis eſt: ille tantùm imperfectè, qui pugnat, ſed non vincit: & hic tamen, inquit, noxâ caret, dum militiæ legibus pareat.

Hinc colligit, non poſſe nos in hac vitâ perfectè præceptum charitatis implere, id eſt, ad finem illius pertingere, quæ plena eſt cum Deo conjunctio. Sed peſſimè Sirmundus efficit, actum charitatis non eſſe præceptum, ſed tantùm habitum. Præcipitur enim ut diligamus Deum, quemadmodum militi præcipitur ut pugnet. Jam quæro utrùm habituali pugnâ pugnandi præcepto à milite vel imperfectè pareatur? Ergo imperfecta illa mandati obſervatio actum qui præcipitur non omittit; ſed ſolum ipſius finem non attingit. Imperfectè paret duci miles cùm pugnat & non vincit; & tunc extra noxam eſt, ſi nihil aliunde contra militiæ leges faciat: imperfectè homo mandatum amoris implet, cùm diligit quidem actu; ſed ad perfectum amorem non pervenit, modò nil contra cætera præcepta faciat. Sed ut miles qui nunquam pugnat, nullomodò ducis imperium exequitur: ſic homo qui actu non diligit Deum, mandatum diligendi ne imperfectè quidem ſervat. Nec aliud dicit S. Thomas, & generatim toto hoc articulo, & ſpeciatim in Reſponſ. ad 2,

quâ præſertim abutitur Sirmundus. *Dicendum*, inquit, *quod ſicut miles qui legitimè pugnat non culpatur, nec pœnam meretur: ita etiam qui in viâ hoc præceptum non implet, nihil contra divinam dilectionem agens, non peccat mortaliter.* Hæc enim verba, *qui in viâ præceptum non implet*, non id ſignificant quod putat Sirmundus, actu non diligi Deum; quod centies præceptum eſſe agnoſcit in hâc quæſtione D. Thomas; ſed tantùm qui perfecte non implet, & ad finem charitatis non pervenit.

Atque ſic exponi hunc S. Thomæ locum ita neceſſe eſt, ut aliter explicari ſine hæreſi non poſſit. Nam is modus implendi præcepti, quem hic negat ita nobis eſſe mandatum, ut qui ei defuerit peccet mortaliter, in corpore negat omnino impleri poſſe in hac vitâ. Ita modus ille duas habet dotes annexas, & quòd poſſit ſine mortali peccato prætermitti, & quòd omnino nunquam in hâc vita impleatur. Sic cùm Sirmundus per hunc modum diligendi Dei, qui ſine peccato mortali poteſt non ſervari, dilectionem Dei actualem à S. Thoma intellectam contendit; hoc dicit, S. Thomam in eâ fuiſſe ſententia, fieri non poſſe ut quis in hac vita actu diligat Deum, quæ certa ſine dubio hæreſis eſt.

§. 3.

Explicatur tertius locus S. Thomæ, perperam à Sirmundo prolatus.

Quartum locum repetit Sirmundus ex Opuſ. 18. c. 5. in quo ſic loquitur S. Thomas: *Alio vero modo ex toto corde, mente, animâ, & fortitudine Deum diligimus, ſi nihil nobis deſit ad divinam dilectionem, quod actu vel habitu in Deum referamus, & hujus divinæ dilectionis perfectio datur homini in præcepto* 1. *quidem, ut omnia in Deum referat, ſicut in finem, ſicut Apoſtolus dicit* 1. *Cor. c.* 10. *ſive manducatis vel bibitis, vel quid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite; quod quidem impletur, cum aliquis vitam ſuam ad Dei ſervitium ordinat, & per conſequens omnia quæ per ſe ipſum agit, virtualiter ordinantur in Deum, niſi ſint talia quæ à Deo abducant, ſicut ſunt peccata: & ſic Deum diligit homo ex toto corde.* 2. *ut intellectum ſuum homo Deo ſubjiciat, ea credens quæ divinitus traduntur, ſecundum illud Apoſtoli* 2. *Cor.* 10. *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti, & ſic Deus diligitur ex totâ mente.* 3. *ut quæcunque homo amat, in Deo amet, & univerſaliter ſuam omnem affectionem ad Dei dilectionem referat. Vnde dicebat Apoſtolus* 2. *Cor.* 5. *ſive enim mente excedimus, Deo, ſive ſobrii ſumus, vobis: charitas enim Chriſti urget nos: & ſic Deus ex tota anima diligitur.* 4. *ut omnia exteriora noſtra verba & opera ex divina charitate firmentur, ſecundum illud Apoſtoli ad* 1. *Cor. ult. Omnia enim veſtra in charitate fiant: & ſic Deus ex tota fortitudine diligitur. Hic eſt ergo tertius perfectæ dilectionis modus, ad quem omnes ex neceſſitate præcepti obligantur: ſecundus verò modus nulli eſt poſſibilis in hac vita, niſi ſimul fuerit viator & comprehenſor, ſicut Dominus noſter Ieſus Chriſtus.*

Ex hoc loco verba illa, *ſi nihil nobis deſit quod actu vel habitu in Deum referamus, & hujus divinæ dilectionis perfectio datur homini in*

præcepto,

præcepto, per fraudem avellit Sirmundus, ut cantilenam ſuam nobis ingerat: *cùm disjunctivè dicat S. Thomas vel actu vel habitu neminem teneri actu referre actiones ſuas in Deum.*

Mirari ſubit hominis ingenium, in duabus voculis tenebras aucupantis, irruentem in oculos lucem repellentis. Quid enim clarius aut illuſtrius hoc S. Thomæ loco ad commendandam divinæ dilectionis & quidem actualis neceſſitatem. An aliter quàm actuali amore vitam quis ſuam ad Deum ordinat, intellectum mancipat in obſequium fidei, affectiones ſuas ad Dei dilectionem refert?

Sed quid igitur, inquit, ſibi voluit S. Thomas illâ disjunctione, vel actu vel habitu? Breviter reſpondeo, idem quod in priori illo quem excuſſimus loco, de totalitate loquitur amoris, quâ diligitur Deus ex toto corde, quam non neceſſe eſt eſſe ſemper actualem. Sufficit enim ut iſta perennis totalitas ſit habitualis, ut quia actus amoris perpetuus in hac vitâ eſſe non poteſt, ſaltem maneat perennis habitus amoris, quo in illis amoris ceſſationibus aliquomodò actiones noſtræ referuntur ad Deum, etiamſi ſint venialia peccata. Nam, ut ait 1. 2. quæſt. 88. art 1. ad 2. *Veniale peccatum non excludit habitualem ordinationem actus humani in gloriam Dei.* Et ibidem 3. *Qui peccat venialiter, inhæret bono temporali, non ut fini; quia non conſtituit in eo finem; ſed ut utens, referens in Deum non actu, ſed habitu.*

Verùm habitualem illam relationem operis in Deum expreſſè docet S. Thomas ad implendum præceptum amandi Dei non ſatis eſſe, niſi etiam adſit quandoque actualis. Tractat hoc S. Doctor in quæſt. diſp. de charitate, art. 11. cùm ageret de illâ Pauli ſententiâ: ſive manducatis, ſive bibatis, omnia in gloriam Dei facite: quod verum eſſe præceptum agnoſcit, ex quo ſequi videbatur, actualem omnium operum in Deum relationem eſſe in præcepto.

Reſpondet 1. *quòd præceptum illud ad hoc ſe extendit ut omnia habitu referantur ad Deum, ſed non actu.* Hîc videri poterat faviſſe Sirmundo, quare ut hanc à ſe opinionem amoveat, priorem illam reſponſionem improbat. *Sed contrà*, inquit, *præcepta legis ſunt de actibus virtutum: habitus autem non cadit ſub præcepto: non ergo præceptum Apoſtoli intelligitur de habituali reſolutione noſtrorum actuum in Deo, ſed de actuali.*

Mox eximiam doctrinam, & Sirmundo infeſtiſſimam ſubjicit his verbis: *Ad 2. dicendum, quòd omnia actu referre in Deum non eſt poſſibile in hâc vitâ, ſicut non eſt poſſibile quòd ſemper de Deo cogitetur: hoc enim pertinet ad perfectionem primam. Sed quòd omnia referantur in Deum, hoc pertinet ad perfectionem charitatis ad quam omnes tenentur. Ad cujus evidentiam conſiderandum eſt, quòd ſicut in cauſis efficientibus virtus primæ cauſæ manet in omnibus cauſis ſequentibus; ita etiam intentio principalis finis, virtute manet in omnibus finibus ſecundariis. Vnde quicunque actu intendit aliquem finem ſecundarium, virtute intendit finem principalem: ſicut medicus dum colligit herbas, actu intendit conficere potionem, nihil fortaſſis de Sanitate cogitans; virtualiter tamen intendit ſanitatem propter quam potionem dat. Sic igitur cùm aliquis ſe ipſum ordinat in Deum ſicut in finem, in omnibus quæ propter ſeipſum facit,*

cit, manet virtute intentio ultimi finis qui Deus eſt. Vnde in omnibus mereri poteſt ſi charitatem habeat. Hoc igitur modo Apoſtolus præcipit quòd omnia in Dei gloriam referantur.

Ad 3. dicendum, quòd aliud eſt referre habitualiter in Deum, & aliud virtualiter. Habitualiter enim refertur in Deum, & qui nihil agit, nec qui actualiter aliquid intendit, ut dormiens. Sed virtualiter aliquid referre in Deum, eſt agentis propter finem ordinantis in Deum. Vnde habitualiter referre in Deum, non cadit ſub præcepto; ſed virtualiter referre in Deum, cadit ſub præcepto charitatis, cùm hoc nihil aliud ſit, quàm habere Deum ultimum finem.

Multùm diſcrepat habitualis ille modus omnia ad Deum referendi, quem amplectitur Sirmundus, ab illâ virtuali relatione quam exigit S. Thomas: ille nihil aliud eſt quàm ipſa charitas habitualis, tametſi otioſa & nihil agens, quâ fit ut anima & omnes ejus actus quodammodò ad Deum referri cenſeantur; qui modus ita improprius eſt, ut etiam venialibus peccatis inſit.

At verò virtualiter nemo refert, niſi qui actum primum retulit, à quo tametſi poſteà ceſſet, tamen ille actus virtute quodammodò remanet, quia manet ejus impulſus in opus influens. Plena eſt omnis vita ejuſmodi, ut ita loquar, virtualibus relationibus. Cui iter eſt Romam, etiamſi dum iter quidem ſuſcipit de Româ cogitet, & actualem habeat voluntatem proficiſcendi Romam; tamen in progreſſu, dum iter facit, ſæpe Romæ obliviſcitur: at quia totum iter primi illius actus impulſu peragitur, ideò ſemper eòdem referri dicitur. Ita, ut ſanctioribus utamur exemplis, dum Paulus Euangelium in omnes oras perferebat, de Euangelio, de Deo non ſemper fortè cogitabat: at quia Euangelii & Dei cauſâ tot itinera, tot labores ſuſceperat, quicquid iſtius primæ voluntatis impulſu in progreſſu faciebat, ad eumdem finem, id eſt Deum, & propagationem Euangelii virtute referebatur.

Cùm igitur præcepto charitatis juberi nos fateatur D. Thomas, ut actiones noſtras virtualiter ad Deum referamus, qui modus actualem affectum involvit, ſequitur illum tam à Sirmundi ſenſibus alienum, quàm Sirmundus ipſe à veritate alienus eſt. Totam hanc autem ſancti Thomæ doctrinam ideò ſcrupuloſiùs & minutiùs perpurgavimus, quòd ad eam tanquam ad arcem ſoleant Sirmundi defenſores confugère.

SECTIO VI.

Excutitur Apologiſta Sirmundi defenſor.

Præmiſſâ longiori illâ, ſed neceſſariâ in Sirmundum inquiſitione, juvat nunc breviter hîc repræſentare, quomodò ab Apologiſtâ defenſus ſit. Non enim temerè tam manifeſtæ fraudis exemplum uſquam reperias.

Primùm fruſtra congerit aliorum Jeſuitarum loca, quos non im-

impetit Montaltius, niſi eo nomine, quòd Sirmundi doctrina à quatuor laudata Jeſuitis, ab Apologiſtis Jeſuitarum audaciſſimè defenſa, jam facta eſt totius Societatis, & in omnes redundat Jeſuitas, niſi illam expreſſè rejiciant & damnent. Agitur tamen propriè de Sirmundo, quem aut damnet Societas, aut ſe dum patronam aget Sirmundi, Sirmundi errorum infamiâ aſpergi patiatur.

Deinde forticulum agit, & adverſario *denuntiat nullum ab ipſo proferri poſſe Ieſuitam, qui docuerit amorem Dei non eſſe ad ſalutem neceſſarium, non modò effectivum, ſed & affectivum.* Age, conditio placet: recenſe modò ſuprapoſita Sirmundi loca, & in iis hoc videbis, non ſemel, ſed multoties expreſſum. Ac ne longè abeam, conſule modò pag. 21. & ibi hæc verba reperies: *Diligere actu, ſed non ſemper, proprium eſt perfectorum in terrâ; nec parum fecit qui ſemel hoc in vitâ perfecit,* QUOD ETIAM IN RIGORE ULTRA PRÆCEPTUM ESSET. Si Sirmundus parum eſt, adi etiam illum è veſtris, qui librum Gallicum edidit hoc titulo: *Reliquiæ abbatis ſancti Cygirani*, quem invenies ita locutum. *Non minor eſt temeritas, opinionem probabilem damnare, quàm pravas invehere: perſpicuum eſt autem, etſi in ſcholis valde probetur illa ſententia quæ tradit præcipi cuique ut in vitâ aliquem eliciat charitatis actum, etiam extra periculum moriendi ſine Confeſſione; contrarium tamen eſſe probabile* (id eſt tutum, linguâ Caſuiſticâ) *& certè difficile eſſet ullum caput proferre, unde iſta obligatio defluat. Ipſe S. Thomas agnoſcit primum mandatum non eſſe à cæteris diſtinctum*; quod falſum eſſe ſupra oſtendimus.

Sed quid tu ipſe aliud agis dum ita Sirmundum defendis: *Non deſtruit*, inquis, *doctrina Sirmundi magnum mandatum, niſi tum deſtrui dicatur, cùm eodem modo exponitur, quo ab ipſo Chriſto expoſitum eſt: Qui diligit me, ſermonem meum ſervabit; & quo explicatur à Gerſone.* Ergo tu ipſe approbas explicationem Sirmundi, quâ ex illis Euangelii & Gerſonis locis perperam acceptis, nihil aliud præcipi nobis primo illo mandato contendit, niſi *ut Deum effectu ſolo, ſine intentione & affectu diligamus.* Itaque etiam tu in eorum habendus numero, qui affectum amoris negant ad ſalutem neceſſarium; aut dic quomodò hinc te expedias.

Atenim neceſſitatem amoris agnoſcit Sirmundus his luculentiſſimis verbis: *Præcipitur nobis ſub graviſſimis pœnis, ut amemus Deum incomparabili amore, cujus pretium ſit inæſtimabile; ita ut nihil unquam ipſi æquale habeamus: nec incerti unquam fluctuemus, utrùm ipſi an creaturæ ſerviamus, ac multò magis ut nihil ipſi præferamus, ſed ut ejus voluntati in gravibus cauſis morigeros nos præſtemus.* Itane nos dignos exiſtimas, quos tam rudibus fallaciis illudas, quaſi quis ignoret quis illorum verborum ſit ſenſus, & quid per illum amorem quem præceptum agnoſcit, intelligat? Non enim illo nomine ſignificat verum & interiorem affectum, ſed ſolum opus externum intentione & amore carentem. *Qui alteri*, inquit, *benefacit ſine intentione & affectu, amat effectu, non affectu: qui autem cum intentione, & affectu ſimul & effectu: hoc poſito præcipitur nobis mandato clementi,* (id eſt, ut explicat ipſe, ſine pœna) *amor affectivus: at amor effectivus in ri-*

gore. Ecce quid ſit incomparabilis ille amor quem Deo debitum confitetur, operis externi obſervatio ſine intentione & amore.

Et tamen elatior hoc loco factus Jeſuita inſultabundus ita pergit. *An qui ſic loquitur, amorem Dei ad ſalutem neceſſarium negat?* Breviter reſpondeo: qui ſic loquitur & ſic verba ſua ipſe explicat, prorſus negat amoris præceptum, cùm veri amoris loco fallacem amoris ſimulationem ſubſtituat. Quid poſtea?

Tantùm abeſt Sirmundus, inquit Apologiſta, *ab hâc ſententiâ quæ ipſi tribuitur à Ianſeniſta, ut disertè fateatur actum amoris eſſe neceſſarium neceſſitate medii, quæ gravior eſt quàm neceſſitas præcepti.* Nihilne unquam bona fide Jeſuitæ loquentur? Differit hoc loco Sirmundus utrùm in vitæ fine actus amoris ſit neceſſariò exercendus: ac primùm eorum qui hoc aſſerunt ſententiam dilemmate refellit, mox ad clauſulam illud adjungit. *Adde*, inquit, *quod in ejuſmodi caſibus in quibus moriendum eſſet extra gratiam niſi charitas provideret, eſſet illa quidem neceſſaria neceſſitate medii potiùs quam præcepti.* Ex quibus patet loqui Sirmundum tantùm de eo caſu, in quo aliquis deprehenſus mortis anguſtiis, Confeſſario carens, peccati ſe reum ſentiens, nullam aliam haberet viam recipiendæ gratiæ, quàm charitatis actum. In hoc caſu ſanè neceſſariam fatetur charitatem, non propter ſe, ſed propter abſentiam Confeſſarii: at extra hunc caſum fidenter aſſerit eadem pag. 14. & 15. reum non fore peccati mortalis, nec damnationis æternæ, qui in tota vita nunquam actum interiorem amoris elicuerit.

Loquitur, inquit Apologiſta, tantùm de jure poſitivo, non de naturali quem agnoſcit, & à S. Thoma agnitum fatetur. Hic Jeſuita certè lectores ſuos non homines, ſed ſtipites putat, tam ſupinè, tam ſtultè, tam craſſè mentitur. An ille ſolum præceptum poſitivum amandi deſtruit, naturale relinquit, qui ait ad vitandam damnationem non requiri ut quis vel ſemel in tota vita Deum vero & interiori affectu diligat, & iſtius opinionis S. Thomam autorem facit? Adeat quæſo quiſquis putet aliquid adhuc in Jeſuitis pudoris eſſe, Sirmundi libellum cui titulus, *defenſio* Virtutis, tract. 2. ſect. 1. cap. 3. 4. 5. ac totam ejus *Reſponſionem*, ubi nihil aliud laborat efficere, quam actum interiorem amoris non eſſe neceſſarium ad ſalutem; futurumque ſpondeo ut Jeſuitarum vicem erubeſcat. Interim ſufficient duo loca ex uno cap. 4.

I. *Si dum ad cælum tendimus, tam felices ſumus ut proprio amore penitus devicto Deum actu diligamus pluſquam omnia, ô magnam felicitatem: ſin minùs, modo cæteris præceptis pareamus,* NON DAMNABIT NOS: *hæc ferè Doctoris Angelici oratio eſt.* Et paulò ſupra. *An mortaliter peccant contra hoc præceptum, qui Deum nunquam in vita diligent actu amoris interiori? Non audeo id meopte ingenio definire; at videtur id negare S. Thomas, & id demum ad vitandam damnationem requirere, ut nihil fiat contra ſacram dilectionem, etſi* NUNQUAM IN HAC VITA ACTUS AMORIS EXERCEATUR. Hanc ille ſententiam tribuit S. Thomæ: hanc ipſe ſequentibus capitibus amplectitur: hanc tota ſua Reſponſione defendit, actum amoris

Dei,

Dei, ſeu affectum amoris ad ſalutem neceſſarium non eſſe. *At Sirmundus*, inquit Apologiſta, *alibi fatetur hoc à S. Thoma traditum, ſingulis adultis præcipi ut in primo inſtanti rationis ad Deum ſe amore convertant*: Quàm hoc tacere debuit Apologiſta, ſiquidem honori ſodalis ſui conſultum volebat. Res ita habet. Agnoverat Sirmundus ita ſenſiſſe S. Thomam; præceptum diligendi Dei in primo uſu rationis obligare: ſed ſimul hanc opinionem, quam S. Thomæ eſſe fatetur, ludibundus irridet ita: *Hui*, inquit, *quàm cito?* At duabus pòſt paginis contrà ſenſiſſe ſanctum doctorem affirmat, actum interiorem amoris non eſſe ad ſalutem neceſſarium, vitarique damnationem poſſe ab eo qui nunquam Deum in terra dilexerit. Hîc verò eam quam falsò tribuit S. Thomæ ſententiam non jam irridet, ſed amplectitur; multiſque paginis, ac toto deinceps libro confirmat. Exprobravit Sirmundo hanc inconſtantiam autor brevis illius ſynopſeos errorum Sirmundi; & ex ipſius confeſſione probare voluit S. Thomam agnoviſſe actum amoris ſingulis præcipi, tanquam ad ſalutem neceſſarium. Quid ibi Sirmundus, aut quo pacto inteſtinam Scriptorum ſuorum diſcordiam compoſuit? Ait veram opinionem S. Thomæ eam eſſe quam poſtremò retulerat, nempe *non præcipi actum illum amoris Dei*: at illud verbulum quo videtur hoc præceptum in primo inſtanti rationis agnoviſſe, nec ſibi probatum, nec ſancti Thomæ continere ſententiam; aut ſaltem de amore quodam naturali, non ſupernaturali eſſe intelligendum. Placet hîc totum hunc locum, tametſi longiorem exſcribere, ut quocunque tandem modo Apologiſtam pudefaciam.

Ais, inquit, *agnoviſſe me S. Thomam actum amoris in primo inſtanti præceptum ſenſiſſe. Quid inde efficis? Ne me ipſum quidem exiſtimare ejus fuiſſe ſententiæ S. Thomam, quam jamdudum tractamus, habitum ſcilicet charitatis, non actum præcipi? At ſi verbulo quod obiter dixi fidem habes, cur mihi tot paginis poſtremam illam ſententiam docenti fidem derogas? Quid igitur inde colligis? Non ſenſiſſe S. Thomam? Minimè. At memet mihi eſſe contrarium, id eſt, mecum pugnare? Quaſi verò is ſecum pugnet qui obiter alicujus Scriptoris ſententiam recitat, qualis profertur ab aliis & eidem contrariam ſententiam tribuit, cum ex profeſſo quærit quis verus ſit illius ſenſus. Ergo mecum ipſe non pugno, id enim tantum feci. Videamus an magis S. Thomas ſecum pugnet, & alicubi impeditus hæſerit, qui clarè dixit habitum, non actum amoris præcipi. Dixit, inquis, alibi eos qui rationis uſum attingunt ordinare ſe debere ad debitum finem, nempe Deum. At dixitne id debere fieri actu amoris ſupernaturali? At fortè id voluit dicere. Agis ergo interpretem; videamus quam fidelem. Agitur de puero qui nondum oculos ad fidem aperuit, & tunc primum ad rationem eos incipit aperire: jubet S. Thomas ut in hoc inſtanti ſe ordinet ad debitum finem, cum his duabus reſtrictionibus, ſecundum quod in ea ætate capax eſt diſcretionis, & faciendo quod in ſe eſt. Nihil amplius poſcit. Tu vis hoc ad gratuitam charitatem extendi, actum ſupernaturalem, actum qui fidem ſupponit, quem etiam intelligentiſſimi & cœlitus docti felices ſe deputarent, vel ſemel in vita producere. Itane hoc ſenſit S. Thomas, & tam iniquè de judicio ejus exiſtimari placet,*

placet, ut tanta ei ineptia tribuatur. Adde quòd hæc omnia ex aliorum potius ſententia loquitur quàm ſua. Habes quid reſpondeat Sirmundus, quo ſimul & ſuam indicat, & Apologiſtæ fraudem coarguit; qui id invito Sirmundo obtrudit, quod ille ultro oblatum rejicit, & diſertè inficiatur.

Mitto alia magno numero iſtius Apologiſtæ mendacia, qui ſtudio habuiſſe videtur noſtram in refellendo patientiam delaſſare, lectorum in legendo. Equidem vereor ne bene multis in hoc argumento nimius videar, quos tamen faciliores in me futuros ſpero, ſi cogitarint Catholicæ Religionis ſummam in hac quæſtione verſari, quæ non minimo in periculo erat, ſi Sirmundi doctrinam ipſa fidei ac pietatis fundamenta convellentem, impunè Jeſuitæ tuliſſent. Haud dubiè enim recentiores in illam impietatem denſi & frequentes iviſſent: nunc verò vehementius objurgati, ſi non voluntate, ſaltem metu ſe continebunt.

Nota IV.

Rectè Montaltium Caſuiſtarum de amore divino opiniones riſiſſe.

Poſt inimicum illud divino amori & Chriſtianæ Religioni dogma longiori diſputatione disjectum, qua ſimul impoſtura 28. penitus obtrita eſt, in minutioribus Jeſuitarum querelis breviores erimus, quarum una eſt illa ex qua conficit impoſturam 27. Quòd ſcilicet Montaltius varias Theologorum ſententias de amore divino ab Eſcobario relatas irriſerit, *& ineptias eſſe dixerit, quibus divinam charitatem indignis modis hominum ingenium ludificatur*. Hîc verò gravem iſtis Theologis factam injuriam clamitat Apologiſta, nec quicquam Montaltio audacius, qui Theologos culpet quòd de re omnium graviſſima diſputent: quaſi verò in hoc illos culparet, quòd de amore divino quæſtiones inſtituant, non quòd de illo jejunè, anguſtè, imperitè ſentiant; ſanctiſſimum omnium mandatorum penè ad nihilum redigant, dum ſemel per plures annos præcipi hominibus velint, ut Deum colant, Deum adorent, Deum precentur, quæ ſine aliquo Dei, & quidem ſupernaturali & gratuito amore fieri non poſſe certiſſimum eſt. *Hoc enim totum rectè fit*, inquit Auguſtinus, *quando gratis amatur Deus, qualis amor nobis eſſe non poteſt niſi ex ipſo.*

Cæterùm dum variis locis indicavimus amorem divinum principem & præcipuum locum in corde Chriſtiani obtinere debere, maximam vitæ officiorumque partem ad Deum rapere, nec aliter dominari, quàm in avari corde avaritia, in ambitioſi ambitio dominatur, ſimul omnes illas ineptas ſententias confutavimus, quæ tam iniquam partitionem inſtituunt, ut ex multorum annorum ſpatio, ex tot affectibus quibus interim animum occupari neceſſe eſt, unicum momentum temporis, unicum voluntatis nutum Deo tribuant; reliquum tempus, reliquos affectus creaturæ & cupiditatis concedant.

Cæterùm hîc monitum Lectorem volo, quotieſcunque in hoc adverſus Sirmundum tractatu mentionem feci divini amoris & charitatis

ritatis actus, gratuitum quidem amorem & ſupernaturalem intellexiſſe me, non tamen illum ſignificare voluiſſe amoris & charitatis gradum qui ſine ſacramento juſtificet.

EPISTOLA UNDECIMA AD RR. PATRES JESVITAS.

xv. *Kal. Sept.* 1656.

LUDOVICUS MONTALTIUS RR. PP. *Ieſuitis* S. P. D.

Venerunt in manus meas, Reverendi Patres, varia illa ſcripta quæ meis adverſus Moralem veſtrorum diſciplinam Litteris opponitis. Hîc vos video nil frequentiùs mihi aut invidioſiùs objicere, quàm de veſtris decretis non ſatis me seriò locutum eſſe. Id libelli veſtri omnibus pene verſibus occinunt: in hoc præcipuum cauſæ veſtræ firmamentum locant: denique hoc nomine paſſim in me quaſi in nefarium religionis deriſorem invehuntur.

Inexpectata quidem, optimi Patres, nec minùs iniqua criminatio. Ubinam enim quæſo de rebus Sanctis jocatus ſum? Contractum Mohatra, & Joannis Albani hiſtoriunculam in exemplum affertis. Hæccine vobis ſacra dicuntur? Sic venerandus videtur contractus Mohatra, ut continuò blaſphemus habendus ſit qui de eo minùs honorificè ſit locutus? Sic ſacroſanctæ ſunt Baunii prælectiones, quibus inductus Albanus vos ex veſtris decretis compilavit, ut qui illas luſerint, impietatis rei continuò peragi poſſint. Placet igitur vobis ſcriptorum veſtrorum ſomnia pro fidei dogmatis venditare? Placet hanc illis autoritatem arrogare, ut ipſorum placita non minùs à Religione quàm à ſenſu communi abhorrentia, irrideri à nemine poſſint, quin irriſæ Religionis invidiam ſubeat. Non puduiſſe vos hanc

hanc tam abſurdam criminationem toties iteraſſe? Nec veritos eſſe, ne dum aberrationes veſtras de ridiculo habitas quiritamini, rurſus accuſationis illius irridendæ mihi cauſam daretis? Quid enim facilius, quàm illam in vos retorquere? Quid promptius, quàm omnibus probare, ea demum me librorum veſtrorum loca riſiſſe, quæ verè ridenda verè ridicula eſſent; adeòq; quantùm ab Euangelii ſanctitate abeſt peſtifera veſtrorum doctrina, tantùm me à rebus ſanctis irridendis abfuiſſe.

Multùm intereſt RR. PP. ipſamne Religionem irrideas, an eos qui commentis ſuis Religionem adulterant: Impius ſit qui divinitus tradita veritatis oracula non revereatur, impius contra qui humanæ rationis figmenta non contemnat. Nam, quando in hunc me ſermonem pertrahitis, illud à vobis velim attendi, ut amore & veneratione digna veritas, ſic contemptu & odio dignum eſſe mendacium. Amorem divinæ veritati conciliat eximia ipſius pulchritudo, venerationem auguſta majeſtas: contrà horrorem propria erroris impietas, riſum erroris comes abſurditas parit. Hæc ſemper virorum ſanctitate præſtantium adverſus veritatem, & errorem affectio fuit. Veritatem illi amant, veritatem verentur; totáque illorum ſapientia timore & amore continetur, quorum ille initium, iſte ſapientiæ finis. Iidem in errorem duplici item incitantur animi motu; hinc odio, inde contemptu: nec modò impiorum pravitatem robore coërcent; ſed illorum etiam ſtultitiam ſalibus & jocis amarioribus exagitant.

Fruſtra igitur hoc hominibus perſuaderi poſſe, ſperaſtis, indignum eſſe Chriſtiano errores illudere: quid enim promptius, quàm id & juſtum probare, & Patribus uſitatum; Scripturæ autoritate ac Sanctorum, imò Dei ipſius exemplo conſecratum. Sceleratos & odit & deſpicit Deus. In ipſo mortis eorum articulo, quo miſerabili maximè ſtatu conſtituti ſunt, divina tamen ſapientia furori & ultioni irriſionem in iis æterno ſupplicio addicendis adjungit,

Prov.

Prov. 1. 26. *In interitu*, inquit, *veſtro ridebo & ſubſannabo.* Quid ſancti, quos idem incitat ſpiritus? an aliter erunt adverſus errores animati? *Videbunt juſti*, inquit David, pſal. 51. 8. peccatoris pœnas, *& timebunt*, *& ſuper eum ridebunt.* In eandem quoque ſententiam Beatus Job. *Innocens*, inquit cap. 22. 19. *ſubſannabit eos.*

At illud animadverſione digniſſimum, quæ prima verba in hominem legis ſuæ violatorem iratus intonuit Deus, in iis mordaciſſimam irriſionem ex Patrum ſententiâ reperiri. Nam poſtquam Adamus vanâ adipiſcendæ Dei ſimilitudinis ſpe lactatus, divinam legem infregiſſe non modò obeundæ mortis neceſſitati continuò Scripturâ teſte mancipatus eſt, & ad dignam peccato miſeriam redactus: ſed his inſuper vocibus à Deo irriſus & increpitus eſt: *Ecce Adam factus eſt quaſi unus ex nobis.* Hic verò acerrimus erat ludibrii & irriſionis morſus, ut teſtantur Interpretes, & præcipuè Chryſoſtomus hom. 18. in Geneſ. & 5. in Matth. *Hâc ironiâ*, inquit Rupertus in Geneſ. *Adamus merebatur illudi: ſic enim acriùs*, quàm ſeverâ objurgatione admonebatur ſtultitiæ ſuæ. Addit Hugo in Geneſ. Stultæ ipſius credulitati debitum hoc ironiæ genus, *quæ tum juſta eſt*, inquit, *cum eâ adverſus merentes utimur.*

Ergo & de riſu ſæpè commodiùs homines ab erroribus vocari, perſpicuum eſt, & tunc eum ex juſtitiæ fonte proficiſci? *Vana ſunt enim*, ut ait Jeremias cap. 51. 18. *& riſu digna* quæ à peccantibus fiunt. Hæc illudi adeò impium non eſt, ut id aſſerat Auguſtinus de Verbis Domini ſerm. 22. cap. 8. divinæ eſſe ſapientiæ munus; & propterea fatuas virgines his verbis à ſapientibus irriſas doceat: *Ne fortè non ſufficiat nobis & vobis*, *ite potiùs ad vendentes*, *& emite vobis. Non conſulentium*, inquit, *ſed irridentium eſt iſta reſponſio. Quare irridentium? Quia ſapientes erant, quia ſapientia erat in illis. Non enim ſapientes de ſuo erant, ſed illa in illis erat ſapientia, de quâ ſcriptum eſt: Et ego veſtræ perditioni ſuperridebo.* Hinc adeò divino afflati ſpiritu Prophetæ,

ejuſmo-

ejuſmodi ironias uſurparunt; quod Danielis & Eliæ exempla comprobant. Ne ipſi quidem Chriſti ſermones illis penitus vacant. Nam ille, ut notat Auguſtinus tractat. 12. in Joann. Nicodemi faſtum ejuſmodi irriſione repreſſit. *Tu es magiſter in Iſraël, & hæc ignoras.* Quem in locum Auguſt. O fratres, inquit, *quid putamus Dominum huic magiſtro Iudæorum quaſi inſultare voluiſſe? Noverat Dominus quid agebat, volebat illum naſci ex ſpiritu. Ille magiſterio inflatus erat, & alicujus momenti ſibi eſſe videbatur, quia Doctor erat Iudæorum. Deponit ejus ſuperbiam ut poſſit naſci de ſpiritu: inſultat indocto. Exagitat ſuperbiam hominis: Tu es magiſter in Iſraël, & hæc ignoras? Tanquam diceret: Ecce nihil noſti, Princeps ſuperbe; naſcere ex ſpiritu.* Eodemque modo hunc locum Chryſoſtomus & Cyrillus interpretantur, & ſic ajunt Nicodemum illudi meruiſſe.

Si qui nunc igitur reperiantur, qui magiſtri Chriſtianorum haberi velint, itidem ut Judæorum Nicodemus & Phariſæi; iidemque uſque adeò prima Religionis elementa neſciant, ut iis qui nunquam Deum in vitâ dilexerunt, æternam ſalutem deſpondeant; an qui talium arrogantem illudat inſcitiam, non Chriſti ipſius veſtigiis inſiſtet?

Iſtis ni fallor, ſatis oſtenditur, hominum rideri errores, à diſciplina ſanctorum alienum non eſſe. Aliter nemo pene antiquorum Patrum vacabit crimine. Hoc enim inſtitutum tenuit Hieronymus, Epiſt. 84. 99. & 101. itemque in libris adverſus Jovinianum, Vigilantium, Rufinum, Pelagianos. Hoc Tertullianus in Apologetico adverſus Ethnicorum inſaniam cap. 16. Hoc Auguſtinus de opere Monach. cap. 23. 31. & 32. in Africanos quoſdam Monachos quos comatos appellat. Hoc Irenæus in Gnoſticos. Hoc Bernardus Ep. 236. Hoc ſinguli Patres, Apoſtolos imitati, nobis imitandi: horum enim moribus, horum inſtitutis etiam nunc vivendum eſt, quicquid contrà ſcriptorum veſtrorum novitas obſtrepat.

Ergo illorum paſſibus ingreſſus, labi non metuo. Sed de

de re non obſcurâ nimis multa. Tantùm eximias Tertulliani voces attexam, quibus tota conſilii mei ratio pleniſſimè continetur. *Congreſsionis*, inquit adverſus Valen. c. 6. *luſionem deputa, lector, ante pugnam. Oſtendam, ſed non imprimam vulnera; ſi & videbitur, alicubi materiis ipſis ſatisfiet. Multa ſunt ſic digna revinci, ne gravitate adorentur, vanitati propriè feſtivitas cedit. Congruit & veritati ridere, quia læta; de æmulis ſuis ludere, quia ſecura eſt. Curandum planè ne riſus ejus videatur indignus. Cæterùm ubicunque dignus riſus, officium eſt.* Amabo RR. PP. quis vobis hic Tertulliani locus videtur? Parumne cauſæ noſtræ accommodatus? Adhuc quidem ego vobiſcum proluſi, *oſtendi vulnera, non impreſsi.* Doctorum veſtrorum loca protuli, vix ullâ animadverſione caſtigavi. *Si eſt ut alicubi riſerim; materiæ fuit, non opificis:* Quid enim movendo riſui aptius, quàm ridicula ſociorum veſtrorum ſomnia pro Chriſtianæ Religionis, rei omnium graviſſimæ, præceptis obtruſa. Ingentem primâ fronte expectationem afferunt inſtituta, quæ veſtris Patribus à Chriſto revelata dicuntur. Mox cùm occurrunt hæc decreta: *Poſſe ſacerdotem, licet jam accepto ſtipendio, rurſus pecuniam ab aliis accipere pro ſacrificii parte ſibi propriâ: Liberos ab excommunicatione Religioſos, ſi habitum ad ſaltandum vel furandum dimiſerint, aut ut eant incogniti ad lupanar. Miſſæ audiendæ præcepto ſatisfieri, ſi ſimul quatuor Miſſæ portiones à variis ſacerdotibus audiantur.* In hæc ergo & ſimilia cùm incurritur, quis riſum in tam ineptâ & inopinâ ſpecie teneat? Nihil enim riſum potentiùs movet, quàm cùm magnum aliquid & grave ſperantibus, abſurdum aliquid & minutum præter opinionem objicitur.

Nec illa urbanior ſcribendi ratio opportuna modò, ſed etiam neceſſaria fuit. Nam quî poterant aliter pleraque ſcholæ veſtræ dogmata revinci? An committendum fuit, ut reſponſionis *gravitate*, (quod ait Tertullianus) *adorarentur*, & aliquam conſequerentur autoritatem? Niſi fortè Scripturæ ac Traditionis firmamentis utendum erit, ut per

proditionem inimicum interimere convincatur, qui illum ex inſidiis averſum confodiat: ut emere ſacerdotium arguatur, qui pecuniam dederit tanquam incitamentum ad reſignandum. Quædam igitur ſic rideri digna, ait antiquus ille Eccleſiæ ſcriptor; *quia vanitati propriè cedit feſtivitas.* Cætera quæ ſubjungit, tam bellè in noſtrum argumentum conveniunt, ut jam dubitari nequeat, quin poſſint errores decenter illudi.

Addo etiam RR. PP. rideri poſſe ſalvâ charitate, tametſi violatam charitatem mihi ſæpe in Scriptis veſtris objectetis. Jubet omnino charitas, nonnunquam aberrationes hominum irrideri, ut ab ipſis & rideantur & fugiantur. Inde præclara Auguſtini vox: *Hæc tu miſericorditer irride, ut eis ridenda & fugienda commendes.* Imo jubet etiam ut acerbè & nonnunquam iracundè repellantur ex illâ Nazianzeni ſententiâ: *Habet quoquè ſpiritus manſuetudinis & charitatis ſuam vehementiam, ſuam iracundiam.* Has orationis formas qui veritati detrahit, magno illam præſidio ſpoliat. Unde graviter Auguſtinus lib. 4. de doct. Chriſt. cap. 1. *Cùm per artem*, inquit, *Rhetoricam & vera ſuadeantur & falſa, quis audeat dicere adverſus mendacium in defenſoribus ſuis inermem debere conſiſtere veritatem: ut videlicet illi qui res falſas perſuadere conantur, noverint auditorem vel benevolum, vel intentum, vel docilem proœmio facere; iſti autem non noverint? Illi falſa breviter, apertè, veriſimiliter: & iſti vera ſic narrent, ut audire tædeat, intelligere non pateat, credere poſtremò non libeat? Illi fallacibus argumentis veritatem oppugnent, aſſerant falſitatem: iſti nec vera defendere, nec falſa valeant refutare? Illi animos audientium in errorem moventes, impellenteſque dicendo terreant, contriſtent, exhilarent, exhortentur ardenter: iſti pro veritate lenti frigidique dormitent? Quis ita deſipiat ut hoc ſapiat?*

Niſi iſtam ſequi placeat diſciplinam, quàm multis locis Eccleſiæ utilitates deſeri neceſſe eſt? Liberè jam in eam perniciosiſſima quæque commenta invehentur. Nemo ſibi

licitum putabit, ea vel irriſu in contemptum adducere; vel acri oratione exagitare, ne hinc modeſtiæ, illinc charitati deeſſe videatur.

Licebit igitur Jeſuitis ad vitandam alapam occidendi veniam dare: hunc errorem tam publicum, tam exitioſum publicè convincere non licebit! Impunè illi corruptis judicibus veniam dabunt acceptæ ob faciendam injuſtitiam mercedis tutâ conſcientiâ retinendæ: Theologis adverſus tantam perniciem ne hiſcere quidem fas erit! Licebit Jeſuitis libris cum privilegio regio, cum ſuorum ſuffragiis Theologorum editis, illis qui nunquam Deum amaverint ſalutem polliceri: nemini licebit Chriſtianæ fidei veritatem hoc dogmate penitus convulſam defendere! Omnium ora Jeſuitæ unâ ratiunculâ obſtruent, inſectandis ſuæ Societatis erroribus fraternam violari charitatem, iiſdem irridendis Chriſtianam abjici modeſtiam!

Dubito, RR. PP. an hæc tam abſurda cuiquam probetis. Si tamen aliqui reperti ſint qui iſta ſibi perſuaderi ſinant, & exagitandis veſtris decretis violatam à me charitatem putent, hos rogo ut paulò diligentiùs expendant, unde nam talis in ipſorum animo ſenſus extiterit. Arbitrabuntur illi, ſat ſcio, hunc ex vero zelo proficiſci, qui proximo doleat injuriam fieri. Sed videant, quæſo, numnam aliunde non oriatur. Poteſt enim omnino fieri, ut illum zelum efferat infelix concupiſcentiæ fundus, unde in eos qui ſolutos mores aſtringunt, occulta quædam manet offenſio: atque adeò ne ſe fallant, certa ego afferam ſigna & indicia, ex quibus verum ejus fontem poſſint deprehendere. Dolent Religioſos ignominioſè habitos: quæro an acriùs etiam doleant ignominioſè à Religioſis habitam veritatem? Utrumque ſi doleant, pariterque & Epiſtolis meis & Jeſuitarum doctrinæ ſuccenſeant, fatebor zelum illum ex bono animo, ſed minùs quam par erat erudito poſſe proficiſci; prorſuſque eximendis illorum ſcrupulis ea quæ protuli Patrum & Scripturæ teſtimonia debent ſatis eſſe. At

ſi reprehenſionem ſolum culpant, non autem ea quæ reprehenſa ſunt, non temperabo mihi quin talibus apertè denuntiem, craſſo ipſos & ſupino errore teneri, & cœco penitus impetu ferri. O zelum præpoſterum, qui publica ſcelera carpentibus iraſcitur, ea patrantibus ignoſcit? O novam ac inauditam charitatem, quæ manifeſtos errores exſcindi moleſtè fert, totam iſtis erroribus morum diſciplinam exſcindi non curat! An ſi quod ipſis necis periculum impendeat, ſi poſitæ à ſicariis inſidiæ ſint, has ſibi indicari moleſtè ferant, aut ad eas declinandas de itinere deflectere graventur? An porrò eos de quibus nefarium iſtorum ſicariorum conſilium reſciverint, tanquam charitatis violatores incuſabunt? Quid ſi quis ipſos moneat ne aliquo cibo veſcantur, quòd veneno ſit imbutus; ne in aliquam urbem introëant, quod peſtilentiâ teneatur; an illi ejuſmodi monitoribus ſuccenſebunt?

Undenam igitur in re tam ſimili tam diſſimile judicium? Defici charitate cenſent, qui peſtiferas Religioni ſententias detegunt: contrà charitate deſertos putant, qui vitæ ſuæ vel ſanctitati noxia non detegunt! Inde profectò eſt. Amant illi vitam ſuam; hinc quicquid ad illam retinendam pertinet, gratanter accipiunt: veritatem omnino negligunt, adeòque nec defendere veritatem curant, & refelli mendacia ægrè ferunt.

Tandem igitur ſeriò coram Deo conſiderent, quàm turpem, quàm pernicioſam Eccleſiæ morum doctrinam veſtri ſcriptores paſſim diſſeminent: quàm infinitam & horribilem in Chriſtianorum mores licentiam invehant: quantâ vos audaciâ, quàm pervicaci, quàm violentâ omnia veſtrorum flagitia defendatis. Poſt hæc ſi in iſtas labes inſurgere neminem velint, cæcos ipſos eſſe audacter denuntio, nec minùs miſerè cæcos, quàm vos eſtis. Utriſque adeò vox illa Auguſtini 3. contra Parmenianum cap. 4. peræque formidanda: *Væ cœcis ducentibus, væ cœcis ſequentibus.*

At

At ne quid cauſæ ſubſit, RR. PP. cur hanc opinionem vel foveatis ipſi, vel aliis inſeratis, tametſi pudet me quòd ea Jeſuitas docere compellar, quæ ab ipſis me doceri oportuerat; dicam tamen quibus notis & indiciis ex Patrum doctrinâ internoſcere ſit, utrùm reprehenſio ex amore ac pietate, an odio & impietate naſcatur.

Harum notarum illa princeps eſt. Cum fide ſemper & veritate loquitur pietatis ſpiritus: mendacium & calumnia odii & invidiæ fœtus & arma ſunt. *Splendentia*, inquit Auguſtinus lib. 4. de doct. Chriſt. cap. 28. *& vehementia, ſed rebus veris.* Diaboli agitur ſpiritu qui mendacio utitur, calumniam nulla intentionis directio eximat à noxâ. Innocentium famam falſo crimine turpare non licet, non ſi omnium hominum ſalus hoc redimi pretio poſſit. *Non enim facienda mala ut veniant bona*, inquit Apoſtolus: *nec indiget Deus noſtro mendacio*, ut habetur Job cap. 13. 7. *ut pro eo loquamur* dolos: veritatis enim miniſtros, ut ait Hilarius contra Conſtantium, decet vera proferre.

Itaque hoc verè coram Deo profiteor & teſtor, mori me millies malle, quàm vel tantulùm à veritate deflectere: ideoque curatum à me ſemper diligentiùs non modò locorum veſtrorum ſenſum ne corrumperem, ſed ne illum vel tantulùm exulcerarem. Quamobrem, ſi Hilarii verbis utendum eſt, non injuriâ cum illo dixerim ibid. *Si falſa dicimus, infamis ſit ſermo maledicus. Si verò univerſa hæc manifeſta eſſe oſtendimus, non ſumus extra Apoſtolicam libertatem & modeſtiam, poſt longum hoc ſilentium arguentes.*

Non ſufficit tamen vera dici: non enim continuò dicendum quicquid verum eſt: Hæc demum dicenda quæ proſunt, non quæ lædere poſſunt, prodeſſe non poſſunt. Itaque prima lex eſt, ut vera dicantur; ſecunda, ut prudenter vera dicantur. *Planè enim*, inquit Auguſtinus Epiſtol. 48. *ſemper & mali perſecuti ſunt bonos; & boni perſecuti ſunt malos: illi nocendo per injuſtitiam, illi conſulendo per diſciplinam: illi immaniter, illi temperanter: illi ſervientes cupiditati, illi cha-*

ritati. Sed qui trucidat, non conſiderat quemadmodum laniet: qui autem curat, conſiderat quemadmodum ſecet. In hoc genere quantùm vobis in Epiſtolis meis pepercerim agnoſcent, qui libros veſtros aliquantulum attigerint. Primùm quàm multa veſtrorum loca, quæ vobis acerbiſſima fore ſentiebam, conſultò præterii; tametſi hæc non imprudenter evulgare poteram. Fecerunt id alii viri magni & apprimè Catholici. Ego in me ſeverior fui, in vos benignior. Deinde neminem privatim appetivi, nullius occulta tametſi certò mihi comperta vitia enunciavi. Hoc enim ferè ſemper ſimultatis & odii eſſe noveram, nec unquam id fieri licere, niſi evidentiſſima Eccleſiæ poſcat utilitas. Conſtat igitur in irridendis veſtrorum decretis nihil me adverſus prudentiam peccaſſe; multùmque adeò vobis cauſæ eſt, cur moderationi meæ gratiam habeatis; cur me impotentiæ accuſetis, cauſa nulla eſt.

Tertio loco præcipiunt Patres, ut qui ſales & joci orationi aſpergantur, inſectandis illi tantùm adhibeantur erroribus, non rebus ſanctis in contemptum adducendis. Proprium enim impiæ & ſcurrilis dicacitatis, in res ſacras dicta jacere. Hanc ego criminationem jam depuli. Et certè qui veſtra (ut mihi inſtitutum fuit) tantùm placita recenſeat, vix admodum in illud incidere vitium poteſt.

Poſtremò ut hæc præcepta paucis abſolvam, unum adjungam quod aliorum eſt & principium & finis. Hoc jubemur illis quos acriùs reprehendimus, ſalutem ex animo optare, & preces pro illis Deo offerre, dum eorum vitia nudamus hominibus. Sic enim, ut Auguſtinus ait Epiſt. 5. *benevolentia, ne reddatur malum pro bono, ſemper in voluntate complenda eſt; & tamen agenda ſunt multa etiam cum invitis benignâ quâdam aſperitate plectendis, quorum potiùs utilitati conſulendum eſt quàm voluntati.* Nihil credo in Litteris meis offendetis, quod à me iſtud pro ſalute veſtrâ ſtudium abfuiſſe teſtetur. Itaque eo me erga vos animo fuiſſe ipſa, ſi qua in vobis eſt, perſuadere charitas debet. Ergo cùm

nec

nec hujus præcepti, nec cujuſcunque demum, cui nos alliget charitas, violati convinci poſſim, manifeſtum eſt violatæ charitatis crimen injuriam in me conferri.

Nunc ſi animi causâ quandam vobis exhiberi vultis diſciplinam, in hæc omnia quæ commemoravi præcepta peccantem, veris invidiæ, ſcurrilitatis, odii notis impreſſam, afferam quàm multa volueritis exempla; eaque quò vobis notiora ſint, ex veſtris cuncta ſcriptoribus mutuabor.

Ordiamur ab indignâ & procaci rerum ſanctarum tractatione. Quanta, Deus bone, veſtri in hoc genere peccant, ſive cùm dicaces, aut urbani eſſe volunt; ſive etiam cùm seriò loquuntur: niſi fortè locuples illud fabellarum penu, quod in ſuâ *ægrotorum conſolatione* conſtruxit Binetus Provincialis veſter, aptiſſimum putatis ad homines aliquâ ægritudine affectos, Chriſtianâ, quod illi propoſitum fuit, ratione conſolandos? Quid illa Chriſtianæ pietatis effigies tam profano, tam effœminato ſtylo à Moinio veſtro in ſuo *commodæ devotionis* libro depicta? Nonne contemptum potiùs virtutis, quàm venerationem lectorum animis ingenerat? Totus ejuſdem *picturarum moralium* liber, tum ſtrictâ, tum ſolutâ oratione, nihil aliud quàm animum ſpirat mundi nugis & inanitate tumentem. Dignamne ſacerdote eſſe cenſetis illam ſeptimi libri oden, quam inſcripſit *Pudoris elogium*: quâ oſtendere laborat quicquid pulchrum eſt, vel purpureum eſſe, vel purpureum ſæpe fieri. Hoc ille ad neſcio cujus fœminæ ſolatium ſcribit, quæ identidem rubore ſuffundebatur. Ergo ſingulis ſtrophis aliquid earum rerum quæ in pretio ſunt, purpurea eſſe demonſtrat; roſam, mala granata, labra, linguam; mox ad illas Religioſo prorſus indignas urbanitates, etiam felices illos admiſcet Spiritus qui Dei throno ſemper aſſident, quorum mentio nunquam niſi reverenter à Chriſtianis uſurpanda eſt: ſed verſus ipſos gallicè hîc referri melius eſt.

Les Cherubins ces glorieux
Composez de teſte & de plume,
Que Dieu de ſon Eſprit allume,
Et qu'il eſclaire de ſes yeux.
Ces illuſtres faces volantes
Sont tousjours rouges & brulantes,
Soit du feu de Dieu ſoit du leur;
Et dans leurs flammes mutuelles
Font du mouvement de leurs aiſles
Vn éventail à leur chaleur.
Mais la rougeur éclatte en toy,
DELPHINE, *avec plus d'avantage,*
Quand l'honneur eſt ſur ton viſage
Veſtu de pourpre comme un Roy. &c.

Ad vos refero, R R. P P. de iſtis ſodalis veſtri verſibus quid ſentiendum? An ille Delphinæ rubor cœleſtium ſpirituum ardori, qui nihil aliud eſt quàm charitas, antelatus; & illa flabelli puellaris cum illis alis myſterii plenis comparatio valde vobis Religioſa videtur, illius præſertim ore prolata, qui ſacrum Chriſti quotidie conficit corpus? Scio Moinium hoc unum in iſtis ſecutum, ut ſcitus videretur & urbanus: at hoc illud eſt quod in rebus ſacris facetias captare dicimus. Certè ſi juſta de eo ſententia ferretur, nunquam cenſuram effugeret, tametſi ſe hâc ratione itidem cenſurâ digniſſimâ tueretur: *Sorbonæ nihil eſſe juris in Parnaſſum; & illius tractus errores nec Inquiſitioni nec Cenſuris ſubeſſe*; quaſi extra ſolutam orationem blaſphemum & impium liceret eſſe. At ſaltem hâc exceptione nunquam Cenſorio ſtigmati ſubduci poſſit alter ille Moinii locus: *Illius fluminis aquas, quas propter compoſuerat verſus ſuos, ita fingendis Poëtis aptas, ut nec ſi in aquam benedictam conſecrarentur, poëſeos dæmonem abigere valerent.* Nec ille item Garaſſi veſtri in *Summa capitalium Religionis noſtræ dogmatum* pag. 649. ubi cum hæreſi blaſphemiam conjungens, de myſterio Incarnationis ita loquitur: *Humana perſonalitas,*

verbi

verbi perſonalitati inſerta eſt; & ſuper eâ quaſi ſuper equo collocata. Nec minùs, ut multa alia mittam, impietatis præ ſe fert hic ejuſdem ſcriptoris locus, de ſigno nominis Chriſti, quod vulgò ſic pingitur IHS. *Quidam,* inquit, inde crucem detraxerunt, ac ſolos caracteres retinentes, hoc modo IHS, quemdam inde ſpoliatum Jeſum efformarunt, *un Ieſus devaliſé.*

Sic à vobis divinæ veritati indignis modis illuditur; ſic res ſacræ petulantibus jocis polluuntur, quod perpetuâ lege vetitum eſt: nec minùs illud cum veritate ſemper & prudentiâ loquendi præceptum negligitis. Quid enim in veſtris ſcriptis calumniâ pervulgatius? Quæ Briſacerio veſtro fides, quæ veritatis cura fuit, cùm 4. part. p. 24. negat à ſacris Portus-Regii Virginibus cælitibus preces adhiberi, imaginibus cultum? Quid eo mendacio impudentius fingi poteſt, quod totius urbis oculis quotidie coarguitur? Quid ipſi modeſtiæ ac prudentiæ reliquum fuit, cùm nil illarum Virginum ſanctimoniam & vitæ ſeveritatem reveritus, famam ipſarum indigniſſimè concerpſit, cùm eas appellat *impœnitentes puellas, ſacramentarias, incommunicantes, fatuas virgines, fantaſticas, Calaganicas, & deſperatas, & quicquid libuerit*; totque aliis onerat maledictis, ut ſolenni Archiepiſcopi Pariſienſis Cenſurâ fuerit coërcendus? Quid porrò pudoris ſupererat, cùm inculpatæ vitæ ſacerdotes nefandis criminibus inceſſeret, & 1, part. pag. 21. *novitates ab ipſis in uſum Confeſſionis inductas* objiceret, *ut pulchras & innocentes puellas allectent, tantaque & tam abominanda ab iis ſuſcipi crimina, ut ea præ horrore enuntiare non poſſit?* O temeritatem hominis intolerandam, qui non veretur in viros laudatiſſimos has calumnias jacere, non modò ſine teſte, ſine probatione; ſed ſine colore, & ſine ullo vel tenuiſſimo fuco. Non immorabor hoc loco, pluribus idem argumentum aliquando latiùs perſecuturus. Habeo enim multa quæ vos hâc de re commoneam: ſed quæ jam dixi, in veritatem &

prudentiam quàm flagitiosè peccetis, abundè demonſtrant.

At ſaltem, nam id dicet aliquis, nihil in ultimam Jeſuitæ delinquunt legem; & iis quorum lacerant famam æternam certè ſalutem precantur, nec alius ipſis animus objectari poteſt, niſi quis arcana cordis ſoli Deo nota temerario ſcrutari judicio tentet. Mirum, RR. PP. ſi in hoc quoque vitio teneri poſſitis: poteſtis tamen. Eo enim vos furoris æſtus abripuit, ut pro æternâ adverſariorum veſtrorum damnatione vota conciperetis: eò dementia provexit, ut tam furioſa vota publicaretis: adeò non ſalutem inimicis optaſtis occultè, ut ſupplicium ſempiternum ipſis propalam à Deo petieritis. Teſtis horribilis illius voti Cadomum; teſtis Eccleſia tota, quæ tantum facinus expavit: quod tamen vos majori etiam cumulaſtis, dum diabolicum illud votum editis libris apertè Pariſiis defendiſtis. Non habent jam quò creſcant illa flagitia, indigniſſimis jocis polluta. Myſteriorum ſanctitas, Virgines, ac ſacerdotes infandis calumniis conſciſſi: ac demum pro inimicorum damnatione à vobis vota ſuſcepta! Quid hoc niſi malitiæ faſtigium eſt? Ecquid vos, RR. PP. non aliquis tantorum criminum pudor ſubit? ecquid non advertitis quàm iniquè violatam mihi charitatem objiciatis, cùm nihil dixerim niſi ſummâ cum fide, ſummâ modeſtiâ; nec eâ quâ poteram vehementiâ charitatem calumniis veſtris horrendè violatam vobis exprobraverim.

Poſtremò ut in hujus Epiſtolæ clauſulâ aliam quam mihi quoque intenditis criminationem depellam, hoc quoque mihi vitio datis, ex magno illo locorum quæ retuli numero quædam vobis ab aliis objectata fuiſſe. Sed cur non iſta vobis rurſus ingererem, cùm nil vobis iſta primùm ingeſta profuerint. Quàm multas vobis eruditi Doctores, & tota Pariſienſis Academia doctrinæ veſtræ corruptelas objecit; ſed illorum monitis quid niſi convitia rependerunt veſtri ſodales, Moinius, Cauſſinus, Pinterellus,

Anna-

Annatus? An facti eſtis tantillò cautiores? An flagitioſa illa decreta compreſſiſtis? An temerarios illos ſcriptores coërcuiſtis? An non poſt illas admonitiones tot volumina in Hiſpaniâ, in Galliâ, & in Belgio edidit Eſcobarius? Tot Amicus, Baunius, Cellotius, Bagotius pergunt in dies deteriora in lucem proferre? Quorſum igitur hoc querimini, quòd quæ nunquam abdicaſtis dogmata rùrſus objiciam: quòd nova multa expromam, cuncta derideam? Hæc ſi cujuſmodi ſint attenderitis, ſimul veſtrum dedecus, & inſtituti mei juſtitiam cognoſcetis. Eccui enim non riſum faciat Baunii de incendiario decretum, vel Cellotii de reſtitutione, vel Sanctii pro magis, vel lepida illa deambulatio in campo dum expectatur hoſtis, ab Hurtado inventa, ut ſine duello decertetur; vel blanda illa Baunii verba fœnus abigentia, vel ſimoniæ labes ſubtili flexu mentis vitata, aut mendacii declinatio per callidum illud, modò altâ, modò ſummiſsâ voce loquendi, artificium: ac cætera Doctorum veſtrorum etiam graviſſimorum dogmata? Quid ampliùs requiritur ut veſtram hanc querimoniam penitus depulerim? Quid enim, ut cum Tertulliano loquar, iſtarum opinionum inſulſæ vanitati convenientiùs quàm feſtivitas cedit? At invectæ in mores ex veſtris decretis corruptelæ aliter & ſeveriùs ſpectandæ ſunt, omninoque cum Tertulliano ad Nationes lib. 2. cap. 12. quærere poſſum: *Rideam vanitatem, an exprobrem cæcitatem?* Ego verò hæc & rideri & defleri poſſe cenſeo. *Hæc enim*, ut ait Auguſtinus lib. 20. cont. Fauſt. c. 6. *tolerabiliùs vel ridentur, vel flentur?* Audiatis igitur hoc Scripturæ monitum: *Tempus ridendi, & tempus flendi.* Utinam non in vos hoc proverbiorum dictum conveniat: *Vir ſapiens ſi cum ſtulto contenderit, ſive iraſcatur, ſive rideat, non inveniet requiem.*

IN

IN EPISTOLAM UNDECIMAM
NOTA PRIMA.
De jocis Montaltii.
Quam prudenter ab illo delectum ſit hoc ſcribendi genus.

Jeſuitarum calumniis, quibus priorum litterarum doctrinam & fidem labefactare conati ſunt, accuratâ reſponſione repulſis, in ſequentibus Epiſtolis jam pro ſuis ipſum Litteris pugnantem ſequemur Montaltium;&vix quicquam adverſariis ne quidem ad cavillandum relinquentem. Mirum itaq; quàm Jeſuitæ hic infirmi ác jejuni ſint:quàm ſæpe rationum inopes,ad convitia & calumnias excurrant! Quæro in totâ illorum reſponſione ad Epiſtolam undecimam quid refellam; vix quicquam occurrit quod non riſu potiùs quàm confutatione dignum ſit. Concedunt impia dogmata piè nonnunquam à Patribus irriſa, quod unum efficere vult totâ hac Epiſtolâ Montaltius.Negant eo numero habenda ſuorum decreta:ergo eò redit controverſia, utrùm impiæ ſint illæCaſuiſtarum opiniones, quas ipſe inſectatur. Ita quicquid adverſus illa dogmata ſequentibus Epiſtolis diſputat; quicquid nos in his notis diſputavimus, dum impia probat, ridenda convincit.

Verum ſi quando Jeſuitarum tumor & elatio patuit, hîc illuſtribus maximè indiciis erupit. In turpiſſimis ipſos & quâvis dignis increpatione doctrinæ flagitiis deprehenſos, urbaniſſimis jocis perſtringere ſat habuerat Montaltius: hîc illi qui ſecum benigniſſimè actum eſſe exiſtimare debuerant, impotenter efferri, jactari, furere; nunc rabida convitia, nunc horrendas calumnias in adverſarios conferre; nunc apertè populos ad arma concitare, & tantùm non faces plebeculæ ſufficere ad incendendas illorum ædes; nunc contrà pueriliter lamentari; & de urbani joci leviſſimis morſibus, quaſi de acerbiſſimis cruciatibus muliebres & indecoros ejulatus edere.

Teſtis illa furialis *Caſuiſtarum Apologia,* quæ cùm ubique cædem, ſanguinem,incendia ſpiret,ubi ad illas facetias ventum eſt,plus quam puerilcs ploratus emittit. *Eſt aliquod*, inquit, *exilio equuleo patibulo tormentum acerbius.Non minus gravem tulere cruciatum illi melle inuncti Martyres, & poſt veſparum aculeis expoſiti, quàm multi alii qui atrociora in ſpeciem, & ideò plus miſericordiæ afferentia ſupplicia perpeſſi ſunt. Horum Martyrum tormentum aliquâ parte referunt quæ à mordacibus Regii Portus ſalibus pertulere. Vſi ſunt enim illorum carnifices ad ipſos cruciandos venenato melle crudeliſſimæ urbanitatis; & ſic ipſos cruentis maledicentiæ aculeis compungendos dederunt. Nec dubito quin olim Martyribus exilia tortorumque crudelitas tolerabilior fuerit illâ ſolitudine, quam hac in cauſa Societas inter acerbos iſtos jocos experta eſt.*

Hui quis hunc puerulum pulicis morſum tam flebiliter gementem, cruſtulis à fletu compeſcat? Poteratne apertiùs ridiculum Societatis tumorem prodere, infirmitatem confiteri? Verùm ex

his

his Jeſuitarum queſtibus perſpici vel maximè poteſt, quàm alto & ſagaci conſilio genus hoc ſcribendi blandum & facetum Montaltius elegerit, cùm in quovis pro ea qua pollet facultate poſſet excellere. Sic prorſus iſti homines tractandi erant. Præcipuus eorum morbus ſuperbia eſt: nihil autem ſuperbiam validiùs dejicit quàm irriſio. Cùm impotentia ipſis, cùm crudelitas, cùm oppreſſa injuſto dominatu Eccleſia, cùm decepta illorum adulationibus innumerabilis hominum multitudo, cùm favor apud Reges malis artibus quæſitus, cùm calumniis occupatus ſummi Pontificis animus exprobratur, nonnihil in iſtis accuſationibus ſibi placent, & in hâc injuſtæ licet potentiæ ſpecie ſibi blandiuntur. At verò præ tumore nihil minùs quàm ridiculi eſſe volunt. Hoc ergo quò maximè indigebant, curationis genus jure Montaltius arripuit: hàc quà recuſabant, quà dolebant, medicum illud ferrum exegit. Clamores illi & ululatus ulceris quod curandum ſuſcepit magnitudinem oſtendunt, & talis remedii neceſſitatem.

Verùm ut medebatur ille Jeſuitis, non autem Jeſuitas ulciſcebatur; ſic jocorum ſuorum, ſic reprehenſionum aculeos temperavit, ut nihil in iis non modò falſum, ſed ne nimium quidem reperire ſit. Cuncta prudenti circumſpectione librata: nuſquam pro morbidis ſanæ reſectæ ſunt partes: nuſquam altiùs quàm oportebat ferrum adactum eſt, ut in ſimilibus cauſis faciendum monet Genevenſis Antiſtes. Introduct. ad piet. Nullum in his litteris æſtu abrepti animi indicium; nihil inconſideratum; nihil à rebus alienum: ſed mira quædam verborum cum rebus conſenſio.

Itaque malè & injuſtè de iis ſentit, qui Montaltium putat id unum ſtudio habuiſſe, ut riſus de Jeſuitis excitaret, ac populorum animos ingenioſis ſcriptionibus detineret: gravius omnino ſanctiuſque ejus conſilium, Jeſuitarum & Eccleſiæ utilitatem unicè ſpectans. Non enim minùs ipſis, quàm toti Eccleſiæ pernicioſæ ſunt illæ corruptelæ, quæ ex ipſorum Doctoribus manarunt: utriſque ergo cùm inſervire vellet, opportuniſſimam ad hunc finem delegit viam. Vidit præ ſeculi faſtidio graviora ſcripta in paucorum verſari manibus, & interim Jeſuiticas opiniones latiùs in dies ſerpere. Ergo illud eligendum fuit ſcribendi genus, quod etiam incurioſos novitate, arte, ingenio, urbanitate alliceret. Sic ille animos omnium in ſe convertit. Sic unus homunculus cum totâ Jeſuitarum potentiâ certavit invictus, & ab illis triſtes illos ejulatus expreſſit, non magis doloris quàm elationis ſuæ teſtes. Nec verò quæſitis arte ſalibus id conſecutus eſt; ſed tantùm Jeſuitarum dogmatis eo modo prodendis, qui illorum abſurditatem nudaret lectoribus: ut hoc tantùm cum illo poſſint expoſtulare Jeſuitæ, quòd quanta ſuis ſcriptoribus in effutiendis ineptiis, tanta illi fuerit in iis effingendis felicitas.

Nota

Nota II.

Nunquam de Roſario jocatus Montaltius. Meritò gratiam ſufficientem in abſtracto irriſit.

Impios eſſe jocos Montaltii, quia Roſarium irriſit & gratiam ſufficientem, invidioſè Apologiſta Jeſuitarum pag. 199. ſeditioſè Caſuiſtarum patronus pag. 132. contendit. Breviter reſpondeo in utroque ipſos calumniari. Nunquam precationes illas, quas Roſarium vocant, irriſit Montaltius, quod ſine impietate fieri nequit: nuſquam hoc in totâ Epiſtolâ 9. reperies. Verùm eos irriſit & inſectatus eſt, qui hominibus in flagitiis permanentibus, propter externa quædam pietatis in Beatam Virginem officia, certam ſalutis ſpem afferunt. Sed de hoc quidem argumento latè diſputavimus in notis ad iſtam Epiſtolam.

De gratiâ ſufficiente iterum ſcientes fallunt. Gratiam non illuſit ille; nomen ſufficientis gratiæ toti antiquitati omnibuſque antiquis Scholaſticis ignotum hactenus illuſit, quatenus illud cùm diverſo ſenſu à Moliniſtis & Thomiſtis acciperetur, explicari utrique nolebant, & hâc verbuli æquivocatione opprimendi Arnaldi viam ſibi parabant: & certè nihil magis ridendum, quam gratia ſufficiens in genere, quatenus abſtrahit à Thomiſtarum & Moliniſtarum notione; quippe quæ nihil ſit omnino præter ſonum: nam ſecretis æquivoci verbi ſpecialibus notionibus, nihil remanet in medio præter ſonum. Dominicanos autem quoſdam cum Jeſuitis in hoc non explicandi hujus verbi conſilio conjunctos, quod leviter perſtrinxit, id qui in iſtius Ordinis contumeliam trahet, non ille Montaltii malignitatem redarguet, ſed indicabit ſuam.

Nota III.

Arma Moinii Jeſuitæ rubiginoſa, patientia ſuſpecta Garaßi ſententia impietatis arguitur.

Pag. 202. Moinii patientiam commendat Jeſuitarum Apologiſta: arma minitatur ad defendendum illud pudoris elogium, & Delphinæ ſuæ ruborem cum Seraphim ardore collatum. Et tamen ille bonus Pater nondùm arma diſtrinxit, patientiam ſecutus, ſed in Jeſuitis valde ſuſpectam. nam qui tot noxia flagitioſè defendant, eorum quæ aliquâ ratione defendi poſſent patrocinium prætermiſſuri non videntur. In Garaſſo fortiorem ſe præbet Apologiſta. *De Garaſſo* inquit p. 203. *ſatisfaciam, qui ſcurrilitatem cum hæreſi conjunxiſſe arguitur, quod ita ſcripſerit: Humana perſonalitas Verbi, Verbi perſonalitati inſerta eſt, & ſuper ea quaſi equo collocata.*

Hîc primùm ſtudioſè à ſodali ſuo ſuſpicionem hæreſeos amovet; quia, inquit, *aliàs ſcripſit Garaſſus amiſſam naturæ humanæ perſonam, ſolamque Verbi divini remanere hypoſtaſim.*

Verùm longè errat Apologiſta: neutiquam hæc reſponſio ſatisfacit.

cit.

cit. Nunquam enim putavit Montaltius Garaſſum verè fuiſſe Neſtorianum : illud putavit, ipſum turbidum & incogitantem manifeſtè Neſtorii hæreſim cum impio joco hâc in periodo per imprudentiam conjunxiſſe. Hoc verò ita manifeſtum ; ut prorſus nullo fuco poſſit occuli: ait enim *hominis perſonalitatem, Verbi perſonalitati tanquam jumento ſuperimpoſitam.*

Quod autem ſancti Paulini loco Garaſſi locutionem purgare nititur, in eo item graviſſimè labitur, & turpiter Paulini locum adulterat, ut facilè oſtendi poteſt. Solitum Patribus Samaritani parabolam, qui peregrinum ſaucium à Levita & Sacerdote neglectum, impoſuit in jumentum, de Chriſto exponere, qui homines lapſos, quos lex curare non potuerat, aſſumptâ carne curavit, & eorum delicta in carne portavit. Sic Aug. in Pſal. 125. *Curavit nos, levavit nos in jumentum ſuum, hoc eſt in carne ſua.* ſic in tract. 20. in Joan. *Quibus loquebatur, præſens eis erat; ſed formam ſervi videbant: formam autem Dei non videbant: per jumentum ad ſtabulum ducebantur curandi, ſed ſanati videbunt.* Idem lib. 2. qu. Euang. qu. 19. *Iumentum ejus eſt caro,* inquit; *ad nos venire dignatus eſt : imponi jumento, eſt ipſam Incarnationem Chriſti credere.* Et Autor Hypognoſt. lib. 3. *Impoſuit illum in jumentum ſuum, in adjutorium videlicet gratiæ; quia ſicut ſcriptum eſt, hic peccata noſtra portavit, & pro nobis doluit.*

In eamdem ſententiam loquitur Paulinus Epiſt. 4. *Spoliatos nos,* inquit, *Zabuli latrocinio, & vulneratos in via prætererat frater in Levita, frater in ſacerdote, quos lex nec ſacrificiis redemerat; ſed non præterivit ille Samarites, qui propter nos hujus etiam nominis ſuſcepit injuriam. Hic hominem ſaucium prætermiſſum à præviis miſeratus acceſſit, & jumento ſuo, hoc eſt Verbi Incarnatione ſuſcepit.*

Facilè cernunt omnes, nil ſimile eſſe inter Garaſſi & Paulini locutiones. Ait Paulinus hominem ſaucium, id eſt, homines peccatores; eorumque delicta carni à Verbo aſſumptæ, tanquam jumento impoſita. Ait Garaſſus perſonam humanam Verbo divino tanquam equo ſuperimpoſitam. Hic ipſum verbum divinum equo comparatur; ibi tantùm humanitas. Quanquam etiamſi Paulinus de ipſâ divinâ naturâ hoc verbum interpretatus eſſet, longiſſimè tamen à Garaſſi periodo abhorreret ipſius locus. Aliud eſt enim parabolam explicare, aliud verba contumelioſa in Deum ſine expreſſâ parabolæ ſignificatione conferre. Ipſe Chriſtus ſe furis imagine in Euangelio expreſſit, qui incogitantibus hominibus ſupervenit; nec quicquam impietatis habet in hoc Euangelii loco interpretando dicere, per furem illum intelligi Chriſtum. At ſimpliciter, nec indicata parabola Chriſtum furem dicere, apertè impium & irreligioſum eſt. Ita de Garaſſi locutione ſentiendum eſt, qui de rebus diviniſſimis, non ex Scriptura parabolas, ſed de mulionum ſermone tantis indigna myſteriis verba mutuatus eſt.

EPISTOLA DVODECIMA
AD
RR. PP. IESVITAS.

5. Idus Sept. 1656.

Tædebat me, Reverendi Patres, tam diu in ſcriptis veſtris tanquam impium, ſcurram, indoctum, hiſtrionem, ſycophantam, calumniatorem, fraudulentum, perſonatum Calviniſtam, Molinæi diſcipulum, legione dæmonum obſeſſum, & quovis dignum opprobrio traduci. Itaque ſcriptorum veſtrorum petulantiam vobiſcum expoſtulare, & cur tot in me maledicta conjicerent, omninò aperire decreveram. Nam has de me ſuſpiciones nollem in hominum animis inſidere. Ecce tibi cùm calumniæ vos ac fraudis poſtulare adornarem, reſponſiones veſtras accepi, quibus eorumdem arceſſor criminum. Hoc mihi mutandi conſilii cauſam attulit, ac defenſoris partes impoſuit, cùm actoris obire deſtinaſſem. Nec tamen prorſus à propoſito diſcedam, RR. PP. Nam vos in longè pluribus iiſque certis tenebo calumniis, quàm falſæ mihi à vobis objectæ ſunt. Et certè, ſi eſt verè dicendum, calumniæ ſuſpicioni aliquanto propiores eſtis, quàm ego ſim. Quid enim minùs veriſimile, quàm ut ipſe cum tanto concertans corpore, & ſolus, & humanis ſubſidiis deſertiſſimus, uno quo niti poſſum, veritatis ac fidei abjecto præſidio, commiſerim ut calumniæ convinci poſſim, ac ſic ſalutem meam in apertum diſcrimen projecerim. Mendacia in facti quæſtionibus, quales noſtræ ſunt, nimis facilè detegas. Non deeſſent qui me in jus ducerent, nec accuſatoribus meis juſtum de me ſupplicium negaretur. Melior veſtra conditio, RR. PP. quibuſcunque placet maledictis impunè me figitis: neminem habeo cujus adverſum vos opem inclamem. Etſi ergo non aliæ cauſæ me ad id hortarentur, tamen

men ex mearum veſtrarumq; rationum diſſimilitudine ſatis intelligo, quàm mihi vigilandum ſit, ne quid imprudens ruam. Vos tamen non ſegniùs in me, tanquam in notiſſimum ſycophantam debacchamini. Reſiſtendum eſt igitur, ut video: ſed ad id rurſus veſtra decreta ante omnium oculos expandi, & ſubtiliùs explicari neceſſe eſt, in quo calliditatem veſtram nonnihil requiro. In finibus veſtris ac veſtro ſumptu geritur bellum. Quanquam autem involvendis quæſtionibus ſcholaſticarum vocum barbarie tam longas, tam obſcuras, tam ſpinoſas fore reſponſiones putaviſtis, ut ſenſim contentiones iſtæ ſordeſcerent, non ita fortaſſe ut ſperaſtis futurum reor. Nam quoad ejus fieri poterit, in hoc ſcribendi genere, veſtro conſulam tædio ac faſtidio. Habent Jeſuitica placita joculare quiddam, quod lectores ſemper jucundè moratur: memineritis modò impulſu veſtro in hoc me ſtadiũ deſcendiſſe: jam videamus utri in eo ſtent meliùs.

Primam calumniam repetitis ex Vaſqueſii ſententiâ de eleemoſynâ. Hanc cum bonâ quidem veniâ veſtrâ primùm explanabo, ne qua in diſputatione noſtrâ ambiguitatis caligo ſuperſit. Notum eſt, RR. PP. ex Eccleſiæ mente eleemoſynæ faciendæ duo eſſe præcepta. Altero ſuperflua in vulgaribus pauperum neceſſitatibus jubemur erogare: altero etiam neceſſaria in extremis pauperum miſeriis elargiri. Hoc docet poſt ſanctum Thomam Cajetanus, quem vos imperitè pro Vaſqueſio profertis. Itaque ut quæ Vaſqueſii mens fuerit demonſtretur, videndum quid ille de neceſſariis largiendis ſenſerit, quid de ſuperfluis. Atque illam quidem de ſuperfluis eleemoſynam unicâ ille ſententiâ, quam in Litteris meis retuli, planiſſimè ſuſtulit. *Laici*, inquit, *poſſunt de bonis patrimonialibus ſervare ad ſtatum ſuum vel conſanguineorum mutandum: & tunc illud non dicitur ſuperfluum. Unde vix in ſecularibus invenies, etiam in Regibus ſuperfluum ſtatui.* Hâc definitione conſtitutâ cerni licet, neminem qui ambitione non vacet, habiturum ſuperflua: ſic in maximâ hominum parte jacet eleemoſynæ

faciendæ præceptum. Sed facite quibuſdam tamen nonnulla ſuperfluere, illos etiam eleemoſynæ præcepto ſolvit Vaſqueſius in ſolitis pauperum neceſſitatibus, & aliter ſentientes caſtigat. En illius verba ex opuſc. de eleemoſ. cap. 1. d. 4. num. 32. *Cùm quis habet ſuperfluum ſtatus, ſentit Corduba, quòd etiamſi non ſint neceſſitates urgentes, tenetur communiter aliquid egentibus tribuere, ut ſaltem in aliquo præceptum impleatur, nec in totum omittatur: ſed hoc non placet; ſupra enim contra Cajetanum & Navarrum contrarium probavimus.* Itaque, RR. PP. quoniam ita placuit Vaſqueſio, hujus eleemoſynæ mandatum funditus deletum eſt.

Videamus illam de neceſſariis opibus eleemoſynam, quam in urgentibus & extremis pauperum neceſſitatibus fieri convenit; de quâ hoc dicere habeo, ſi ſpectentur illæ conditiones ſine quibus hujuſmodi obligatio ex Vaſqueſio non conſtat, fieri poſſe non difficilè, ut eorum qui Pariſiis degunt ditiſſimos nunquam in totâ vitâ premat largiendæ eleemoſynæ præceptum.

Duas tantum ex illis afferam. Prima eſt, *ut certum ſit pauperi neminem alium ſubventurum: hæc intelligo*, inquit n. 28. *& cætera omnia, quando ſcio nullum alium opem laturum.* Ad vos jam refero, optimi Patres, crebrone continget Pariſiis, in quâ urbe tot ſunt beneficentiſſimæ perſonæ, ut noſſe quis poſſit, pauperi in quem incurrit neminem alium opem laturum. At ſi illa cognitio defuerit, poterit Autore Vaſqueſio nullâ re ſublevatus rejici.

Altera conditio eſt, *ut iſti miſero vel mors jamjam impendeat, vel famæ jactura*, ut habet idem num. 24. & 26. Infrequens certè caſus & inuſitatus, vel ex eo patet quod ait Vaſqueſius num. 4. pauperem hoc loco poſitum, in quo dives eleemoſynæ ipſi erogandæ præcepto aſtringitur, tutâ conſcientiâ de bonis divitis ſibi poſſe ſurripere quod ſatis eſt. Itaque vel hunc eleemoſynæ dandæ caſum rariſſimum eſſe neceſſe eſt; aut ſi placet eum frequentem eſſe, ſequitur ut frequenter pauperibus liceat divites compilare. Ergo

ero-

erogandæ de ſuperfluis eleemoſynæ mandato, unde uſitata pauperum ſubſidia profluunt, penitus extincto, tunc ſolùm divitibus ſublevandorum pauperum legem indicit, cùm pauperibus permittit ut divitum bona diripiant. Hæc illa eſt Vaſqueſii doctrina, ad quam erudiendos ad liberalitatem lectores remittitis.

Jam ad veſtras venio calumnias. Primùm quò pertinuit longâ oratione à Vaſqueſio injunctas Eccleſiaſticis eleemoſynas probare? Non enim hoc caput attigeram: attingam tamen cùm volueritis; ſed non id nunc agitur. De laïcis, quorum tantùm quæſtio vertitur, hoc innuere videmini, ex Cajetani ſenſu, non ex ſuo locutum eſſe, Vaſqueſium. Sed cùm hoc nil apertiùs falſum, nec id clarè elocuti ſitis, dabimus honori veſtro, ut id vos dicere voluiſſe non putemus.

Mox magnos in eo clamores & querelas editis, quòd ex illis Vaſqueſii verbis: *unde vix in ſecularibus invenies, etiam in Regibus ſuperfluum ſtatui*, effici vix unquam divites erogandæ eleemoſynæ lege teneri. Quid vobis vultis, RR. PP. ſi vix unquam ſuperflua divitibus ſuppetunt, quid clarius quàm ipſos vix unquam ſuperflui largiendi lege urgeri? Facilè id ſyllogiſmo concluderem, ni Diana, cui *Vaſqueſius ingeniorum eſt phœnix*, id jam antè ex eo Vaſqueſii loco concluſiſſet. *Licet*, inquit, *opinio affirmativa eſſet vera; tamen in praxi nunquam, aut rariùs eveniet. Nam, ut ait Vaſquez, Laici poſſunt de bonis patrimonialibus ſervare ad ſtatum ſuum vel conſanguineorum mutandum. Hæc Vaſquez. Quæ quidem*, inquit, *Confeſſariis divitum multùm plauſibilia erunt.*

Dianam in explicando Vaſqueſio mihi præiviſſe palam eſt. Quid igitur iſtuc monſtri eſt, RR. PP. cùm Vaſqueſii ſententiam ita commemorat Diana, ut eam commendet, ut probabilem judicet, ut divitibus & eorum *Confeſſariis plauſibilem* dicat, nec ſycophanta, nec falſarius eſt, nec quicquam ille vobis affingit. At cùm ego eundem prorſus refero Vaſqueſii locum, nec ſimul ipſum *ingeniorum phœni-*

cem appello, continuò ſycophanta, calumniator, ſententiarum veſtrarum contortor audio. Nimis, nimis apertè animum veſtrum & intimos ſenſus prodit & indicat iſta perverſitas. Quid enim tandem eſt, cur eorum qui ſcriptorum veſtrorum ſententias eâdem fide, non eâdem approbatione referunt, alios tam benignè, alios tam contumelioſè accipitis, niſi quòd ita fert Societatis veſtræ gloria & potentia, quam tueri unicè vobis propoſitum eſt? Hinc enim quandiu flexibilis veſtra Theologia, prudens quædam attemperatio cenſetur, nec illius defugitis autoritatem, nec eam vulgantibus ſuccenſetis, imò ipſis tanquam conſiliorum veſtrorum adjutoribus gratulamini. At ſi quis illam tanquam peſtiferam diſſolutionem inceſſat, tunc eâdem Societatis veſtræ utilitate compulſi, jam illam veſtram eſſe pernegatis, quòd apud homines ipſam vobis fraudi eſſe perſpicitis. Itaque eadem nunc agnoſcitis, nunc abdicatis, non ex immotæ præſcripto veritatis; ſed ex variâ temporis ratione, ad amuſſim vetus illud dictum implentes: *Omnia pro tempore, nihil pro veritate.*

Caveatis iſta Patres, ſi ſapitis: at ne me alienam Vaſqueſio ſententiam tribuiſſe inſimuletis, idem ſcitote ex ſuo illo dogmate diſertis verbis conſectarium ab ipſo Vaſqueſio derivatum, de Eleem. cap. 1. num. 27. *Vix aliquis*, inquit, *tenetur, aut ſecundum opinionem Cajetani, aut ſecundum noſtram, ad eleemoſynam, quando tantùm tenetur ex ſuperfluo ſtatus.* Ergo ipſi ſaltem Vaſqueſio credite, accuratè mentem ipſius à me expreſſam; illudque videte, quo pacto tutâ conſcientiâ jactaveritis, ſi ipſe conſulatur Vaſqueſius, fore ut prorſus contraria his quæ ex ipſo retuleram dogmate lector offenderet.

Poſtremò illud potiſſimùm venditatis, ita Vaſqueſium divitibus largiendi ſuperflui onus non imponere, ut erogandi etiam neceſſarii legem ipſis indictam ſtatuat: ſed quas ad illam obligationem conditiones requirat, ſedulò prætermittitis. Has ego ſuperiùs retuli, & illis ad nihilum redigi

erogandæ

erogandæ eleemoſynæ præceptum oſtendi. At vos quibus Vaſqueſii doctrinam fucare, non explicare propoſitum fuit, generatim affirmatis, ex Vaſqueſii ſententiâ erogandi etiam neceſſarii lege divites teneri. Nimium iſtuc eſt, optimi Patres: non tam ſevera eſt Euangelii norma: error iſte planè fuerit, ſed cujus nullomodò Vaſqueſius affinis: ut vitioſam ejus indulgentiam occultetis, vitioſam ipſi adſcribitis ſeveritatem, atque ita vobis in ejus exponendo ſenſu abrogatis fidem. Sed ejuſmodi reprehenſionem omnino non meretur, cùm tam diſertè docuerit divites nec juſtitiæ, nec charitatis lege erogare vel ſuperflua vel neceſſaria juberi in communibus pauperum neceſſitatibus; neceſſaria verò iis tantùm occaſionibus ex præcepto largienda, ut illæ vix aut ferè nunquam incidant.

Nihil præthereà objicitis. Reſtat illud demonſtrandum, quàm falſò Vaſqueſium Cajetano rigidiorem eſſe prædicetis. Nil factu proclivius. Ipſe enim Vaſqueſius de Eleem. cap. 1. his verbis Cajetani ſententiam exponit: *Arbitratur Cajetanus quòd ſola ſuperfluitas obligat ad elargiendum eleemoſynas pauperibus, non tamen aliquibus determinatis, niſi extremè indigentibus, aliis autem indeterminatè, ut placuerit habenti ſuperfluum.* Audiendus præthereà ipſe Cardinalis in 2. 2. quæſt. 118. art. 4. *Dives*, inquit, *non diſpenſans ſuperflua, ſed cumulans ad emendum ſibi dominium ex ſolâ aſcendendi libidine, non ſolùm illicitè agit propter libidinem dominandi, & inordinatum amorem pecuniæ; ſed mortaliter peccat contra proximorum indigentiam, occupando ſuperflua quæ pauperibus debentur ex hoc ipſo quod ſuperflua ſunt.*

Itaque pro eo quod à Diana dicitur, Vaſqueſii ſententiam divitibus, & eorum Confeſſariis opportuniſſimam fore, Cajetanus contrà, cui ejuſmodi ſolatii copia non erat, cap. 6. de eleem. ita loquitur: *Quòd ſi mihi illud objeceris, quod ſcilicet divitum Confeſſiones audiri non poſſent, & Confeſſores damnationem incurrerent; audi Dominum Ieſum Chriſtum in Euangelio divitibus dicentem: Facilius eſt camelum tranſire*

 per

per foramen acus, quàm divitem intrare in regnum cœlorum. Confeſſoribus autem: Si cœcus cœco ducatum præbeat, ambo in foveam cadunt. Adeò arctum hujus legis eſſe nexum putat! Et verò quod hîc docet, omnes ante illum Patres, tanquam certiſſimum dogma tradiderant. Nec modò Patres, ſed & S. Thomas *Aliquis*, inquit 2. 2. quæſt. 118. art. 4. ad 2. *tenetur ex debito legali bona ſua pauperibus erogare, vel propter periculum neceſſitatis, vel etiam propter ſuperfluitatem habitorum.* Et quæſt. 87. art. 1. ad 4. *Tertiæ verò decimæ, quas cum pauperibus comedere debebant, in novâ lege augentur, per hoc quod Dominus non ſolùm decimam partem, ſed omnia ſuperflua pauperibus jubet exhiberi, ſecundum illud Lucæ* 11. *Quod ſupereſt date eleemoſynam. Ipſæ etiam decimæ quæ miniſtris Eccleſiæ dantur, per eos debent in uſus pauperum diſpenſari.*

Et tamen Vaſqueſio placet, ne ſuperfluorum quidem partem ex Chriſti præcepto dandam eſſe: ita in divites obſequens, in pauperes durus eſt: ita ab hoc Chriſtianæ liberalitatis & charitatis ſenſu abhorret, quo dulceſcunt illæ Magni Gregorii voces, Reg. Paſt. pag. 3. ad 22. ſeculi divitibus tam acerbæ. *Cùm qualibet neceſſaria indigentibus miniſtramus, ſua illis reddimus, non noſtra largimur: juſtitiæ debitum potiùs ſolvimus, quàm miſericordiæ opus implemus.*

Hoc pacto viri ſancti locupletibus præcipiebant ut pauperes de terrenis bonis participarent, ſi cæleſtium cum ipſis participes eſſe vellent. Quantùm inter veſtrum & illorum inſtitutum intereſt, RR. PP. Vos hominum ambitionem decretis veſtris vehementiùs incenditis: vos avaritiam fovetis; quarum alterâ fit ut non habeantur ſuperflua; alterâ, ut non erogentur.

Unum ſanctis contrà ſtudium fuit, ut homines ad ſuperfluorum largitionem hortarentur, ac multa ipſis ſuperflua ſuppetere docerent, ſi res neceſſarias non cupiditate metirentur, quæ modum neſcit; ſed pietate judicarent, quæ neceſſitates ingenioſe contrahit, ut ſibi ſuperſit quod in

officia liberalitatis effundat. *Multa ſuperflua habemus*, inquit Auguſtinus in pſal. 147. *ſi nonniſi neceſſaria teneamus. Nam ſi inania quæramus, nihil ſufficit. Fratres, quærite quod ſufficit operi Dei, non quod ſufficit cupiditati veſtræ. Cupiditas veſtra non eſt opus Dei: corpus veſtrum, anima veſtra, hoc totum opus Dei.... Superflua divitum, neceſſaria ſunt pauperum: res alienæ poßidentur, cùm ſuperflua poßidentur.*

Quàm vellem, RR. PP. ut iſta non tantùm ad purgationem meam, levis iſte fuerit fructus, ſed multò magis etiam ad earum, quibus referti ſunt Caſuiſtæ veſtri, corruptelarum cognitionem vobis & horrorem inſerendum valerent, ut in ſanctis Euangelii legibus, ex quibus omnes judicabimur, conſentientem omnes ſenſum haberemus.

Secundum calumniarum veſtrarum caput in Simoniâ verſatur, de quâ quid ſentiatis priùs explanandum cenſeo; mox ad accuſationes veſtras veniemus. Hîc vos quodammodò colliſos ſenſiſtis inter Eccleſiæ Canonas, qui in Simoniacos acerbiſſimas pœnas conſtituunt, & multorum avaritiam, qui deteſtandâ illâ ſacrorum nundinatione abſterreri non poſſunt. Ex iſtis anguſtiis ſolitâ vos methodo emerſiſtis: res ipſas quas expetunt conceſſiſtis hominibus, externam Deo ſpeciem & verba reliquiſtis. Quid enim ſimoniaci volunt, niſi ut pecuniam accipiant ab iis quibus ſacerdotia conferunt? Hoc vos Simoniæ vitio liberaviſtis. At quia maneat oportet Simoniæ nomen, eique ſubjiciatur aliqua notio qualiſcunque, ad id imaginarium quoddam ſimulachrum delectum eſt, quod nuſquam in Simoniacorum mentem incidit, nec ad illorum propoſitum quicquam conducit; ſcilicet *ut temporale pluris aut tanti æſtimetur, quàm ipſum ſpirituale.* Quis enim res ita disjunctas, ita genere diſcrepantes inter ſe conferat. Et tamen modò ne metaphyſica illa inſtituatur comparatio, tribui pro pecuniâ Sacerdotium ſine Simoniâ poteſt.

Sic vobis dum hominum cupidinibus indulgeatis, tota Religio ludus eſt. Videte enim quantâ gravitate Valentia

veſter ſomnia ſua proferat loco in litteris citato t. 3. diſ. 6. qu. 16. pag. 3. pag. 2044. *Dupliciter*, inquit, *poteſt quis conferre ſpirituale propter temporale, principaliter & tanquam propter finem. Vno modo ſi temporale æſtimet pluris quàm ipſum ſpirituale; & tunc omnino committit talis ſimoniam. Altero modo poteſt quis conferre ſpirituale propter temporale principaliter tanquam propter finem, ita ut temporale apud eum non ſit finis ipſius rei ſpiritualis; quaſi temporale pluris ab eo quàm ſpirituale æſtimetur: ſed tantummodò voluntatis ſive applicationis animi ad actum conferendi ſpirituale: & hoc non eſt ſimonia.* Et infra. *Cùm petitur temporale pro ſpirituali, non tanquam pretium debitum ex juſtitiâ, ſed tanquam finis applicationis animi ad conferendum ſpirituale, minimè erit ſimonia, etiamſi principaliter intendatur & expectetur.*

Eadem eſt Sanctii veſtri divinatio, ut refert Eſcobarius tract. 6. Exam. 2. num. 40. *Temporale*, inquit, *datur non tanquam pretium rei ſpiritualis; ſed vel ante collationem ad excitandum animum collatoris, vel poſteà gratitudinis ergo; an ſimonia? Sanchez Opuſc. t. 2. lib. 2. cap. 3. d. 23. num. 7. negat.* Idem docent Theſes Cadomenſes. *Non eſt improbabile quod multi Catholici docent, non eſſe ſimoniam dare temporale pro ſpirituali, ſi non detur ut pretium.*

Tanneri, de quo litem movetis, doctrina prorſus Valentiæ doctrinæ ſimilis eſt. Porrò quàm injuſtè quòd eam ſancto Thomæ conſonam negarim, ægrè tuleritis, ex ipſiuſmet Tanneri confeſſione patebit. Habemus enim in eo Tannerum ipſum aſſentientem loco in Epiſtolâ citato, qui ſic habet; *Reſpondetur verè & propriè Simoniam non eſſe, niſi quando temporale accipitur tanquam pretium rei ſpiritualis, vel contrà: quod nimirum fit quando ſpirituale pro temporali commutatur, tanquam pro æquali, ſecundum exiſtimationem commutantis; ita ut per contractum juſtitiæ res ſpiritualis pro temporali commutatur Quando verò datur ſpirituale propter temporale, vel contrà, ſolùm tanquam propter motivum, aut ſolùm ex gratitudine, & per aliquam compenſationem gratuitam, non*

accidit ſimonia, ſaltem in foro conſcientiæ. Quod tamen non obſtat quominùs in caſibus à jure expreßis incurratur ſimonia, ſive ea quam juris poſitivi ſuperiùs diximus, ſive ſecundum præſumptionem externi fori.

Reſpondetur 2. id etiam ad modum explicatum procedere, tametſi temporale ſit principale motivum dandi ſpiritale, imò etiamſi ſit finis ipſius rei ſpiritualis, ſic ut illud pluris æſtimetur quàm res ſpiritualis. Ita docent Sotus &c. etſi CONTRARIUM DIXISSE VIDEATUR SANCTUS THOMAS *&c. qui abſolutè aſſerit ſimoniam eſſe conferre ſpirituale propter temporale.*

Hæc veſtra eſt de ſimoniâ doctrina, à ſcriptorum veſtrorum clariſſimis magno conſenſu tradita: mirum enim quàm accuratè alii aliorum veſtigia premant. Nunc veſtræ calumniæ diluendæ ſunt. De Valentia ſiletis; itaque talis haberi debet illius ſenſus, qualis à me expoſitus eſt. Tannerum vindicare vultis, ejus mente ſic explicatâ, quaſi in his caſibus ſimoniam tantùm juris divini negaverit: hinc iſta verba *juris divini* per fraudem à me omiſſa ſignificatis. Sani non eſtis, R R. P P. hæc verba, ſimonia *juris divini* nunquam omnino in hoc loco fuerunt. Negat eſſe ſimoniam in foro conſcientiæ Tannerus, juris illius divini non meminit. Additis, ſubjicere Tannerum ſic incurri ſimoniam juris poſitivi. Multùm etiam erratis, Patres: non id generatim affirmat Tannerus, *ſed in caſibus tantùm à jure expreßis*, ut loquitur hoc loco; quæ exceptio quædam eſt ſuperioris ſententiæ, in quâ temporale pro ſpirituali tanquam motivum dari, ſimoniam in foro conſcientiæ eſſe negat: quibus verbis tam ſimoniam juris poſitivi, quàm divini removerat: niſi fortè vobis Tannerum ſic impium libet fingere, ut ſimoniam juris poſitivi, in foro conſcientiæ ſimoniam non eſſe cenſuerit. At vos deditâ operâ ejuſmodi vulgò ignota verba, *juris poſitivi*, *juris divini*, *juris naturalis, fori interioris & exterioris*, *caſuum à jure expreſſorum*, *præſumptionis externæ* frequentatis, ut in hâc caligine

veſtigia aberrationum veſtrarum intervertatis. Nunquam tamen iſtis mihi argutiis elabemini. Ita vos præciſis quæſtionibus concluſos tenebo, ut nullus diſtinctiuncularum veſtrarum uſus futurus ſit.

Quæro igitur, amotis illis verbis, *præſumptionis externæ, fori exterioris*, an ex Doctoribus veſtris ſimoniæ quis labem ſuſcipiat, qui ſacerdotium ex quo redeant in annum quatuor libellarum millia, alicui contulerit, & ab eo decem millia libellarum numeratâ pecuniâ acceperit, non tanquam beneficii pretium, ſed tanquam motivum ad conferendum? Mittite ambages, claram mihi reſponſionem dari volo. Agite, Patres; quid ex veſtris ſcriptoribus ſtatuendum eſt? Quid aliud Tannerus reſpondeat, niſi non eſſe ſimoniam in foro conſcientiæ; quia temporale datur tanquam motivum, non tanquam pretium beneficii. Idem Valentia, idem Cadomenſes Jeſuitæ, idem Sanctius, idem Eſcobarius ſanciet: eâdem omnes ratione utentur. Quid ampliùs requiritur ut qui ſic ſacerdotio donatus ſit, ſimoniæ nota liberetur? Ecquid enim vos, quidquid demum privatim ſentiatis, hunc hominem ſimoniæ in pœnitentiæ tribunali damnare audeatis? Non ille vobis os continuò opprimet; & tot gravium Doctorum, quorum placita ſecutus ſit, nominibus obruet? Date igitur ejuſmodi hominibus ſimoniæ immunitatem à veſtris eſſe conceſſam, ac illorum ſi poteſtis doctrinam defendite.

Sic tractari controverſias decet, ſi quis eas explicatas velit: vos quibus rem implicare ſtudium eſt, vel ſcholaſticis ipſas verbis involvitis, vel ſtatum quæſtionis immutatis: quâ fallaciâ poſtrema veſtra criminatio conſtat. *Tannerus* (id vos objicitis) *hanc commutationem rei ſpiritualis pro temporali, grave peccatum eſſe declarat: quam circumſtantiam, quâ plenè*, ut vobis videtur, *purgatur Tannerus, à me prætermiſſam querimini.* Sed perperam & injuriâ, R R. P P. ac multis quidem modis. Nam ut verum ſit quod objicitis, tamen quo loco Tanneri mentionem feci, non id

id agebatur, utrùm iſta commutatio eſſet peccatum, ſed utrum eſſet ſimonia. At hæ quæſtiones longè inter ſe diſſident: peccata ut eluantur, ſolam requirunt ex Doctoribus veſtris Confeſſionem; ſimonia reſtitutionis onus affert: Multi ſunt R R. P P. quibus disjuncta videantur. Nam artes quidem excogitaſtis, quibus de Confeſſione omnis ferè moleſtia detracta eſt: at nihil adhuc inveniſtis quo reſtitutio dulcis fieret. Addo inſuper caſum illum quem peccati Tannerus damnat, non in eo duntaxat ſitum, ut pro temporali ſpirituale detur quaſi pro *principali motivo*; ſed ad illum inſuper requiri, ut ſpirituale temporali poſthabeatur. Atque hic eſt imaginarius ille caſus, de quo dudum locuti ſumus; nec malè hunc peccato Tannerus onerat: nam vecors & perditè ſceleſtus ſit, qui ut peccati labem effugiat, ab illarum rerum, quarum alteram pro alterâ ſummutari licet, pretio conferendo abſtinere detrectet. Quin etiam Valentia loco citato, cujus ſententiam ſequi ſe Tannerus profitetur, id excutiens; utrùm peccet qui pro temporali tanquam principali motivo ſpirituale conferat; allatis eorum qui peccare ſtatuunt rationibus, ſubjecit ex ſuâ mente: *Sed hoc non videtur mihi ſatis certum.* At veſter Erardus Billius, Moralis Theologiæ Cadomi Profeſſor, quia opiniones probabiles diuturnitate matureſcunt, ne peccare quidem talem definivit in ſcriptis ſuis anno 1644. quæ doctiſſimâ & notiſſimâ oratione confutavit D. Duprè Doctor & Profeſſor Cadomenſis. Fatetur Billius Valentiæ doctrinam à Milhardo traditam, & à Sorbonâ damnatam, à communi Theologorum ſenſu alienam, ſimoniæ in multis ſuſpectam eſſe, & à judicibus cùm deprehenditur graviter plecti: pugnat nihilominùs illam opinionem eſſe probabilem, id eſt, tutam in conſcientiâ, nec peccati nec ſimoniæ affinem. *Concludimus ſextò non eſſe improbabile quod multi Doctores Catholici volunt, non eſſe ullam ſimoniam nec peccatum, dare pecuniam vel aliud quid temporale pro beneficio, vel titulo gratitudinis antidorali, vel ut motivum*

ſine

ſine quo non daretur Beneficium: modò non detur ut Beneficio æquale pretium.

Impleviſtis certè, RR. PP. omnium vota. Nam ex veſtris decretis tam rarum erit ſimoniæ vitium, ut jam ab illo poſſit facilè defendi vel ipſe Simon magus, qui emere Spiritum ſanctum voluit, in quo eorum qui ſimoniam emptione contrahunt, geſſit effigiem; vel Gieſi, qui pro miraculo popoſcit argentum, & ſic ſimoniacè vendentes expreſſit. Neque enim Simon, ut habetur in Actis, cùm Apoſtolis pro ipſorum impetrandâ potentiâ argentum obtulit, vendendi aut emendi, vel pretii verbis uſus eſt: hoc dempto cùm cætera ex vobis ſimoniâ vacent, ſi veſtra fuiſſet imbutus diſciplinâ intentatum ſibi à Petro facilè depuliſſet anathema: eademque inſcitia Gieſi fraudi fuit, cùm ab Elizæo leprâ percuſſus eſt. Nam cùm ei Naaman gratiam tantùm relaturus, non divinum miraculum pretio compenſaturus, duo illa talenta tribuiſſet, poterat jure Elizæum ad reſtituendam ſibi ſanitatem cogere ſub lethalis peccati pœnâ, tot gravium Doctorum fretus autoritate, qui Confeſſariis in ſimili cauſâ præcipiunt, ut pœnitentes abſolvant, & animi liberent leprâ, quam illa corporis tantùm adumbrabat.

Quàm facilè, RR. PP. poteram hîc de vobis riſum excitare? Certè cur vos in iſtud detis periculum neſcio. Mihi enim tantùm afferenda eſſent alia ſcriptorum veſtrorum loca, qualis eſt ille Eſcobarii in praxi circa materiam de ſimoniâ ex Societatis Jeſu Doctoribus.

Quæſierim, inquit tr. 6. Ex. 2. n. 44. *Si vocales cujuſdam Religionis conveniant inter ſe: elige me in Provincialem aut Generalem, & te eligam in Abbatem aut Priorem, ſimoniæ ſint rei? aliqui aſſeruerunt, putantes prælaturas beneficiorum nomine afferri. At Sanchez negat prælaturas eſſe beneficia in eo rigore, ut nomine beneficii in lege hâc pœnali comprehendi cenſendæ ſint.*

Idem n. 14. *Simonia ficta committitur, dum quis exteriùs rem*

rem ſpiritualem pro temporali promittit, vel rem temporalem pro ſpirituali, abſque animo tradendi, vel ſe obligandi ad rem ipſam tradendam: & hæc non eſt verè ſimonia, ſicut fictum aurum non eſt aurum. Scilicet hoc callido commento Eſcobarius efficit, ut dum ſimonia fraude cumuletur, ſine ſimoniâ & pecuniâ ſacerdotium habeatur. Sed pluribus iſtud exequi non eſt otium. Jam enim tertium veſtrarum calumniarum caput propulſandum eſt omnium pinguiſſimum. Quid enim abſurdius R R. PP. quàm in me tanquam in manifeſtum ſycophantam invehi, propter quandam Leſſii ſententiam, quam meo nomine non attuli, ſed Eſcobarii qui hanc loco à me citato commemorat. Demus igitur ut à Leſſii mente aberraverit Eſcobarius, quid injuſtius quàm id mihi vitio verti? Cùm meo nomine Leſſium ac cæteros ſcriptores veſtros profero, hoc ego præſtare non defugio: verùm hîc non ita ſe res habet. In unum corpus viginti quatuor Jeſuitarum ſententias contulit Eſcobarius: quæro num aliud mihi negotii ſit quàm Eſcobarii loca cum fide recenſere; an etiam quæcunque Eſcobarius ex aliis affert, mihi præſtanda cenſeatis. Abhorret id prorſus à ratione, R R. P. P. & tamen illud eſt quod hîc vertitur. Iſtum ego Eſcobarii locum ad verbum extuli ex tr. 3. Ex. 2. n. 163. *Rogo an cedens bonis tutâ conſcientiâ poſſit ſibi ac familiæ ſuæ, ne indecorè vivat, neceſſaria retinere? Cùm Leſſio aſſero poſſe; quod quidem eſt verum, licet debita pro quibus cedit, ſint ex injuſtitiâ & notorio delicto contracta, quamvis tunc non poſſit tantùm quantùm aliàs ſibi retinere.* Hîc vos aliter ſentire Leſſium opponitis. At videte quæſo quem in locum vos demittatis. Nam ſi cum Eſcobario ſentit Leſſius, calumniatores audietis qui hoc negaſtis tam confidenter: ſin autem diſſentiat, ipſe Eſcobarius in calumniâ tenebitur. Itaque abeſſe non poteſt quin aliquis ex Societate calumniæ ſit reus. Horribile ſcandalum. Sed vos quæ ante pedes ſunt modò videtis, rerum conſecutiones non proſpicitis. Satis eſt vobis ſi probra in homines congeratis, in

quos

quos illa recidant nihil laboratis. Quin vos de hoc nodo Eſcobarium curaſtis fieri certiorem antequam vulgaretur, planè ille vobis ſatisfeciſſet: non tam difficilè à Valliſſoleto huc nuntii commeant. Ibi eſt, & quidem, quod lætamur, integrâ valetudine; ac magnam illam Theologiam Moralem ſex tomis comprehenſam abſolvit; de quorum primo nonnulla habeo quæ vobiſcum ſuo loco conferam. Ad eum decem priores Litteræ miſſæ ſunt, veſter item ſcrupulus ad ipſum mitti facilè potuit, faciliùs etiam ab ipſo diſſolvi. Legerat enim, opinor, apud Leſſium hunc locum, ex quo ſuum illud, *ne indecorè vivat*, mutuatus eſt; quem vos l.2.c.16.n.45. invenire & legere poteſtis. *Idem colligitur*, inquit, *apertè ex juribus citatis, maximè quoad ea bona quæ poſt ceſſionem acquirit, de quibus etiam is qui debitor eſt ex delicto, poteſt retinere quantum neceſſarium eſt ut pro ſuâ conditione non indecorè vivat. Petes an leges id permittant de bonis quæ tempore inſtantis ceſſionis habebat? Ita videtur colligi ex* D.L. *qui bonis &c. quod eſt æquitati conſentaneum in debitore qui abſque ſuâ culpâ non eſt ſolvendo, licet debitor ſit ex delicto. Nam ut ait idem Leſſius n.*42. *non tenetur debitor ſe ſpoliare neceſſariis alimentis, ita ut cogatur mendicare; ſed poteſt ea retinere quæ ſpectatâ conditione ſuæ perſonæ & eorum quos alere tenetur, judicio prudentis cenſentur neceſſaria: idque verum eſt, etiamſi debeat ex delicto, ut idem Navarrus docet, quamvis ſi delictum ſit notorium, ut ſi ſciatur iniquis modis opes collegiſſe, non tantum retinere poſſit, quantùm ſi ex contractu deberet, & caſu aliquo in grande infortunium incidiſſet.*

Non oſtendam hoc loco Leſſium ad ſuum illud decretum ſtabiliendum legibus turpiter abuti, quæ ſolum decoctoribus victum concedunt, non autem ſumptus ut non indecorè vivant. Satis eſt ab Eſcobario iniquam hanc criminationem depuliſſe; hoc fecimus, & in eo pluſquàm jure exigi potuerat præſtitimus. At vos officium veſtrum non facitis, R R. P P. Nam allato Eſcobarii loco reſpondendum fuerat, in cujus decretis hoc ineſt commodi, quòd

cùm nec ex antecedentibus, nec ex conſequentibus pendeant, ſed brevibus concluſiunculis comprehendantur, diſtinctiunculis veſtris difficiliùs eluduntur: Locum ejus integrum deſcripſi. Hoc permittitur illis qui bonis cedunt, ut ex iis tametſi ex delicto partis, retineant quod neceſſarium eſt ne indecorè vivant: quâ abſurditate commotus erupi in has voces: *Quo tandem novo & inuſitato genere charitatis hæc bona potiùs raptoribus, quàm legitimis dominis tribuitis.* Hic nodus vobis eſt diſſolvendus, qui vos, R R. P P. arctiùs premit. Sed fruſtra detorquendâ quæſtione, aliiſque Leſſii locis quæ nihil ad rem attineant, congerendis hinc ſperatis emergere. Urgeo enim, & apertam à vobis reſponſionem efflagito. Poſſuntne decoctores Eſcobarii ſententiam tutâ conſcientiâ ſequi? Hîc vos quid reſpondeatis attendite. Si poſſe negetis, quid tam gravi Doctore, quid probabilitatis doctrinâ fiet? Si poſſe dixeritis, ad Supremum ſenatum vos remitto. Præſtat vos in hoc luto relinquere: nam ſequentem ingredi calumniam modus Litterarùm mearum non patitur. Inde ordietur ſequens Epiſtola; deinceps reliquæ confutabuntur.

Nihil hîc ad illas propudioſis mendaciis refertas admonitiones reponam, quas ſingulis calumniis veſtris ſubjungitis; omnes confertim ea Epiſtola retundet, quæ veſtrarum calumniarum fontem indicabit. Veſtri me miſeret, R R. P P. quibus nullum niſi in tam pudendis remediis perfugium eſt. Nec convitiis veſtris noſtra controverſia dirimetur; nec minis mea in veritatis defenſione frangetur conſtantia. Vobis vim & impunitatem adeſſe confiditis; mihi veritatem, mihi juſtitiam adeſſe confido. Nihil eâ pugnâ pertinacius, nihil diuturnius, in quâ cum violentiâ veritas conflictatur. Nihil veritatem infringit violentiæ impetus, ſed illuſtrat potiùs. Nihil violentiam reprimit veritatis ſplendor, ſed potiùs incitat. Si confligant viribus vires, valentioribus cedunt infirmiores: ſi rationes rationibus pugnent, fucatas & mendaces veræ ac ſolidæ diſcutiunt

tiunt atque diſpellunt. At nihil in veritatem violentia, nihil in violentiam veritas valet. Nec tamen hæc paria eſſe quiſquam putet. Summum enim hoc diſcrimen intereſt: violentia certos fines habet, divinâ ipſi providentiâ præſtitutos, quæ cuncta ejus molimina in veritatis quam impetit, gloriam vertit. Manet in æternum veritas, & de cunctis tandem adverſariis ſuis triumphat. Deus enim veritas; & ideò Dei potentiam, Dei æternitatem habet.

IN DVODECIMAM EPISTOLAM

NOTA PRIMA.

SIVE

Confutatio Ieſuiticæ Epiſtolæ adverſus ſuperiorem editæ.

MONITUM.

Sequens Epiſtola ab ignoto ſcriptore in vulgus emiſſa eſt inter Epiſtolas 12. *&* 13. *ut quaſdam Ieſuitarum offutias diſcuteret, in quibus ſi moraretur Montaltius, in publica commoda peccaviſſet. Illa quidem longè ab aliarum laudibus abeſt, cùm in ſalebroſa materia tota occupetur: non tamen ſuo pretio, ſua utilitate caret. Itaque nos potiùs quàm alias in* 12. *Epiſtolam notas ederemus, illam hic notarum loco Latinè redditam inſerere maluimus.*

Quiſquis es tandem qui Jeſuitis ſubſidio veniſti, & Litteris Jeſuiticæ doctrinæ flagitia nudantibus obſtrepis; tu quidem pro eo quod præ te fers juvandæ Societatis ſtudio, ejus infirmitatem bene cognitam videris habuiſſe: nec in hoc judicium culpatur tuum. At veniam non merebere, ſi Jeſuiticæ cauſæ ruinas erigi poſſe exiſtimaſti. Libet de te ſentire commodiùs, prorſuſque mihi perſuadeo nihil aliud te voluiſſe, niſi ut Montaltium noſtrum aliò abduceres. Non tamen ita cecidit ut volueras: omnium jam manibus, quod mirifice lætor, teritur decima-tertia ejus Provincialis Epiſtola; nec tamen adhuc tuas in undecimam & duodecimam cavillationes refellere ſtuduit: imò ne de te quidem videtur cogitaſſe: nec magis, ſpero, reliquas ſcriptiunculas tuas curabit, quamquam ſi voluiſſet, ut te, Deus bone, poterat calfacere. Viden' ut totam Societatem agat & verſet? quid ſi in te unum vertiſſet impetum? Quid ille in te potuerit, ex eâ ratione conjice quâ tuas in duodecimam Epiſtolam offucias ipſe diſcutiam.

Imprimis veſtra vobis convicia relinquam, his ſe reſponſurum promiſit Montaltius: liberabit fidem, ne dubita; efficietque ut te & Jeſuitas

Jeſuitas petulantiæ ſuæ & pudeat & pœniteat. Quid enim facilius quàm homines privatos pro merito contundere, qui nefario auſu ſibi Eccleſiæ autoritatem arrogant, ut inimicos ſuos, à quorum juſtiſſimis accuſationibus decreta ſua defendi non poſſe perſpiciunt, tanquam hæreticos inſectentur. Sed hæc illum manet opera; ego mihi tantum hoc ſumpſi, ut novas quas illis Caſuiſtis purgandis adhibes calumnias revincam.

Primus veniat in medium Vaſqueſius, cujus perverſam de eleemoſynâ doctrinam multis ejus locis allatis detegit Montaltius. Ad hæc cùm nihil reſpondere habeas, ad alia digrederis, ipſumque Montaltium in quatuor capitibus falſi poſtulas, quorum primum elicis ex Vaſqueſii loco in Sexta Epiſtolâ citato, è quo quereris, hæc verba ab illo avulſa eſſe, *ſtatum quem licitè poſſunt acquirere*; *idque ab ipſo tametſi admonito diſſimulatum.* Potin' es mihi verum dicere? Hæc verba eo loci extare, Jeſuitis tuis nonne credidiſti? At ſi ſciſſes nuſquam ibi reperiri, non tu certè Montaltio crimini dediſſes, quòd tam inanem criminationem neglexerit, ſed Jeſuitis graviter ſuccenſuiſſes, quos hoc objectare non puduit. Quamobrem impoſterum minùs ipſis fidas cenſeo; nimis illi te ſæpe in fraudem conjicerent. Propriis potiùs oculis inſpice locum illum Vaſqueſii à Montaltio laudatum, quem invenies Tractatu de eleemoſyna c. 4. n. 14. At eorum quæ detraxiſſe dicitur verborum, ne veſtigium quidem ibi reperies; habentur enim quindecim ſupra paginis. Hoc comperto, cum Jeſuitis credo de tam inſulſâ illorum querelâ expoſtulabis. Nam hæc ſi valeret, jubendus fuerat Montaltius ut in octo pagellarum epiſtolâ, in qua triginta aut quadraginta ſcriptorum teſtimonia recenſet, quindecim grandium paginarum loca deſcriberet. Hoc tu ſatis cernis quàm ſit iniquum.

Quò pertinent igitur hæc verba, niſi ut vos manifeſtæ calumniæ reos peragant? Nec magis illa ad purgandum Vaſqueſium faciunt. Accuſatus eſt ille Euangelici de ſuperfluis erogandis præcepti funditus everſi, quòd hoc dogma poſuerit: *Laïcos poſſe de bonis patrimonialibus ſervare ad ſtatum ſuum vel conſanguineorum mutandum, & tunc illud non dici ſuperfluum: unde vix in ſecularibus inveniri, etiam in Regibus ſuperfluum ſtatui.* Hâc poſtrema clauſula Evangelicum de eleemoſyna danda mandatum planiſſimè deletur. Nam ſi nunquàm ulli adſint ſuperflua, conſequens eſt nullam de his largiendis legem eſſe. Hoc ſi ſcriptor Epiſtolarum ipſe collegiſſet, erat aliquis querendi color, minùs hoc rectè ex Vaſqueſii doctrina deductum: at hoc fecit ipſe Vaſqueſius. Sunt enim hæc illius verba, ab Euangelicæ legis animo prodigialiter abhorrentia: *Vnde vix in ſecularibus invenies, etiam in Regibus ſuperfluum ſtatui.* Ejuſdem Vaſqueſii eſt poſtrema illa concluſio quam Montaltio retulit: *Vix aliquis tenetur, aut ſecundum opinionem Cajetani, aut ſecundum noſtram ad eleemoſynam, quando tenetur ex ſuperfluo ſtatus.* Et quod mirere, eodem loci legitur, quo veſtra illa tantopere decantata verba cernuntur: ſtatum quem licitè poſſunt acquirere: quibus iſtud conſectarium amovere ſtudetis.

Quid juvat igitur in ſuperfluorum definitione cavillari, cùm negare non poſſis ex eâ effeciſſe Vaſqueſium, vix unquam illâ largiendi ſuperflui lege divites urgeri; quaſi non hoc ad abolendam illam Euangelii legem ſufficeret. Ergo Vaſqueſii certiſſimum crimen tenemus, quod ſi ipſe non rectè ex ſuâ doctrinâ derivavit, errori adjunxit ſtultitiam; nec magis ipſe extra culpam eſt, nec legem Euangelicam minùs evertit. Verùm inſuper ex cavillationum tuarum confutatione dilucefcet, pravas illas conſecutiones ex perverſâ ipſius doctrinâ neceſſariò fluere, & ita Vaſqueſium tantùm ab Euangelii, non etiam à rationis legibus deſciviſſe.

Secundæ falſitatis loco illud affers, hæc verba; *ſtatum quem licitè poſſunt acquirere:* malo à Montaltio, etiam poſtquam admonitus eſt, animo prætermiſſa, ut Vaſqueſii doctrinam ad pernicioſam illam ſententiam contorqueret, *quicumque ambitione non caret, carere ſuperfluis.* Hanc tuam querelam poſſem verbo præcidere; nil enim abſurdius: nunquam id ex doctrinâ Vaſqueſii malè concluſum Jeſuitæ queſti ſunt. Satin igitur ſanus es, qui id diſſimulatum à Montaltio querare quod nullus objecerat. At ſi tu plus cernere tibi vidêris, quàm tota Societas, ſubinanem illam elationem tuam, tanto corpori injurioſam dejicere non erit difficile. Ecquid enim negabis ex eo Vaſqueſii dogmate, *ſuperfluum non dici quod ad ſtatum ſuum vel conſanguineorum mutandum laïci ſervant*, id neceſſariò ſequi, cui non deſit ambitio, ei ſemper defutura ſuperflua. Addas licet quod alio loco habet, *hanc pecuniam non ad quemlibet uſum ſervandam, ſed tantùm ut ad* ſtatum quem licitè poſſunt acquirere perveniant: non minùs inde efficietur, ambitioſis nulla unquam adeſſe ſuperflua, quod tu falſò ex doctrinâ Vaſqueſii effici pugnas.

Sunt quidem nonnulli divites, quos ad ampliorem fortunam aſſurgere non eſt nefas. Id enim ſuadere poteſt publica ſalus & utilitas, modò non tam privatum honorem, privata commoda, quàm Dei honorem & publica commoda conſectentur. At nihil rarius, quàm ut Chriſti ſpiritus, ſine quo, ut canit Eccleſia, *innoxium nihil eſt*, ejuſmodi deſideria ſeculi divitibus immittat. Longè citiùs ipſis perſuadet ut de illo pondere, quo tardatur curſus ipſorum in cœlum, aliquid in dies detrahant: citiùs illos hâc Euangelicâ ſententiâ terret: *Qui ſe humiliat exaltabitur.* Itaque illa amplioris fortunæ vota, quæ pro ſe, aut pro conſanguineis plerique omnes divites fovent, non aliunde ut plurimùm oriuntur, quàm ex terrenæ cupiditatis ac meræ ambitionis fonte. Erras enim longèque falleris, ſi non aliam eſſe ambitionem putes, niſi eam quæ ad fortunæ amplificationem per ſcelera contendit: hoc ſapienter caſtigat Aug. in lib. de pat. cap. 2. & 3. *Pecuniæ*, inquit, *& gloriæ cupiditates licitæ quodammodò videntur inſaniæ: avaritia, ambitio, luxuria, & variorum oblectamenta ludorum, niſi propter illa facinus aliquod admittatur, ſive flagitium quod legibus prohibetur humanis, putantur ad innocentiam pertinere.* Omnino ſicut avaritia, divitiarum propter ipſas divitias cupiditate continetur: ſic hoc cernitur ambitio, ſi potentia, ſi honor propter ipſam potentiam, ipſum honorem concupiſcatur. Adde parandæ potentiæ

vias

vias illicitas, ambitionem ex nocente nocentiorem facis: detrahe, non efficies innocentem. At verò non de illis modò rariſſimis temporibus agit Vaſqueſius, in quibus nonnunquam divitibus licet celſiorem gradum expetere, quem *probabiliter expectent*, ut ait Cajetanus; nam ſi id eſſet, quid eo fieri poſſet inſulſius, qui inde effecerit vix in ſecularibus, ac ne quidem in Regibus inveniri ſuperflua ſtatui. Quis enim ſanæ mentis nulla ferè locupletibus ſuppeditare ſuperflua generatim ex eo colligat, quod paucis admodum divitibus ſemel aut iterum in vitâ poſſit contingere, ut licitè ad majorem ſortem aſpirent, poſtquam Dei lumine cognoverint hanc fortunæ acceſſionem nec ſibi noxiam,& cæteris ſalutarem futuram. Non igitur de rariſſimis illis temporibus loquitur Vaſqueſius; ſed de vagâ quâdam & infinitâ potentiæ augendæ cupiditate, quæ nullum habeat modum, limites nullos. Nam ſi quos haberet, quicquid extra eſſet, ſuperflueret eis qui ad illos perveniſſent. Quam cupiditatem ita putat Vaſqueſius vitio carere, ut propterea nulli ferè diviti adeſſe ſuperflua cenſeat.

Hæc illa eſt,ut tu ſis ſciens Jeſuitice patrone,ſublimioris fortunæ, quæ licitè tamen poſſit acquiri cupiditas,quam Epiſtolarum ſcriptor nomine ambitionis affecit. Eodem enim à Patribus, imò à vulgo etiam afficitur, niſi fortè ſolemnem Caſuiſtarum veſtrorum imitari debuit aſtutiam, qui vitiorum nomina ſtudioſè eliminant, ipsàque vitia aliis tecta nominibus ſedulò tenent. Fac igitur in Vaſqueſii loco hæc verba reperiri: *ſtatum quem licitè poſſunt acquirere*, quæ nulla reperiuntur, nihil neceſſe eſt illa detrahi, ut locus iſte nefarii dogmatis convincatur: his etiam adjunctis meritò ex Vaſqueſii doctrinâ elicit Montaltius, quiſquis ambitione non vacet, ſuperfluis ad largiendum carere. Nec primus vidit quam iſta neceſſariò cohærerent, viderat antè Duuallius, Doctor Sorbonicus, qui propterea hanc doctrinam graviter incuſat. tom. 2. q. 8. p. 576. *Sequeretur*, inquit, *eum qui dignitatem cuperet, ſeu qui majori ambitione duceretur, habendo plurima ſupra decentiam ſui ſtatus, non habiturum ſuperflua.*

Ergo ex iis quæ Montaltio objicis falſi criminibus duo jam tibi malè ceſſerunt;videamus an in duobus aliis,in quæ ipſum dum ſe defendit incurriſſe jactitas, felicior futurus ſis. Negat, inquis, à Vaſqueſio illam erogandi aliquando neceſſarii legem agnoſci. Tibi gratulor, Apologiſta, qui tam felices mihi reſpondendi præbeas partes. Quid enim promptius, quàm reponere falſum eſſe quod objicis, & ab ipſo afferi quod ab ipſo negari dicis: nec aliâ opus probatione, quàm illo ipſo loco quem tu tribus poſt verſibus affers: ibi enim diſertis verbis agnoſcit Montaltius ex Vaſqueſio,*divites certis locis ad eroganda neceſſaria teneri.*

Nec minùs iniqua eſt poſtrema criminatio tua,cujus hæc ſumma eſt. Duas Vaſqueſii ſententias reprehendit Montaltius: una eſt, *nec charitate nec juſtitia teneri divites ad danda ſuperflua vel neceſſaria in communibus pauperum neceſſitatibus*: altera, *ad eroganda neceſſaria eo tantum circumſtantiarum concurſu teneri, quæ fermè nunquam ſimul incidant.* Harum ſententiarum priorem, quæ eadem deterrima eſt,

nullâ arte poteras à juſtiſſima invidia liberare. Quid tu igitur hoc loco? Utramque in unam compingis; mox neſcio quid pravum & alienum adverſus poſteriorem prolocutus, utramque repuliſſe videri vis.

Cæterùm nihil agis. Jam enim quæ impedire vis, expediam & evolvam. Quæro ex te, an non ſic doceat Vaſqueſius, *nec charitate nec juſtitia teneri divites ad largienda ſuperflua aut neceſſaria in communi pauperum neceſſitate.* Nonne hoc ex illo Vaſqueſii loco de eleemoſyna demonſtravit Epiſtolarum ſcriptor? *Sentit Corduba, cùm quis habet ſuperfluum ſtatus, quòd etiamſi non ſint neceſſitates urgentes, teneatur communiter egentibus aliquid tribuere.* Nota non id agi, utrùm ex charitate vel juſtitia teneantur; ſed abſolutè an teneantur. Videamus ergo Vaſqueſii decretum quale futurum ſit. *Sed hoc non placet,* inquit, *ſupra enim contra Cajetanum & Navarrum contrarium probavimus.* Hîc tu cùm nihil reſponderis, utique Jeſuitas graviſſimi in Evangelicam legem erroris manifeſtos fateris.

Nec minùs apertè Montaltius efficit, ex Vaſqueſii doctrinâ tam rarò divites ad neceſſariorum largitionem obligari, ut hujus præcepti implendi vix unquam tempora poſſint incidere, quod clariſſimè conficiunt quas ex ipſo conditiones ad hanc obligationem formandam neceſſarias affert; *ut noverit dives nullum alium pauperi quem urgeat neceſſitas, opem laturum: deinde ut iſta neceſſitas vel mortem minetur, vel famæ jacturam.* His ſuper quæſivit ex Jeſuitis, an ejuſmodi occaſionum magna eſſet Pariſiis frequentia. Poſtremò iiſdem hoc argumento acriter inſtitit: Quando ex Vaſqueſio quoties ſublevandi pauperis diviti ex divino præcepto neceſſitas incumbit, toties pauperi licet aliquid de divitis bonis furari, alterutrum neceſſariò fatendum eſſe; Vaſqueſium ſenſiſſe eleemoſynæ ex præcepto largiendæ rariſſimas eſſe occaſiones, aut furandi licitè & ſine peccato creberrimas. Ad hæc quid tu reſponderis velim ſcire. Nihil prorſus: omnia diſſimulas: tria tantùm adducis Vaſqueſii loca, quorum duo priora nihil aliud docent niſi quod ultrò agnovit Montaltius; *teneri ex ipſo divites in urgentibus neceſſitatibus pauperibus ſubvenire.* At de exceptionibus à Vaſqueſio additis, quibus fit urgentes illæ neceſſitates vix unquam obligent, de quo tamen uno contenditur, cautè ſiluiſti.

Tertii loci ea demum ſententia eſt, non in extremis tantùm neceſſitatibus, quia nimis raræ ſunt, dandam eleemoſynam: hinc efficis erogandæ eleemoſynæ tempora ex Vaſqueſio rara non eſſe. Ludere iſtuc eſt, mi homo, non reſpondere. Non enim hinc aliud quicquam cogi poteſt, niſi occaſiones iſtas à Vaſqueſio raras non dici, quamvis eas reipsà ſuis exceptionibus rariſſimas effecerit, ſodalium ſuorum hac etiam in parte referens mores. Simul enim ipſi & permulcendi divites erant, qui hoc liberalitatis onus ſibi frequenter imponi moleſtè ferunt; & Eccleſiæ Legibus ſatisfaciendum erat, quæ ſuperfluis abundantes, ſublevandos ſæpiſſime pauperes urgent. Ergo omnibus ſtuduit morigerari, nec hoc parum feliciter præſtitit. Hinc enim eas exceptiones appoſuit, quibus avariſſimi quique

facilè

facilè poſſint eſſe contenti: illinc iſtas largiendæ ex præcepto eleemoſynæ occaſiones raras appellare refugit, ut Eccleſiæ in ſpeciem obſequatur. Non igitur hæc vertitur quæſtio, an iſtas occaſiones raras appellat Vaſqueſius; nunquam id ipſi crimini datum: non tam iners erat Jeſuita, ut ſic vitia ſuo nomine ſimpliciter efferret. Id agitur, utrùm iſtæ occaſiones reipſâ Vaſqueſianis exceptionibus infrequentes effectæ ſint, quod tam luculenter Montaltius comprobavit, ut tibi non aliud præſto fuerit reſponſionis genus, niſi illud quod nunquam tibi deeſt, neque deeſſe poteſt, diſſimulatio & ſilentium.

Multa deinceps congeris de Vaſqueſii ſubtilitate in variis verborum iſtorum, ſuperflui, neceſſarii, notionibus interpretandis: ſed hæc mera figmenta, mera ſunt ſomnia: nihil hîc ſupra cæteros Vaſqueſius: duplicem ſingulis iſtis verbis notionem aſſignat, itidem ut omnes. Eſt enim aliud naturæ ſuperfluum, aliud ſtatui. Item aliud eſt naturæ neceſſarium, aliud neceſſarium ſtatui. Hoc tantùm contendit Vaſqueſius, non habendum eſſe ſuperfluum ſtatui, niſi quod non modò præſenti ſtatui ſuperfluit, ſed etiam futuro quem dives aut ſibi, aut propinquis parare poſſit: ita quod quis ad fortunam mutandam ſervat, ſimpliciter ipſi dicitur neceſſarium, & naturæ duntaxat ſuperfluum. Ex quo divites, ut clarè docuit ſcriptor Epiſtolæ, tam raro eleemoſynam dare jubentur, ut vix unquam ejuſmodi tempora poſſint contingere.

Ad ea quæ de Vaſqueſii & Cajetani comparatione dicta ſunt, nihil addi placet; non enim neceſſe eſt: obiter tantùm monendus es, & te & Vaſqueſium falſum Cajetano crimen affingere, dum utrique eum in indulgentiarum tractatu docere aſſeritis, *dandi ſuperflui præceptum, peccati venialis modum non excedere, contrà quàm in tractatu de eleemoſyna antè docuerat.* Lege, lege, quid ſentiat Cajetanus, nec tantùm fidei Jeſuitis aut vivis aut mortuis habe; reperies planè contrariam eſſe Cajetani ſententiam. Nam poſtquam ſolas demum extremas neceſſitates, quo nomine eas quas Vaſqueſius vocat urgentes, complectitur, peccati mortalis obligationem afferre docuit; mox iſtam aſcribit exceptionem, niſi quis habeat ſuperflua: *ſecluſâ*, inquit, *ſuperfluitate bonorum.* Ergo his omiſſis ad ſimoniæ doctrinam tecum accedo.

Montaltio id unum propoſitum fuit, ut hanc Societatis eſſe ſententiam doceret: Spiritalia pro temporalibus ſine ſimoniâ tribui poſſe, modò temporale pretii locum non obtineat, ſed invitamenti tantùm, quamvis præcipui. Ad hoc ſtabiliendum, integrum Valentiæ locum deſcripſit in Epiſtola duodecimâ, quo tam clarè continetur hoc dogma, ut quid contrà diceres, nihil habueris: nec minùs de Eſcobario, Eraldo Billio, atque aliis cum Valentiâ ſentientibus ſilere coactus es. Atqui non plùs requiritur ut tota Societas hujus erroris rea peragatur. Nam propter probabilitatis doctrinam quam tota ſequitur, neceſſe eſt ut hanc de ſimoniâ ſententiam omnes ſodales probabilem & tutam in conſcientia judicent, quippe à tot gravibus Societatis ſuæ Patribus traditam, à tot gravibus Provincialibus ſuis comprobatam. Dabis igitur hoc primum, manente tot Jeſuita-

 rum

rum concordi ſenſu te cùm in uno Tannero litem moves, nihil omnino Montaltii quem adoriris labefactare propoſitum, nihil omnino Jeſuitarum quam defendis cauſam ſublevare.

At ne quid deſit quominùs tibi plenè ſatisfactum ſit, hoc confirmo, te ut in aliis, ſic etiam in Tannero vehementer errare. Primùm illud non negabis quin generatim decernat Tannerus, *ſpiritale pro temporali tanquam motivo, non tanquam pretio dari, non eſſe ſimoniam in foro conſcientiæ.* At cùm ſimoniam in foro conſcientiæ negat eſſe, utrumque negat, vel ſimoniam juris divini eſſe, vel ſimoniam juris poſitivi. Simonia enim juris poſitivi in foro conſcientiæ ſimonia eſt. Huic generali decreto hanc Tannerus exceptionem adjungit: *Hoc tamen non obſtat quin in caſibus à jure expreſſis ſit ſimonia juris poſitivi, aut ſecundum præſumptionem externi fori.* At quia fieri non poteſt ut tam latè pateat exceptio, quàm generale decretum, neceſſe eſt ut hæc generalis ſententia, *Non eſt ſimonia, ſpiritale pro temporali dari, modò temporale ſit tantùm motivum, non pretium*, in aliquo ſpiritalium rerum genere retineatur: atque adeò neceſſe eſt ut quædam ſpiritalia ſine peccato pro temporalibus commutentur, modò temporalia ſint tantùm invitamenta, non pretia. Sacerdotia delegit Montaltius; ad ea Valentiæ ac Tanneri doctrinam contraxit: ſed ad ipſum nihil intereſt, hocne an aliud genus ſubjicias. Ergo per illum fas eſt, ut ſi minùs ſacerdotia, certè ſacramenta, vel dignitates Eccleſiaſticas pro pecunia dari poſſe contendas. Omnia enim ejuſmodi commercia tanquam ſcelerata & impia ex æquo deteſtatur; tibi iſtorum delectum ultro permittit: hunc tu habere voluiſſe videris dum latenter ſignificas Miſſæ ſacrificium ſine ſimonia poſſe celebrari, etſi quis pecuniam inde redeuntem ſpectet præcipuè. Hanc cogitationem inſerunt quæ de more Eccleſiæ Pariſienſis diſputaſti. Nam ſi id demum dicere voluiſſes, fas eſſe fidelibus iis offerre temporalia, quorum *ſpiritalia metunt*; fas item eſſe ſacerdotibus *qui altari deſerviunt, de altari vivere*, rem dixiſſes minimè quidem dubiam, at quæ controverſiam noſtram nihil attingat. Hoc enim agitur, utrùm ſacerdos cujus voluntas in offerendo ſacrificio pecuniam præcipuè propoſitam habeat, coram Deo labe ſimoniæ penitus vacet. Debes tu quidem ita ex Tanneri doctrina ſentire, ex Chriſtianæ doctrinæ placitis omninò non potes.

Præclarè & verè Petrus Cantor in verb. abbr. c. 27. *Si venalitas lepraque Giezi, & ſimonia Simonis* ADEÒ TURPIS EST ET DAMNABILIS *in appenditiis ſacramentorum, quantò magis in ipſis ſubſtantiis ſacramentorum, præcipuè in Eucharistiâ? Simon Magus qui Chriſtianus eſſe & miracula facere voluit propter quæſtum, repulſam paſſus eſt à Simone Petro, ob quam ulciſcendam quaſi dixit ei: Tu repellis me, & ego triumphabo de te, imò de toto corpore Eccleſiæ: in ipſis etiam altaribus ponam ſolium, cubile, & thronum, & domicilium meum, ut etiam præſentibus Angelis & quaſi coadunatis in uno angulo altaris conficere corpus Domini: ego in alio cum miniſtro altaris, imò cum meo potiùs illud pro pretio conficiam.* Hæc tamen ſimonia quam pius Theologus tanta verborum ſeveritate inſequitur, ſolâ cernitur cupiditate,

quâ

quâ fit ut in rerum ſpiritualium procuratione; temporali maximè utilitati ſerviatur. Hinc ille generatim cap. 25. *Opus dexteræ, (id eſt, adminiſtratio ſacramentorum, aut aliuſmodi genus ſpiritualium actionum) operatum cauſa pecuniæ acquirendæ, parit ſimoniam.* Quid ſi igitur horribilem illam Caſuiſtarum, quorum tu patronum agis, ſententiam audiſſet: *licitum ſacerdoti, omnes ſpirituales fructus ſibi ex ſacrificio redituros alteri accepto pretio concedere?*

Si nil igitur aliud habes quod in Tanneri defenſionem afferas, augebis tu quidem illius impietatem, nedum eleves: non tamen inde conficies agnitam ab ipſo ſimoniam juris poſitivi in Sacerdotii pro pecuniâ tanquam pro motivo permutatione. Non enim ſimpliciter ait eſſe Simoniam juris poſitivi, ſed cautè addit alternantem clauſulam; vel, inquit, ſecundum præſumptionem externi fori: atqui præſumpta Simonia, non eſt Simonia coram Deo, nec ullam in foro conſcientiæ pœnam meretur. Itaque cùm dicit Tannerus, aut eſſe Simoniam juris poſitivi in caſibus à jure expreſſis, aut ſecundum præſumptionem externi fori, hoc reipſâ dicit, in iſtis caſibus vel eſſe vel non eſſe Simoniam.

Huc redit illa tantopere à vobis venditata Tanneri exceptio, quam idcirco in Epiſtolâ ſextâ omiſit Montaltius, quia nulla referebat Tanneri verba, ſed duntaxat ipſum quaſi cum Valentia ſentientem proferebat: at eam & commemorat & refellit Epiſtolâ duodecimâ pag. 5. lib. 36. tametſi eam hîc quoque omiſſam falsò, ut ſoles, calumnieris.

Ad iſtas diſtinctionum ambages declinandas ex Jeſuitis quæſierat, an Simoniam incurrat ex ipſorum ſodalibus, qui beneficium unde 4000. annuæ libellæ capiantur, ita cuipiam conceſſerit, ut ex ipſo 10000. librarum tanquam invitamentum dandi, non tanquam pretium accipiat. Super hâc quæſtione accuratam ſibi nec ambiguam reſponſionem dari acriter poſtulavit, nullâ mentione factâ juris poſitivi, hoc eſt, vocibus illis omiſſis, non ipſâ re omiſſa, ut tute præter omnem Grammaticæ morem accepiſti. Hanc tu quæſtionem uno verbo ita diſſolvis: *Secluſo jure poſitivo nulla eſſet Simonia, ut ſecluſo Eccleſiæ præcepto die feſto Miſſæ non intereſſe nullum eſſet peccatum*; hoc eſt, ideò Simoniam eſſe, quia ſic Eccleſiæ legibus ſancitum eſt; at amotis iſtis legibus rem ipſam per ſe labis expertem. Ad hæc habeo quædam quæ referam. Imprimis propoſitæ quæſtioni ineptiſſimè reſpondes. Quæſierat Montaltius an in caſu propoſito ulla eſſet Simonia ex iis Jeſuitarum placitis, quæ ipſe recitarat. Tu ſponte tua, & ex tuo ſenſu Simoniam juris poſitivi non divini hîc reperiri reſpondes. Quaſi verò id agatur quid tu ſentias, aut aliquid ponderis habeat ſententia tua. An tu Doctor gravis haberi vis? Non injuria fortaſſe de hoc titulo tecum interdicto contenderem. Agitur quid Valentia, quid Tannerus, Sanctius, Eſcobarius, Eradius Billius, quorum non dubia gravitas, ſenſerint. Aſſerit Epiſtolarum Scriptor nullam in hoc caſu ex iſtorum Jeſuitarum decretis Simoniam reperiri: de Valentia, Sanctio, Eſcobario, aliiſque concedis: Tannerum velles tu quidem ab aliorum conſortio ſejungere; ſed

quàm abſurdè, tute vidiſti. Ita ſubductis omnibus rationibus conſtat hoc Jeſuiticæ Societatis decretum eſſe: *pro temporali ſine Simoniâ poſſe ſpirituale concedi, modò temporale incitamenti potiùs quàm pretii locum habeat.* Hoc volebam, bone vir, nil ampliùs.

Deinde tua illa reſponſio horribilem quandam impietatem continet. Ain verò, Jeſuitice patrone, ſecluſis Eccleſiæ legibus pro obtinendis Eccleſiæ dignitatibus offerri pecunia poteſt, cum hoc intentionis flexu? Adeòque ante primos de Simonia Canones ad dignitates Eccleſiæ viam ſibi pecunia ſternere licebat; modò ne pro pretio daretur? Temerarius igitur Apoſtolus Petrus quod tam vehementer Simonem damnaverit, cùm non appareret, pecuniam ne tanquam incitamentum offerret, an tanquam pretium.

Quam tandem ad ſcholam nos remittis iſtis dogmatis imbuendos? Certè non ad Chriſti. Diſcipulis enim ſuis ille ſemper edixit, ut *quæ gratis acceperant, gratis darent.* Quo verbo, ut notat Petrus Cantor, in verb. abb. cap. 56. *excluditur omnis expectatio muneris vel obſequii, ſive intervenerit pactio, ſive non. Deus enim in corde videt.* Certè non ad Eccleſiæ ſcholam, quæ ſemper non modò pro ſceleratis, ſed pro hæreticis habuit quicunque pecunia ſibi ad Eccleſiæ miniſteria viam muniunt; & hanc nundinationem quavis arte, quovis colore fucatam, non poſitivæ legis tranſgreſſionem, ſed Simoniacam hæreſim appellat.

Hæc igitur ſchola iſtorum decretorum magiſtra, pecuniam pro ſacerdotio tanquam invitamentum dari non tanquam pretium, nonniſi juris poſitivi ſimoniam eſſe, vel tantùm ſecundum præſumtionem externi fori, aut nullum omnino peccatum eſſe, hæc, inquam, ſchola non alia eſſe poteſt, quàm ipſa Giezi, ipſa Simonis diſciplina. In hac ſchola ſcilicet primi illi ſpiritalium rerum inſtitores alibi paſſim deteſtati, prorſus omni crimine liberantur: in hac ſchola cupiditas earum quas expetit & quibus incitatur rerum potita, callida verbi mutatione, quod in ipſis rebus nihil immutet, ad eludendam Dei legem eruditur. Audiant ergo iſtius ſcholæ diſcipuli, quo pacto magnus Innocentius III. Pont. Max. in Epiſt. ad Archiepiſcopum Cantuarienſem anni 1199. deteſtandas illas aſtutias verborum ſuorum fulminibus diſcuſſerit. *In tantum*, inquit, *peccatis exigentibus, corda quorumdam Simoniaca pravitas depravavit, ut in exterminium canonicæ ſanctionis, & eluſionem quodammodò divini judicii lucris turpibus inhiantes, ac dicentes in corde ſuo, Non eſt Deus: ſimoniam ſub honeſto nomine pallient, quaſi mutato nomine culpa transferatur & pœna. Verum nec Deus ſecundum Apoſtolum irridetur, nec tales Simonis Sectatores, etſi temporalem in præſenti forſan eludant, in futuro pœnam effugient ſempiternam, cùm nec honeſtas nominis, criminis malitiam palliabit; nec vox poterit abolere reatum.*

Poſtremum caput in bonorum ceſſione verſatur, in quo confidentiam tuam valde demiror. Jeſuitæ quibus ades, ineptè admodum ab Eſcobario in Leſſium controverſiam tranſtulerant. Non enim Leſſium per ſe protulerat Montaltius, ſed Eſcobarii tantùm locum attulerat, in quo Leſſius laudabatur. Imò inſigni cautione ſoli Eſcobario

bario decretum illud tribuerat, de quo queruntur Jeſuitæ, ſcilicet *decoctores de bonis poſſe retinere, ut non indecorè vivant, tametſi ex injuſtitia partis & ex notorio delicto.* Hinc de ſolo Eſcobario loquens, vehementiùs ab ipſis contendit, ut hoc decretum vel abdicarent apertè, vel ſuſciperent: illinc deſerti Eſcobarii pudorem objiciens; hinc Pariſienſis Senatus formidinem intentans. Hoc tibi expediendum fuerat, non illud abſurdiſſimè cauſandum, Leſſium de cujus ſenſu non agitur, ab Eſcobario diſſentire, cujus duntaxat agitur ſenſus. Siccine controverſias diſſolutas putas, cùm eas aliò detorſeris: noli, noli ſperare tam rudi nos artificio falli poſſe; non priùs ad Leſſium accedemus, quàm tu de Eſcobario ſatisfeceris. Nec me iſtam de Leſſio contentionem refugere putaris: Spondeo enim tam dilucidè à me Leſſiana pro decoctoribus placita explanatum iri, ut non minùs fortè apud ſupremum Senatum, quàm apud Sorbonam offenſionis habitura ſint. At priùs tibi Eſcobariana controverſia dirimenda eſt. Nec enim te ſinam ad novas tranſgredi quæſtiones, antequam eam quæ in manibus eſt expedieris. Prius eſt Eſcobarii nomen; prius igitur quantùmlibet tergiverſeris expungendum eſt. Hoc cùm præſtiteris, ita ſpondeo fore ut Eſcobarium pone ſequatur Leſſius & proxime quidem.

IN EANDEM XII. EPISTOLAM

NOTA II.

Variæ Jeſuitarum corruptelæ circa reditus eccleſiaſticos.

Indictam à Vaſqueſio eccleſiaſticis ſuperfluorum in pauperes erogandorum legem magno ſtrepitu venditaverant Jeſuitæ. At Montaltius, qui novis quæſtionibus abduci ſe pati noluit ab inſtituto curſu, jactationem illam verbulo comprimit. Nihil enim ſe de eccleſiaſticis dixiſſe reſpondet; Sed tamen ſi placeat Jeſuitis in hanc ingredi quæſtionem, nihil in ſe moræ futurum.

Hoc ne jactantiùs quàm veriùs dixiſſe videatur, operæ pretium reor paucis varias Jeſuiticæ doctrinæ labes circa redituum eccleſiaſticorum uſum hîc annotare.

Nihil Patribus, Conciliis, & antiquis ſcholaſticis certiùs, quàm eccleſiaſticos non eſſe dominos redituum ſuorum; ſed tantùm diſpenſatores. Unde Comitolus Jeſuita Reſp. mor. lib. 1. quæſt. 70. *Ab antiquis*, inquit, *Magiſtris, & melioribus autoribus ſuperioris, atque adeò noſtræ ætatis, in controverſiam nunquam vocatum eſt, num ii quibus eccleſiaſtica beneficia mandata ſunt, ſint bonorum fructuumque domini.* Adeò certum erat non eſſe. Hoc ne quis primis temporibus viguiſſe tantùm exiſtimet, poſtremum quoque Concilium generale ex hâc ſententiâ ſeſſ. 25. de Reform. cap. 1. decernit bona Epiſcopi (quod idem ad miniſtros inferiores pertinet) eſſe Dei: & proinde vetat ne ea in conſanguineos effundant.

Et tamen, inquit ibidem Comitolus, *autores quidam recentiores, quorum dux eſt Dominicus Soto, novam & perioulоſam opinionem poſt mille & quingentos annos in Chriſtianam Rempublicam invehere conati ſunt, eos à quibus beneficia eccleſiaſtica obtinentur, fructuum quos illa pariunt, veros eſſe dominos.*

Hæc ille non Jeſuitico animo Jeſuita: at ſodales ejus, quibus ſat eſt in largioribus opinionibus amplectendis vel ratiunculam, vel aliquem non contemnendum autorem ſequi, deinceps in Soti ſententiam univerſi pene confluxerunt; & in iis Vaſquez de Redit. Eccl. cap. 1. dub. 1 num. 27. Hinc ſequitur illos qui bona Eccleſiæ in canes aut conſanguineos effundunt, à reſtitutione eſſe liberos; adeòque attritionis beneficio, quod ſemper in promptu eſt, cum Confeſſione ad gratiam redire poſſe. Hoc quantum ad omnem licentiam aditum aperiat, facilè omnes intelligunt.

Nec modò Vaſqueſius bona Eccleſiæ eccleſiaſticorum propria facit; ſed cùm illis ſaltem ſuperfluorum largitionem præceptam negare non audeat, hoc onus penſionariis eximit. *Nullum*, (inquit de eleemoſ. cap. 4. dub. ult. num. 22.) *video autorem obligantem penſionarios ex charitate ad uberiores vel alias eleemoſynas quàm alios ſeculares*, qui ad eroganda ſuperflua ex Vaſqueſio non obligantur, niſi in extremis & gravibus neceſſitatibus, & cum iis exceptionibus quas refert Montaltius.

Cæterùm quod ait nullum à ſe viſum autorem, qui penſionarios ad majores eleemoſynas obligaret quàm ſeculares, ut verum ſit, aliam habet cauſam, & propoſito Vaſqueſii planè contrariam. Nam quia, ut manifeſtum eſt, penſionariorum bona verè Eccleſiæ & pauperum bona ſunt, ideò vulgò ſcriptores ea ab aliis non ſegregant, cùm nihil habeant penſiones præcipuum, niſi quòd recentior ſit earum uſus, quòdque niſi gravi cauſâ excuſante ſpeciem ſimoniæ præ ſe ferant, & abuſibus magis pateant.

Ex iſtis principiis reliqui Jeſuitæ, quorum mirum ad ampliandas corruptelas (quos illi favores vocant) ingenium eſt, varias conſecutiones derivarunt, quibus ſacerdotalis & eccleſiaſtici muneris ſanctitas turpiſſimis ſordibus inquinatur.

Docet Hurtado de Mendoza in 2. 2. vol. 2. diſ. 160. ſect. 15. §. 105. uſque ad 110. apud Dianam 5. pag. tract. 8. Reſp. 37. non peccare Epiſcopum qui tertiam partem redituum pauperibus largiens in levibus neceſſitatibus, reliqua abundè cum conſanguineis communicet. *Pone*, inquit, *Epiſcopum habentem annuos reditus* 30. *mille; hic ſi* 10. *mille in opera pia diſtribuat, nullus meritò cenſebit illum avarum aut crudelem, nec poterit jure ſcandalizari; quòd Epiſcopus de aliis* 20. *mille ſe alat & efficiat quod libuerit, dum non ſit in uſus profanos, licet ea abundè communicet cum conſanguineis*, ... *Hoc abſque ullo ſcrupulo fieri poteſt.*

Aſſerit Sanchez in patrimonii loco habenda, quæ pro adminiſtrandis ſacramentis, audiendis Confeſſionibus Clericis dantur: adeòque hæc bona tametſi ſuperfluant non eſſe neceſſariò in pauperes eroganda; idque etiam locum habere, etſi ad illa munera ratione officii

officii obligarentur. Quod breviter Eſcobarius ſic complexus eſt. Tract. 5. exam. 5. cap. 6. in praxi. *Lucrantur Clerici ratione alicujus miniſterii, v.g. pro Miſſis dicendis, concionibus, comitandis defunctis, adminiſtrandis ſacramentis &c. tenenturne de iis ut de ſuperfluis eleemoſynam facere? Ex Sanchez doctrina aſſero non teneri, etiamſi ad illa miniſteria ratione officii obligarentur, quia quaſi patrimonialia bona reputantur.* quaſi quicquam ex his officiis mercedis loco ſperare Sacerdotes poſſint; aut aliud miniſtris Euangelii Paulus accipere permittat, quàm alimenta & victum ex altari.

Idem Sanchez turpiſſimum avaritiæ genus in Clericis approbat, Concluſ. Mor. lib. 2. cap. 2. dub. 43. *An quando Clerici parcè viventes non expendunt de reditibus Eccleſiaſticis quantum arbitrio boni viri eſt neceſſarium ad decentiam ſui ſtatus, illam quantitatem quam parcè viventes ſibi detrahunt, poſſint diſtribuere ſicut bona patrimonialia, vel teneantur pauperibus largiri ſicut ſuperflua?*

Duplex eſt ſententia.

I. Prima dicit teneri elargiri pauperibus. Ratio, quia ea ſolùm ratione reditus eccleſiaſtici conceduntur Clerico, quia ſibi ut alimenta neceſſarii ſunt; ſuperfluos verò tenetur dare pauperibus: ſed in iſto caſu ob parcimoniam effecti ſunt ex neceſſariis ſuperflui. Ergo. Ita tenet Panor. cap. Cùm omnes. num. 27. de teſtam. Sarmient. latiſſimè probans lib. de reditibus part. 3. cap. 5. num. 1. 2. 3. 4. 5. & in defenſionibus 1. part. monito 30. & 31.

II. Secunda ſententia oppoſitum tenet.

III. Sit concluſio. Probabilius eſt ea quæ Clerici fraudantes genium ſuum corraſerint, poſſe ſicut bona patrimonialia diſpendere. Ratio, quia neceſſaria ad ſtatus decentiam tribuuntur Clerico propter perſonalem laborem, & ſic ut ea expendant ut libuerit: ergo ſi parcè viventes aliquid ex his corraſerint, poſſunt liberè iſti bona patrimonialia diſpendere. Ita Navarr. &c.

Et brevius Eſcobarius Theol. Moral. Tr. 5. Exam. 5. cap. 6. *Debetne Clericus id quod detrahit ex neceſſariis ad ſtatus decentiam vivendo parciùs, pauperibus dare ſicut ſuperfluum? Non debere cum Molina aſſero; quia bona ſunt quaſi patrimonialia ſuſtentationi debita.* Sic non ſatis eſt Jeſuitis ſanctiſſima miniſteria avaritiæ labe polluere, niſi etiam virtutes ipſas inficiant, & ſacerdotes doceant non jam propter Chriſtum parcè & frugaliter vivere, ſed ad conſanguineos locupletandos.

At nihil turpiùs quàm quod docet idem Sanchez, Conſil. Moral. lib. 2. cap. 2. diſ. 38. num. 16. *Si Clericus digniſſimâ ſui laboris & induſtriæ impenſæ in Eccleſiæ regimine mercede plùs meretur, quàm ad decentem ſuam ſuſtentationem opus ſit, ut ſi ultra debitum exercet in ſuâ Eccleſiâ munera quæ ſtipendium merentur, ut prædicare, audire Confeſſiones &c. poteſt ex ſuperfluo redituum deducere aliquam quantitatem, quam plus ſuo labore meretur, & de illâ diſponere ac de bonis patrimonialibus. Ratio, quia ſecundum jus divinum & naturale dignus eſt mercenarius mercede ſuâ, ut habetur 1. Cor. 9. & Lucæ 11. Tenent Navarr. &c.*

Nullis

Nullis ſatis conviciis exagitari poteſt tam infanda, tam Chriſto & Eccleſiæ contumelioſa doctrina. Illud ego apertè dicam : qui ſibi ex eccleſiaſticis miniſteriis aliud quicquam, quàm vitæ pro perſonæ modo ex Chriſtianâ diſciplinâ decenter agendæ neceſſaria ſubſidia depoſcit, non modò miniſterium ſuum dedecorat, ſed mercenarium & ſimoniacum animum gerit. Vendit enim miniſteria, non gratis impendit, qui aliquem ex iis mercedis loco exigit fructum.

Pluribus iſtas corruptelas inſequi alienum eſt ab hoc loco : nec ſum neſcius tolerabiles illas bene multis viſum iri, adeò eccleſiaſticus ſpiritus in pleriſque extinctus eſt. Sed tamen omnes quos aliqua divini miniſterii cura & honos tangit, mecum hâc in parte ſentient, mecum hanc Eccleſiæ injuriam dolebunt, & contempto obloquentium numero præclara hæc Auguſtini, in Epiſt. ad Gal. verba mecum uſurpabunt. *Væ peccatis hominum, quòd ſola inuſitata exhorreſcimus ; uſitata verò, pro quibus abluendis filii Dei ſanguis effuſus eſt, quàmlibet magna ſint, & omnino contra ſe claudi faciant regnum Dei, ſæpe videndo tolerare, ſæpe tolerando nonnulla etiam facere cogimur.*

NOTA III.

Explicatur & refellitur Caſuiſtarum Apologiſtæ doctrina de Simonia juris divini & poſitivi.

Non neceſſe habeo hîc exquirere quid furioſus Caſuiſtarum Apologiſta ad Vaſqueſii defenſionem afferat. Nihil enim affert quod non jam ſuperiori Epiſtolâ abunde ſit obtritum, quam ille ſciens diſſimulat, ut pro more omnia miſceat, & frivolas quæſtiones excitet, in quibus convitia profundat. Exempli gratiâ, ait à Montaltio divitibus præcipi, ut ſe etiam ſtatui ſuo neceſſariis ſpolient, quo periclitantem aliorum ſtatum tueantur. Cujus opinionis ne veſtigium quidem in Montaltii Epiſtolis reperias. Verùm ut ille peſſimè Montaltii mentem, ita vel optimè Jeſuitarum de ſimoniâ ſenſum aſſecutus eſt, & apertè totum illius virus effudit : Sic enim loquitur pag. 62. *Objicit nobis Montaltius, neminem ita impium eſſe, ut cum pecuniam offert pro Miſſa, pro Religionis ingreſſu, pro beneficio, velit illas mercimonii & pretii formalitates adhibere. Reſpondeo, ſi quis in mente impreſſum hoc propoſitum gerit, nunquam ego rem ſpiritualem rei temporalis pretio comparari poſſe cenſebo, nec rem temporalem rei ſpiritualis pretium eſſe credam, nullam hic ſimoniæ contra jus divinum labem contrahet, ſi pro re temporali accepta rem ſpiritualem largiatur. Aſſero præterea affectionem hujuſmodi habitualem ſufficere. At ſi quis nec habitu nec actu hoc propoſitum habeat ; is ſi argentum pro re ſpirituali ita donet*, UT ALTERIUS CUM ALTERA PRETIUM COMPARET, *hic Simoniæ contra jus divinum crimen admittet, etiamſi non cogitet mercimonium eſſe rem ſpiritualem, pretium pecuniam.*

Ubi notandum eſt ſemper ab illo ad Simoniæ rationem exigi ut quis argentum cum rei ſpiritualis pretio æquet & comparet : quod cùm vix ulli in mentem venerit, ſequitur juris divini Simoniam penitus à nefario illo ſcriptore deletam. At ſublatâ verâ illâ Simoniâ divini

divini juris, quam ferè unam omnia Conciliorum decreta inſectantur, nullo negotio illam quam relinquit juris humani Simoniam amolientur Caſuiſtæ.

Primùm ſi multùm in Eccleſia invaleſcat hic mos offerendæ pro obtinendis ſacerdotiis pecuniæ, jam is brevi ex placitis Jeſuiticis licitus fiet: ſtatim enim hæc ipſorum ſententia ad delendas Eccleſiæ leges nata ſubveniet, *juris poſitivi præcepta deſuetudine abrogari.* Ita cùm nihil vulgàrius, quàm ut Epiſcopi ſacerdotia advocatorum vel cognitorum filiis, gratuitam ipſis operam præſtantibus conferant; jam inde nullus ipſos, ſiquidem Jeſuitas audiant, debet remordere ſcrupulus, ut expreſſè habet pag. 63.

Verùm illam deſuetudinem non expectat Apologiſta, & facilè hæc decreta in anteceſſum abigit hâc ſententiâ quam habet pag. 113. *Lata in Simoniam excommunicatio ad veram tantum pertinet ſimoniam, atque adeò qui propter ſolas Eccleſiæ leges ſimoniaci ſunt, ab his fulminibus intacti ſunt; quia ſimonia eccleſiaſtici juris, non eſt propriè loquendo ſimonia.* Quod verò ille de excommunicatione dicit, idem de aliis pœnis eodem jure dici poteſt; atque ita ex iſtius Apologiſtæ doctrina, qui Simoniam tantùm juris poſitivi ſuſcipiunt, nec reſtitutionis nec abdicandi beneficii lege tenentur aſtricti, poſſuntque Confeſſione præmiſſâ cum Deo in gratiam redire, atque ita deinceps ſecuri per totam vitam reditus beneficii percipere. Et quoniam vix unquam fit, aut fieri poteſt, ut aliquis in Simoniam juris divini incidat, quæ tam facili mentis flexu declinatur, ſequitur propter ſimoniam neminem fere beneficio depellendum; neminem ad reſtitutionem urgendum; vana & irrita eſſe tot Conciliorum in ſimoniacos decreta, ut pote in illud peccati genus ſancita, quod in praxi nunquam occurrat.

Sed ut adverſus illa venena aliquid antidoti purioris morum doctrinæ amantibus propinemus, primùm adverti poteſt, omnia Conciliorum decreta, omnia Summorum Pontificum ſtatuta, omnes Patrum ſententias quibus ſimonia proſcribitur, ita generales eſſe, ut nullâ earum excipiatur illa ſpecies, in quâ datur pecunia, non ut pretium, ſed ut motivum; & tamen hoc genus dandæ pro beneficio pecuniæ ſemper frequentiſſimum fuit, longéque imaginaria illâ rerum ſpiritalium cum temporalibus comparatione vulgatiùs. Quid igitur juris Caſuiſtis fuit, ut notiſſimam, & ferè unicam ſimoniæ ſpeciem ex Conciliorum decretis exciperent? ſed de exceptionibus illis recens ad divina præcepta additis latè infra diſputabitur.

2. His verbis concepta ſunt multa Eccleſiæ decreta, ut vanas illas argutias penitus elidant. Nunc enim, decernunt, nullo prorſus modo in mandandis Eccleſiæ honoribus utilitatis terrenæ rationem irrepere debere. *In nulla ordinatione*, inquit Gregorius lib. 4. Epiſt. 8. *fraternitati veſtræ commoda quolibet modo ſurrepant, ne laqueis ſimoniacæ, quod abſit, hæreſeos alligetur.*

Nunc generatim negant canones fas eſſe per pecuniam ad Eccleſiæ dignitates pervenire. *Siquis* (ut habetur in canonibus Apoſtolicis, can. 30.) *Epiſcopus aut Presbyter aut diaconus per pecunias hanc obtinuerit dignitatem, dejiciatur.* Nunc

Nunc generatim vetant, ne quis ad Eccleſiæ munia conſequenda aliquid offerat. *Si quis*, inquit 8. Concilium Toletanum, *pro percipienda ſacerdotii dignitate quodlibet præmium detectus fuerit obtuliſſe, ex eodem tempore anathematis ſe noverit opprobrio condemnatum.*

Nunc omnes ſolertias damnant, quibus eludi poſſet illud Chriſti mandatum: *Gratis accepiſtis, gratis date*, ut videre licet in Epiſtola Gennad. Patriarchæ Conſtantinopolitani, quæ juris canonici Eccleſiæ Orientalis pars eſt; in qua hoc Concilii Conſtantinopolitani decretum ita recenſetur: *Viſum eſt cum ſancta ſynodo, quæ in hac nova Roma nunc agit, ut ſine penitus omni inventione & omni prætextu, callidoque commento impiam hanc & odioſam quæ neſcio quomodò in ſanctiſſimas Eccleſias ſubiit, conſuetudinem omnino exſcindamus; ut cum pura abſque ulla cauponatione eorum qui ordinantur renuntiatio ab Antiſtitibus facta fuerit, gratia ſpiritus Sancti ſuperveniat.*

Poſtremò Summi Pontifices generatim damnant omnes illas verſutias, in quibus *nomina tantum, non res mutantur, quaſi mutato nomine culpa transferatur & pœna*, ut ſuperiore Epiſtola ex Innocentio III. vidimus.

Ex his jam facilè refellitur quod Eſcobarius docet, ſimoniacum non eſſe qui promiſſa ſine intentione ſolvendi pecunia, ad ſacerdotium pervenit. Nam quia propria ſimoniæ ratio in hoc ſita eſt ut aliquis ad ſacerdotium aut aliuſmodi rerum ſpiritalium genus per pecuniam pervenerit, planum eſt non minùs per pecuniam eò pervenire qui promiſit, quàm qui ſolvit; quia utrobique pecunia ratio eſt cur beneficium conferatur.

Deinde quod in judiciis corruptio eſt, id in obtinendis beneficiis ſimonia: ſed non minùs corruptor judicii eſt, qui argentum pollicitus eſt judici nec præſtitit, quàm qui promiſit & præſtitit. Igitur non minùs ſimoniacus eſt qui promiſit cùm nolit ſolvere, quàm qui & promiſit & ſolvit.

Poſtremò Concilia non vetant modò, ne detur argentum; ſed & promitti vetant. Hinc Concilium Melphitanum anni 1090. *Ne quis*, inquit, *ulterius dato, vel promiſſo, vel pretio, vel ſervitio, ea intentione impensè Epiſcopalem nitatur aſſequi dignitatem.* Vides qua cautione Concilia, omnia Caſuiſtarum effugia præcluſerint.

EPISTO-

EPISTOLA DECIMA TERTIA
A D
RR. PATRES IESVITAS.

pridie Cal. Octob. 1656.

REVERENDI PATRES,

Commodùm poſtremam ſcriptiunculam veſtram accepi, ubi calumnias veſtras ad vigeſimam uſque perducitis: hæc uti ſignificatis, ejuſmodi accuſationi unde prima reſponſionis veſtræ pars conſtat, finem imponet: pòſt ad aliud tranſilietis defenſionis genus, ac multos alios Caſuiſtas diſſolutionis veſtræ ſocios oſtendetis. Jam intelligo quot mihi calumniæ diluendæ ſint. At quoniam quarta quæ nunc inſtat, in homicidio verſatur, non erit alienum undecimam, 13. 14. 15. 16. 17. & 18. argumento conjunctas tractatione conjungere.

Ergo meam in referendis veſtrorum ſententiis fidem vindicabit hæc Epiſtola: ſed quia incredibili confidentiâ *illorum decreta, ſummorum Pontificum & Eccleſiæ legibus conſentanea eſſe jactaſtis*, tam temerariam, tam Eccleſiæ contumelioſam vocem omnino non ferendam, ſed pro viribus retundendam eſſe, cenſui, atque hoc ſequens præſtabit Epiſtola. Magni enim refert Eccleſiam probari à corruptelis veſtris intactam, ne illis hæretici ad ejus dedecus & ignominiam abutantur. Ita dum hinc veſtra flagitia cernentur, illinc Eccleſiæ decreta quibus ſeveriſſimè damnantur, ſimul patebit, & quid fugiendum ſit, & quid ſequendum.

Falsò igitur (hæc quarta veſtra calumnia) hanc ſententiam Leſſio tributam eſſe contenditis: *Eum qui colaphum accepit, poſſe ſtatim repercutere, etiam cum gladio, non ad ſumendam vindictam, ſed ad vitandam infamiam & ignominiam,*

etiamſi

etiamſi invaſor non eſſet ulteriùs progreſſurus. Hîc vos opponitis illam Victoriæ eſſe ſententiam. Necdum hoc cauſa continetur, Patres: nil enim prohibet quin & Victoriæ ſit & Leſſii, cùm eamdem etiam Navarræ & Henriquez ſocii veſtri, eſſe teſtetur Leſſius, quos ſic ſentire tradit: *Si vir nobilis vel honoratus ejuſmodi injuriâ ſit affectus, poteſt ſtatim repercutere, & fugientem inſequi, & tantum infligere verberum, vel vulnerum, quantum neceſſarium eſt ad honorem recuperandum.* Ibi igitur præcisè controverſia ſita, an cum ſodali ſuo Henriquez ſentiat Leſſius. Eâ re ſubjungitis, *hanc Victoriæ ſententiam à Leſſio referri, ut eam rejiciat; adeòque Leſſio illud ipſum à me aſcribi quod impugnat, quo nihil ſcriptori vel turpius vel ignavius.* Contrà ego Victoriæ ſenſum à Leſſio proferri aſſero ut eum & ſequatur & probet. Itaque in facti quæſtione verſamur, ad diſceptandum perfacili. Agedum igitur, videamus cauſæ veſtræ firmamenta, mox noſtræ videbitis.

Diſſentire à Victoria Leſſium vultis efficere: & nimirum caput hoc cauſæ: propterea cædem fugientis inimici qui alapam inflixit, aſſeritis in praxi ab ipſo damnatam l. 2. c. 9. n. 82. ubi ſic loquitur: *Hæc ſententia mihi in praxi non probatur.* Fateor hæc verba apud Lesſium legi, & eo quo indicatis loco. At quid de fide veſtrâ ſentient qui diſtinctam prorſus quæſtionem ibi à Lesſio tractari perſpexerint; eamque ſententiam quam in praxi non probat, diverſam penitus eſſe ab eâ quæ inter nos agitur: hoc tamen quiſquis Lesſii librum aperuerit, facilè perſpiciet. Sic enim totius diſputationis Lesſianæ ſeries habet: *utrùm pro acceptâ alapâ occidi poſſit fugiens inimicus*; tractat. num. 79. quæſtionem iſtam, abſolvit num. 80. nec ullum interponit verbum quo ſententiam ajentem generatim improbaſſe videri posſit. Hâc controverſiâ confectâ, aliam orditur num. 81. *utrùm occidere liceat eum qui falſis criminationibus alicujus nomini detrahat apud viros honoratos, principem, judices.* Hæc illa eſt ſententia quam ipſe ait num. 82. *in praxi ſibi non probari.*

Non

Non puduit vos hunc locum proferre, RR. PP. quaſi qui cauſam veſtram contineret? Non puduit in tam miſero argumento, non enim aliud aſſertis, ſic triumphare, ſic adverſario veſtro inſultare: *Multi* (hæc veſtra verba ſunt) *viri honorati inſignem hanc fraudem ipſius inſpectione loci detexerunt; & hinc quid iſti ſycophantæ fidei tribuendum eſſet didicerunt?* Siccine, RR. PP. honeſtorum hominum credulitati illudi decuit? Ut Leſſium credant ab eâ de quâ contendimus opinione abhorrere, alium oſtenditis Leſſii locum, ubi non illam, ſed aliam opinionem damnat? Sic illis qui de fide veſtrâ non dubitant, nec utrùm controverſa quæſtio hîc agatur expendunt, ora ſublinitis? Non dubito, RR. PP. quin veſtram hîc æquivocationum artem adhibueritis, ad pudendum illud mendacium à vobis amovendum. Nempe cùm altâ voce hunc Leſſii locum legeretis, ſummiſſâ muſsitabatis, aliam hîc verti quæſtionem. Illud dubito, an hæc ratio quæ veſtræ conſcientiæ morſus facilè placat, eodem modo placatura ſit juſtiſsimas honeſtorum illorum virorum querelas, qui ſe à vobis ſic deluſos deriſoſque cognoverint.

Ergo ſedulò in hoc incumbite, ne Litteras meas iſti videant. Una hæc vobis retinendæ ad tempus opinionis veſtræ ſupereſt via. Aliud meum in veſtris ſcriptis inſtitutum eſt. Ad amicos illa mitto, quàm poſſum plurimos: cupio ut ab omnibus legantur. Vtrique tamen noſtrum ſua, credo, ratio ſubeſt tam diverſa ſequentibus. Nam poſt quartam illam calumniam tanto ſtrepitu ubique venditatam, fraudulenti apud omnes audietis, ſi ſemel innotuerit unum pro alio locum à vobis ſubdolè ſuppoſitum. Nemo non intelliget hâc vos fraude nunquam uſuros fuiſſe, ſi quod cauſæ veſtræ expediebat in illo inveniſſetis loco, ubi de eo quod agebatur argumento diſputat Leſsius: nec ob aliud uſos, niſi quòd nihil omnino conſiliis veſtris opportunum ibi reperiſtis. Nimirum hoc dicere Leſsium cupiebatis, quod ipſum dicentem induxiſtis p. 10. l. 12. *hanc opinio-*

nem Victoriæ, non eſſe ſpeculativè probabilem. At contra Leſſius n. 80. *hanc ſententiam ait eſſe ſpeculativè probabilem*, hoc eſt, ſyllabatim affirmat, quod vos ab ipſo negari dixiſtis: in quo veſtram, Patres, nemo ſatis confidentiam mirari poteſt, quos in re facti tam apertè mentiri veritum non eſt. Itaque ſicut ex fictitio Leſsii loco à vobis allato effeciſtis à Victoriâ diſſentire Leſsium; ſic ex vero quem protuli Leſsii loco id efficitur, unam eandemque eſſe Leſsii & Victoriæ ſententiam.

Cupiebatis item ut eam ſententiam *in praxi negaret ſibi probari*: at hoc nuſquam habet Leſsius. Quid igitur? *Tamen in praxi*, inquit, *non videtur facilè permittenda.* An hæc verba ſunt ejus qui aliquam ſententiam penitus improbet? An quiſquam adulteria vel ſtupra non eſſe in praxi facilè permittenda dixerit? Quando igitur iſtas cædes in praxi non eſſe facilè permittendas ait Leſsius, hoc intelligi dedit, aliquando eſſe permittendas, licet rariùs. Itaque quaſi docere voluiſſet quibus locis ſint permittendæ, omneſque ſcrupulos demere quibus angi homines poſſent, dum ambigunt an ſibi practicè contumelioſum liceat occidere, quid ipſis vitandum ſit, ut hanc deinde doctrinam in praxi ſequantur diligenter annotavit. Attendite, R R. P P. loquentem Leſsium. *Ob has rationes hæc ſententia eſt ſpeculativè probabilis: tamen in praxi non videtur* FACILE *permittenda; primùm ob periculum odii, vindictæ, & exceſſus; ſecundò ob periculum pugnarum & cædium: unde qui tali caſu occideret, puniretur in foro externo.* Ergo ex Leſsio nullum jam erit in cæde nefas, etiam in praxi, ſi hæc incommoda removeantur, hoc eſt ſi abſit odium, abſit vindictæ cupiditas, nec multis cædibus locus detur. Quis autem dubitet non raro accidere, ut hæc incommoda vitari poſſint. Placetne rem exemplo illuſtrari? Hem illud vobis, & quidem ſatis recens. Noſtis ut Compendii nuper coquorum regiorum præfecto nomine Guillio, Chriſtinæ Sueciæ reginæ in collegio veſtro Regis juſſu prandium paranti Pater Borinus

Borinus violari ædes ſuas ratus gravem alapam infregerit? Dabitis certè præfectum illum qui ſic à ſodali veſtro percuſſus tantam injuriam tam ſedatè tulit, moderatione ſuâ ſatis eſſe teſtatum nec odio ſe, nec ultionis efferri libidine. Reſtabat igitur vitandus magnus cædium numerus. Atqui tam rarò Jeſuitæ ſic regios miniſtros cædunt, ut non verendum fuerit ne Jeſuita ob hanc cauſam peremptus, multas alias ejuſmodi cædes ſecum traheret. Itaque diffiteri non poteſtis, quin ille Jeſuita percuſſor tutâ conſcientiâ obtruncari potuerit, & Leſsianæ doctrinæ praxim in ſe experiri: fortaſſe verò ſic eveniſſet, ſi in hominem incurriſſet veſtris decretis inſtructiorem, & qui ex Eſcobario didiciſſet; *alapâ percuſſum tandiu cenſeri honore privatum, quandiu adverſarium non interimit.* Verùm R R. P P. ſatis credibile eſt, boni, ſed inviſi vobis Parochi longè diſſimilibus præceptis aliquid vos debere, quòd illis inſtitutus Guillius hoc loco à nece Jeſuitæ temperarit.

Apage igitur illa incommoda quæ tot modis vitari poſſunt, quibus tamen remotis licita prorſus ex Leſſio cædes etiam in praxi. Hoc ſolerter viderunt Doctores veſtri ab Eſcobario citati tr. 1. Ex. 7. n. 48. *An liceat*, inquit, *poſt impactam alapam percutientem inſequi & interimere? Aliqui negant; quia id eſſet injuriam vindicare, non defendere. At Leſsius l. 2. c. 9. dub. 12. n.* 80. *licere exiſtimat ſpeculativè; ſed in praxi non conſulendum ob periculum odii, vindictæ, & exceſſuum, pugnarum & cædium in Reipublicæ perniciem: alii ſecluſis his periculis, in praxi probabilem & tutam judicarunt Henriquez lib.* 4. *n.* 3. &c. Sic opiniones gradatim ad probabilitatis faſtigium aſſurgunt. Huc enim iſtam perduxiſtis, permiſſo ſimpliciter ob alapam acceptam homicidio, ſine ullâ vel ſpeculationis vel praxeos diſtinctione. *Poteſt, inquiunt veſtri, vir nobilis aut honoratus interficere eum qui fuſte aut alapâ percuteret.* Et alio loco: *Licet volentem te percutere leviter, occidere, ubi id inſignis injuria eſt, præſertim in nobilibus; nimirum alapâ acceptâ gladio percutere ſtatim*

ad vitandam ignominiam conſervandumque honorem. Hoc Cadomi à ſodalibus veſtris traditum in publicis prælectionibus quas Pariſienſis Academia palam in ſupremo ſenatu exhibuit, in tertiâ poſtulatione adverſus veſtram de homicidio doctrinam, ut pag. 339. & 340. libelli hâc de re ab ipſâ editi cernere eſt.

Advertite igitur, Patres, vanam illam diſtinctionem ſpeculativæ & practicæ cædis, quam ut ridiculam dudum Academia Pariſienſis exagitavit, ab ipſis ſcriptoribus veſtris impulſam corruere. Sed quoniam hâc quoddam calliditatis veſtræ continetur arcanum, non abs re erit ipſam paulò diligentiùs hîc explicari, quòd eam intelligi, ad 15. 16. 17. calumniam diluendam valde pertinet; & prætereà μυστηριώδους illius prudentiæ ſenſim arcana retegi nunquam eſt alienum.

Cùm hoc conſilium iniiſtis, RR. PP. ut molles ac flexibiles figeretis conſcientiæ leges, nonnullas inveniſtis quæ ſolam Religionem attingerent, cujuſmodi ſunt contritionis, pœnitentiæ, divini amoris dogmata, ac cætera quæ interiorem tantùm animi habitum ſpectant. Aſt alias offendiſtis in quibus habenda eſſet, non modò Religionis, ſed etiam Reipublicæ ratio, ut in uſurâ, ceſſione, cæde, atque aliis ejuſmodi. Hîc vos ubicunque ſola demum obſtitit Religio, illius præcepta ſine exceptione, ſine diſtinctione, ſine metu calcaſtis, parum reveriti divinam juſtitiam, quòd malorum in aliam vitam pœnas diſtulerit. Hoc cum intimo doloris ſenſu in flagitioſis veſtrorum de pœnitentiâ & divino amore decretis vident & gemunt omnes quos Eccleſiæ cura ſollicitat.

At ubi Reipublicæ etiam, non modò Religionis interſuit quid ſentiretur, humanæ juſtitiæ metu decreta veſtra bifariam diviſiſtis: duplicem excitaſtis quæſtionem; alteram in ſpeculatione ſitam; alteram in praxi. In ea quam ſpeculatione contineri dixiſtis, quia jam non intervenit Reipublicæ utilitas, & crimina per ſe ſpectata ad ſolam

Dei legem exiguntur, veſtro paruiſtis ingenio, & crimina ſpeculativè licita non cunctanter pronuntiaſtis. Verùm quoniam in praxi agitur Reipublicæ ſalus, & magiſtratuum pro publicâ ſalute excubantium metus obſervatur, aliquantò reſtrictiores fuiſtis; nec ſemper practicè vobis probantur illæ cædes, quas ſpeculativè innoxias eſſe decernitis, quæ vos cautio à judicibus tutos præſtat.

Exemplo eſſe poſſunt veſtra de cæde calumniatorum decreta, de quâ ſic ſtatuunt Filiutius t. 29. c. 3. n. 52. Regin. l. 21. c. 5. n. 63. *Si quis detrahat falſis criminationibus apud viros honoratos, licet ex probabili opinione P. Navarri & Bannez poſſit occidi, attamen practicè contrarium eſt ſequendum*; *quia*, inquit Reginaldus poſt Leſſium, *in jure defenſionis conſiderandum eſt ne uſus illius vergat in Reipublicæ perniciem, nec dubium eſt quin ſequendo affirmantem, præbeatur occaſio multis cædibus occultis cum magnâ Reipublicæ perturbatione.*

Ita ſe proferunt opiniones veſtræ ſub hujus diſtinctionis involucro, quâ Religio quidem apertè violatur, Reſpublica autem adhuc obſcurius. Satis iſtud ad ſecuritatem veſtram eſſe cenſetis. Nam ne à vobis Eccleſia violatæ veritatis exigat pœnas, ſperatis gratiâ veſtrâ perfectum iri; ne magiſtratus in vos concitentur iſtis providetis cautionibus, quibus illius doctrinæ praxim multis in locis prohibetis: nullum enim propriè Magiſtratibus in caſus conſcientiæ jus eſt, ſed in externos demum actus. Ad hunc modum quæ ſententia ſub praxeos nomine plecteretur, ſub theoriæ nomine ſecura ſe promit.

Verùm hâc baſi ſemel ſtabilitâ, nil facilius quàm illi reliqua ſuperſtruere. Immenſum quoddam intervallum intercedebat inter Dei præceptum homicidium prohibentis, & veſtrorum decreta ſpeculativam homicidii veniam concedentium: at inter hanc veniam & praxim exiguum & ferè nullum eſt. Id enim demum docendum reſtat, quod theoreticè licet, idem etiam practicè licere: non deerunt

rationes quæ vobis difficilioribus in locis non defuerunt. Age ſi vultis, oſtendam quâ viâ illuc perveniatur. Sequimini modò differentem Eſcobarium in primo magnæ Theologiæ Moralis volumine quod dudùm indicavi. Ibi verò mirum quàm perſpicacior ſit, quàm olim in illo morum doctrinæ breviario, quod ex 24. Jeſuitis congeſſerat. Nam cùm quaſdam illic eſſe cenſuiſſet opiniones ſpeculativè probabiles, quarum praxis tuta non eſſet, falſum hoc eſſe poſteà cognovit, & pulcherrimè in poſtremo illo opere demonſtravit; adeò non ſingulæ modò probabiles ſententiæ, ſed etiam ipſa generalis probabilitatis doctrina matureſcit tempore, & magnas acceſſiones capit. Audiamus igitur illum in prologo c. 3. n. 15. ita loquentem. *Plures Iuriſperitorum non audent in praxi opiniones Duareni, Cujacii, Donnelli &c. & aliorum ſectari; eaſque theoreticas ſolùm, & non practicas vocant, tantùmque ad ſcholarum ludum proficuas. Decipiuntur planè. Minimè enim percipio aliquam opinionem eſſe ſpeculativè probabilem, & in praxi amplexari non poſſe; cùm probabilitas practica ab ſpeculativâ oriatur probabilitate, ab eâque ſolùm differat tanquam effectus à ſuâ causâ. Id enim quod quis opere juſtè exequitur vel injuſtè, ab eo exoritur, quòd ſpeculativè judicabit licitè poſſe geri, cùm cognitio ſpeculativa ad opus dirigat voluntatem. Vnde in praxi tutò hæreſcere poteris ejuſmodi Doctorum ſententiæ, imò fortè ſecuriùs quàm aliorum, non tam theoricè ſapientum ſenſui. Nam qui theoricè rem planiùs examinant, & fundamenta diſcutiunt, meliùs quoque regulam ad operandum demonſtrabunt: aliàs nihil prodeſſet alicui, rem ſaniùs percipere, niſi in ordine ad operandum certiorem regulam conſtitueret. Ioannes Sanc. Thomas Sanchez.*

Enimverò, R R. P P. ſatis ſcitè nonnunquam ratiocinatur veſter Eſcobarius; & certè ita eſt. Tantus nexus eſt theoriam inter & praxim, ut cùm illa radices egit, continuò alteram non diſſimulanter invehatis. Cerni hoc licuit in veniâ homicidii ob acceptam alapam. Hanc Leſſius à nudâ ſpeculatione provexit ad eam praxim quæ non eſſet

facilè

facilè permittenda: Eſcobarius ad praxim faciliorem: poſtremò Patres Cadomenſes ad plenam veniam, nullâ vel theoriæ vel praxeos factâ mentione, quemadmodum ſupra vidimus.

Hâc arte opiniones veſtræ ſenſim adoleſcunt. Horrorem illæ omnibus incuterent, ſi quicquid flagitii recondunt, ſtatim expromerent; at lento illo tacitoque progreſſu paulatim ipſis homines conſuefiunt, ſenſimque offenſio diſcutitur, atque ita homicidii venia exoſa Eccleſiæ exoſa Reipublicæ, primùm in Eccleſiam, inde in Rempublicam invehitur.

Simili ſucceſſu uſa eſt illa ſententia, quâ detractores interficere permittitis: nam hæc quoque ad ſolutam illam veniam perducta eſt. Non committerem, Patres, ut in ſodalium veſtrorum locis recenſendis tererem tempus, ni ſic neceſſe eſſet revinci incredibilem illam confidentiam, quâ ſemel atque iterum in calumniâ 15. p.26.& 30. aſſeruiſtis, *nullum unquam Ieſuitam docuiſſe detractores occidi fas eſſe.*

Multum hîc, Patres, veſtram requiro prudentiam. Nam ſi talia ſcribere decretum vobis erat, quoquomodò etiam efficiendum fuit, ut in manus meas ne venirent. Quid enim facilius quàm tam aperta mendacia refellere. Ecquid non hoc docuerunt ſocii veſtri Reginaldus, Filiutius, ſaltem theoreticè licere. Jam vero à theoriâ ad praxim Eſcobarii nos doctrina rectâ deducit viâ. Addo etiam multos ex veſtris diſertis verbis id etiam in praxi licitum dixiſſe. In his eſt ille ſodalis veſter Herellus, cui olim domus veſtra pro carcere aſſignata eſt regio juſſu, quòd cum multis aliis erroribus & iſtum protuliſſet in publicis prælectionibus. *Si quis nomini meo falſis criminationibus apud principem, judicem, vel viros honoratos detrahere nitatur, nec ullâ ratione poſſim hoc damnum famæ avertere, niſi illum occultè interficiam, id licitè poſſum. Monendus tamen priùs eſſet detractor ut deſiſteret; & ſi nollet, ratione ſcandali non eſſet apertè occidendus, ſed clam.*

Franciſci Amici ſocii item veſtri jam antè mentionem feci; nec clam vobis eſt, hujus doctrinam de hoc ipſo argumento anno 1649. ab Univerſitate Lovanienſi cenſurâ inuſtam. Imò duo adhuc non abierunt menſes, ex quo ſodalis quidam veſter nomine DESBOIS eandem Amici doctrinam Rotomagi propugnavit, palamque licere aſſeruit, *Religioſis famam virtute partam defendere, etiam cum morte invaſoris.* Quod tantam in hâc urbe offenſionem commovit, ut cuncti Parochi inter ſe conjuncti ſodalem veſtrum in jus traxerint, quo illum in præſens ad hanc doctrinam recantandam, ſolito judiciorum Eccleſiaſticorum more compellant, ad ſilentium in poſterum adigant. Itaque apud Officialis tribunal conteſtata lis eſt.

Quid vobis igitur voluiſtis, RR. PP. cùm hoc tam præfidenter ab ullo Jeſuita traditum pernegaſtis? Quid enim aliud opus eſt ad vos coarguendos, quàm illa ipſa quæ vos affertis loca proferri? Non enim illa cædem ob calumnias ſpeculativè prohibent, ſed potiùs probant; tantùm in praxi vetant propter incommoda quæ hinc in Rempublicam poſſent redundare, Satis id omnino ad cauſam meam. Quid enim aliud in iſtis contentionibus agitur, niſi utrùm divinam legem deleveritis, quâ vetatur homicidium? Non agitur, RR. PP. utrùm à veſtris violata ſit Reſpublica, ſed utrùm Religio. Quò pertinet igitur parcitum ab ipſis Reipublicæ, cauſari, ſi everſam ab iiſdem Religionem eſſe conſtiterit? Conſtat autem ex his reſponſionis veſtræ verbis: *Super hâc de occidendis detractoribus quæſtione Reginaldi ſenſus eſt, licere privato hoc defenſionis genere uti, ſi ſimpliciter illud & in ſe ſpectetur.*

Non plura poſtulo, RR. PP. ſufficit iſta confeſſio: *privato jus eſt*, ut dicitis, *hoc genere defenſionis uti*, *re ſecundum ſe ſpectatâ.* Ergo lex divina quâ prohibetur cædes, veſtro decreto convulſa eſt. Nec ad rem attinet quod adjungitis, hoc etiam divinâ vetitum lege propter ſtrages & ſcelera quæ hinc in Republicâ naſci poſſent; quia publicæ utili-

tati cavere divina lex præcipit: prorſus iſtuc extra quæſtionem. Duplex enim in hoc negotio lex attendi poteſt: alterâ prohibetur cædes; alterâ ne Reipublicæ noceatur: hanc quâ Reipublicæ nocere vetamur, fortaſſe non violavit Reginaldus; at illam certè quâ cædes prohibetur, certiſſimè violavit. Atqui de hâc unâ quæſtio vertitur, ut taceam utramque legem ab iis ſodalibus veſtris planè deletam, qui non modò ſpeculativè, ſed etiam practicè occidi calumniatores volunt.

Sed iſta paulò altiùs introſpicienda ſunt. Apparet vos Reipublicæ cavere nonnunquam, in quo vobis propoſitum eſſe dicitis, ut divinæ legi quæ hoc præcipit, pareatis. Fieri poteſt; non tamen certum eſt: nam idem à vobis poſſet extorquere judicum metus. Ergo vera hujus veſtræ cautionis origo indaganda: illa verò hâc ratione pateſcet. Qui verè & ex animo Deum colit, cujus cogitationes in eo præcipuè evigilant ut divinis legibus obtemperet, in omnibus ejus decretis hæc ſeſe Dei reverentia conſtanter exerit, nec unquam ipſum à Religionis cauſâ patitur deſciſcere. Contra ſe gerit qui aliud ſequitur. Ad hanc normam ſi quis exigat, RR PP. quod tandem de vobis judicium feret. Videbit ille ſanctiſſima Dei præcepta ubi cupiditatibus veſtris obſtant, à vobis audaciſſimè calcari. Videbit in iis ipſis quæ aguntur decretis ipſam quâ propter ſe homicidia prohibentur, Dei legem everti; nec aliam afferri cauſam cur vobis cædes etiam in praxi non probentur, niſi Reipublicæ utilitatem, & Judicum metum. Ex his quid ille eliciet, niſi aliud vos ſequi, aliud timere quàm Deum; atque adeò dum legem ejus retinetis quâ vetat ne Reipublicæ noceatur, non tam hoc ipſi legi præſtari, quàm commodis veſtris, quibus dum ſerviunt irreligioſiſſimi quique politici, nonnunquam in ſpeciem Religionem colunt?

Placet igitur vobis, Patres, hominum patientiâ ſic abuti? Occidi calumniatorem poſſe dicitis, ſolâ demum

divinâ lege ſpectatâ; ac poſt tam apertum æternæ legis contemptum ad mitigandam doctrinæ iſtius invidiam; propter judices, ac petitas è Republicâ rationes, id vobis in praxi probari negatis. Siccine nobis putatis eſſe ſatisfactũ? Siccine impietatis crimen à vobis depulſum? Siccine abſterſum ſceleratæ illius ſententiæ ſcandalum? Non videtis novam potiùs offenſionem in vos concitatam? non propter illud in judices obſequium quod oſtentatis: nunquam illud vobis exprobravi, Patres; nec erat cur in iſto commento ridiculos pag. 9. cavillos necteretis. Hoc, hoc vobis exprobravi, hoc nunc inſector, hoc execror, non quòd judices timeatis, ſed quòd ſolos judices, judicum judice planè contempto. Hoc deteſtor, Patres, quòd criminibus Deum minùs quàm homines infenſum eſſe fingatis. Si legibus humanis culpâ carere diceretur qui calumniatorem interfecerit, divinis non carere, falſum, at certè minùs intolerandum erat. Sed quis ferat Dei, id eſt, ipſius juſtitiæ oculis purum & innoxium à vobis aſſeri, quod nimis nefarium eſt, quàm ut ab hominibus ferri poſſit? Quid aliud demonſtrat tanta & ſic ſanctis omnibus deteſtata perverſio, niſi vos adverſus Deum audaces, adverſus homines timidos eſſe?

Vultis ut retegam, Patres, quâ calliditate veſtri doctores homicidii veniam invexerint? Nec damnare illi homicidia voluerunt: nam ſi ita eſſet, nunquam divinam quâ vetantur legem delerent: nec rurſus auſi ſunt homicidia ſtatim permittere: feciſſent enim ſtatim & apertè ſi auderent, Dei legibus hominumque neglectis: ſenſim igitur & tacitè cædis faciendæ veniam inducere ſtuduerunt, ut excubans pro ſalute communi magiſtratuum vigilantia falleretur. Ad id fallaciam adhibuerunt advocatam, ſanctionibus ſuis non ſimul profuſis, ſed bifariam diviſis. Hinc quidam è veſtris calumniatores ſpeculativè occidi fas eſſe dixerunt: nemo enim ſe ſpeculationibus veſtris interponit. Illinc ab aliis iſta ſententia prolata eſt; quod ſpeculativè licet, licere

re practicè: quid enim ad Rempublicam pertinere videtur generalis & metaphyſica ſententia. Sic duobus illis decretis nil periculi præ ſe ferentibus ſeparatim receptis, illuſas Magiſtratuum excubias patet, cùm ex illis ſimul conjunctis elicere promptum ſit, propter nudas calumnias homines jure interfici poſſe.

Ita prorſus aſtutè à ſcriptoribus veſtris comparatum eſt, ut disjuncta tradantur in ſcriptis, quæ in conſiliis veſtris conjuncta promuntur. Sic probabilitatis doctrina toties à nobis expoſita, ſeparatim illis ſtabilita eſt: mox animis hâc generali ſententiâ imbutis, alias ſeorſim inſtillant opiniones, quæ cùm innocuæ per ſe videri poſſint, teterrimæ fiunt cum hoc peſtifero dogmate connexæ.

Exemplo erit quod in calumniis veſtris dictum pag. 11. & hîc à me refelli neceſſe eſt: *multos inſignes Theologos ita ſentire; ob alapam acceptam percuſſorem occidere fas eſſe.* Dicat hoc alius probabilitatis doctrinæ non addictus, nihil erit ſanè culpandum: referret enim tantùm, non probaret iſtam ſententiam; nec quicquam ex ejuſmodi ſermone elici poſſet. At vos qui in peſtilentem hanc ſententiam juraviſtis, quicquid à gravibus ſcriptoribus traditum eſt, id & probabile & tutum eſſe, cùm illud adjungitis, multis gravibus Doctoribus viſum, *occidi licere qui alapam impegerit*, quid aliud quàm omnibus Chriſtianis gladium porrigitis, quem in eorum à quibus ſe læſos putabunt pectus adigant, dum tot gravibus Doctoribus freti, hoc ſe tutâ conſcientiâ facere vobis ſponſoribus judicabunt?

O genus ſermonis horribile, qui dum affirmat aliquos ſcriptores in deteſtandâ fuiſſe ſententiâ, hoc ipſo deteſtandam illam ſententiam ſancit; & quicquid narrant, idem & docet! Intelligimus, Patres, hanc propriam ſcholæ Jeſuiticæ linguam, ſtupendumque prorſus tantum vobis ineſſe frontis, ut hanc tam confidenter oſtentetis. Prodit enim illa ſenſus veſtros nimis apertè, & dum aliquos doctores ob alapam acceptam cædis veniam feciſſe aſſerit,

hoc

hoc uno vos indicio nefandi hujus dogmatis peragit reos.

Hoc crimen à vobis nunquam depelletis, RR. PP. nec quicquam illa vos juvabunt Suaris & Vaſqueſii loca, quæ mihi in caſſum objectatis, damnent licet quod ſodalibus ſuis probatur. His teſtimoniis à reliquâ doctrinæ veſtræ continuatione ſejunctis perſtringi poſſent, quibus illa minùs innotuiſſet. Sed gnari veſtrarum artium, dogmata veſtra cautè conjungunt. Cædes igitur hìc Vaſqueſio improbari dicitis, bene eſt. At quid audimus aliunde? Nempe *alicujus ſententiæ probabilitate, nil alterius oppoſitæ probabilitati detrahi.* Item *licitum eſſe minus tutam & minùs ſecuram opinionem amplecti, relictâ probabiliore & tutiore.* Ex iſtorum locorum ſummâ quid efficitur, niſi ſolutam nobis ac liberam eſſe iſtarum ſententiarum quæ magis arriſerit amplecti?

Ubi igitur ille fructus quem ex iſta locorum deſcriptione ſperaſtis? Evanuit, RR.PP. Quibus enim disjunctis innocentiam veſtram probare voluiſtis, iiſdem ego conjunctis crimen veſtrum coarguo. Quid juvat iis quæ non protuli locis ea quæ protuli purgare velle, quaſi alia aliis poſſent emendari? Quorſum me ſycophantam proptereà dicitis? An ſocios omnes veſtros iiſdem flagitiis implicatos dixi? An parum docui ex uſu veſtro magis fuiſſe, ut cujuslibet ſententiæ doctores haberetis, & ſic omnibus utilitatibus veſtris accommodatos. Vis occidere? Præſto erit Leſſius cædis autor. Vis parcere? Aderit Vaſqueſius humanitatis hortator. Sic nemo triſtis abcedet, nemo ſine gravis Doctoris autoritate. De homicidio tanquam Ethnicus loquetur Leſſius, de eleemoſyna forſan ut Chriſtianus: contrà de eleemoſyna Vaſqueſius ut Ethnicus diſſeret, de homicidio ut Chriſtianus. At mediâ probabilitate quam utrique tuentur, & qua privatæ cujuſque ſententiæ omnium fiunt, ſuas uterque cùm opus erit alter alteri mutuò ſententias commodabit, uterque diverſam opinionem ſecutos abſolvet.

Premit

Premit igitur vos iſta varietas: potior longè fuiſſet æquabilitas, vel in vitio. Nihil enim à Sancti Ignatii ac primorum Societatis veſtræ præpoſitorum mente alienius, quàm illa quarumlibet opinionum promiſcua farrago. Dabitur fortè nobis aliquis de hoc vobiſcum diſputandi locus: ſtupebunt homines quantùm ab Inſtituti veſtri primævo ſpiritu defluxeritis: ſtupebunt Præpoſitos veſtros tantò antè vidiſſe, morum diſciplinam à vobis flagitioſè corruptam, & Societati veſtræ ac toti Eccleſiæ funeſtam fore.

Interim hoc moneo, nihil omnino vobis prodeſſe poſſe Vaſqueſii doctrinam. Incredibile fuerit inter tot Jeſuitas qui de moribus ſcripſere, unum aut alterum non reperiri qui id dixerit quod apud omnes Chriſtianos in confeſſo eſt. Nihil meretur laudis qui negat ob alapam fas eſſe quemquam interfici; at hoc qui aſſerit, quodvis meretur opprobrium. Id ipſum igitur vos obruit, quo vos ſublevari poſſe ſperaſtis. Patet enim non defuiſſe apud vos veritatis doctores; ſed vos à cognitâ veritate deſciviſſe, lumen tenebris poſthabentes. Didiciſtis ex Vaſqueſio hanc doctrinam *quòd ei qui alapam recepit, liceat inimicum, ſi poteſt, ibi fuſte cædere; & quòd is qui fuſte cæſus ſit, poſſit ſtatim inſequi percuſſorem, & ipſum occidere; non Chriſtianam eſſe, ſed gentilitatem ſapere, ac legem Euangelicam & Decalogum deſtruere, idque etiam ſceleratis notum eſſe.* Et tamen vobis ferentibus Leſſius, Eſcobarius, aliique veſtri ſodales adverſus iſta non ignota vobis Dei præcepta ſanxerunt, omnibus Dei legibus quibus homicidium vetatur non effici, quominùs ob alapam interficere non liceat!

Quid attinuit igitur adverſus Leſſianum decretum hunc Vaſqueſii locum proferre, niſi ut ſceleratus, ut Ethnicus Vaſqueſii voce pronuntiaretur Leſſius? Hoc illud eſt, Patres, quod ego dicere non audebam. Quid inde aliud efficitur, niſi à Leſſio Decalogum ac legem Euangelicam deletam eſſe, extremoque mundi die ſuper hoc capite

pite damnatum iri à Vaſqueſio Leſſium, ſuper alio Vaſqueſium à Leſſio; horrendamque ſcriptorum veſtrorum pugnam in illo judicio futuram in ſe invicem inſurgentium, ac ſua ſibi in Chriſti legem horrenda flagitia exprobrantium?

Quando igitur quæ ſunt à veſtris dicta præclarè; ea Eccleſiæ infructuoſa, ac veſtræ demum fructuoſa Societati probabilitas facit, quid aliud inde concludere eſt, niſi inſincerum ac duplicem animum veſtrum inde vel maximè pellucere, quem vos palam omnibus prodidiſtis, dum hinc à Leſſio & Suare cædes vetari, illinc à multis claris ſcriptoribus permitti dixiſtis; ut ſic duplicem hominibus oſtentaretis viam, abjectâ divini ſpiritus ſimplicitate, qui vafris illis & ſubdolis hoc intentat anathema: *Væ duplici corde & ingredienti duabus viis.*

IN EPISTOLAM DECIMAM-TERTIAM

NOTA UNICA.

De Homicidio.

§. I.

Exploduntur cavilli leviores.

Poſtquam mirâ confidentiâ Jeſuiticus Apologiſta rem toti Galliæ notiſſimam, impactam ſcilicet Compendii Guillio viro honeſto ab uno è ſodalibus ſuis alapam, pernegaſſet; pergit in reliqua epiſtola frigidis argutiis patefactas à Montaltio ſcriptorum ſuorum labes prætexere. Ac primùm de Victoria iterum ſic cavillatur. *Age dic*, inquit; *non tu hunc Victoriæ locum Leſſio tribuiſti Epiſt. 7.?* Pro Montaltio reſpondeo, & factum eſſe, & rectè factum. Urget Apologiſta: *Non tu hunc eundem locum Epiſt.* 13. *Victoriæ eſſe fateris?* Reſpondeo, ita fateor eſſe Victoriæ, ut Leſſii ſimul eſſe contendam. *An non hæc*, inquit, *manifeſta falſitas, manifeſtum Montaltii à ſeipſo diſſidium?* Reſpondeo nec falſitatem eſſe, nec inteſtinum diſſidium; ſed manifeſtam contra impediti Jeſuitæ cavillationem. *Sufficitne*, inquit, *Montaltiò ad ſe purgandum non illic ſitam eſſe controverſiam cauſari?* Sufficit planè, ſiquidem verum ſit non ibi eſſe controverſiam: at certè verum eſt. Non enim quæritur cujus hæc verba ſint: quæritur cujus ſit iſta ſententia. Nec Leſſii nec Victoriæ verba propriè retule-

retulerat Montaltius, utpote gallicè locutus, cùm ille latinè ſcripſerit; ſententiam tantùm ipſorum ſuis verbis expreſſerat. Sententia autem hujus eſſe rectè dicitur, cui probatur, cùm ſolâ approbatione alicujus fiat: ita cùm Leſſio & Victoriæ illa probetur, & Leſſii eſt & Victoriæ. *At Leſſii*, inquit, *non eſt*. Jam illud bene, attingit enim quæſtionem. Audiamus igitur quare Leſſii non ſit. *Negat*, inquit, *hanc ſententiam in praxi facilè permittendam*. Quid tum? Ergo ſaltem ſpeculativè Leſſii eſt, cùm eam ſpeculativè approbet: at aliter ipſi quàm ſpeculativè tributam à Montaltio Jeſuita non evincit. Adde quòd ejus praxim quoque nec promiſcuè ſinit Victoria, nec univerſè rejicit Leſſius. Non vult iſte ejus praxim facilè permitti, & rem egere multis cautionibus fatetur: ne id quidem diffitebitur Victoria. Ita nihil eſt quòd alterum ab altero Jeſuitæ diſſocient.

Prorſus autem intoleranda Apologiſtæ abſurditas eſt, cùm in Montaltium eo nomine invehitur, quòd id dixerit docere Jeſuitas, ob ſolas calumnias cædem lege divinâ non vetitam; quòd ille gallicè ſic extulerat: *Pluſieurs Ieſuites enſeignent que la loy de Dieu ne defend point de tuer pour de ſimples mediſances*. Hìc mirabilem texit argutiam Apologiſta: fatetur quoſdam Jeſuitas docere ob calumnias graves licitam cædem; negat ob ſimplices calumnias cædem ab iiſdem eſſe permiſſam: ita videlicet hoc verbum accipiens, quaſi idem eſſet gallicè *ſimplex calumnia*, quòd levis calumnia. Verùm ineptiam illam ridebunt quicunque gallicè planè rudes non ſunt. Simplex enim calumnia ea eſt cui non comitatur vis, quæ intra calumniæ metas ſe continet: ita quàmlibet atrox calumnia ſit, ſimplex tamen eſt, ſi cædem aut verbera adjuncta non habeat.

Cæterùm quod ait dolendum eſſe Vallium & Bannem in eâ fuiſſe ſententiâ, calumniatorem occidi poſſe, ſi aliter repelli non poſſit. Metuo ut ſatis ſincerè loquatur. De Vallio nihil dicam, à quo tamen multi hanc labem abſtergunt. Illud dico, fictum illum dolorem impudentiæ quàm pœnitentiæ ſimiliorem: cùm hâc doctrinâ quam hìc Apologiſta Jeſuitarum eſſe diſſimulat, nihil ſit apud Jeſuitas vulgatius. Quod ut omnibus innoteſcat, juvat hìc brevem Amici Jeſuitæ hiſtoriam Lovanio ad me tranſmiſſam inſerere, noviſque è Caramuele ductis luminibus illuſtrare.

§. 2.

Franciſci Amici Ieſuitæ hiſtoria à Doctore Lovanienſi ſcripta.

R. P. Franciſcus Amicus Conſentinus è Soc. Jeſu S. T. D. ac Profeſſor in Collegiis Aquilano, Neapolitano, Græcenſi, Viennenſi; nunc Univerſitatis Græcenſis Cancellarius, edidit juxta ſcholaſticam hujus temporis ejuſdem Societatis methodum, curſum Theologicum Duaci impreſſum anno 1640. Tractatu autem de jure & juſtitiâ diſp. 36. ſect. 7. n. 118. docet hoc pernicioſum dogma. *Ergo ſaltem hunc honorem* (qui ſcilicet ex virtute & ſapientia naſcitur) *poterunt Clerici ac Religioſi, cum moderamine inculpatæ tutelæ, etiam cum morte invaſoris defendere: quin interdum lege ſaltem*

charitatis

charitatis videntur ad illum defendendum teneri, ſi ex violatione propriæ famæ integra Religio infametur. Vnde licebit Clerico vel Religioſo calumniatorem gravia crimina de ſe, vel de ſuâ Religione ſpargere minantem occidere, quando alius defendendi modus non ſuppetat; uti ſuppetere non videtur, ſi calumniator ſit paratus ea vel ipſi Religioſo, vel ejus Religioni publicè ac coram graviſſimis viris impingere, niſi occidatur. Infra ad palliandum erroneam hanc doctrinam habebatur. *Verùm quia hæc apud alios ſcripta non legi, nolo ita ſint dicta, ut communi ſententiæ adverſentur, ſed ſolùm diſputandi gratiâ maturo judicio relicto penes prudentem Lectorem.* Quapropter cum idem opus hoc anno 1649. Antverpiæ recuderetur, additâ in indice hâc animadverſione: *An licitum ſit in defenſionem proprii honoris aggreſſorem occidere à n.* 103. *ad* 118. *ubi opinionem novæ ſimilem vix evulgaveram, cùm ecce illam ſub iiſdem fere terminis aſſertam legi apud Petrum Navarr. lib. 2. de reſtit. cap. 3. n. 371. & 372.... hanc ipſam cum eâdem diſtinctione docet Sayrus lib. 6. theſ. Caſuum conſc. cap. 17. n. 22. & 23.*

Supremum Conſilium Brabantiæ ad inſtantiam fiſci regii, petitâ priùs per illum & obtentâ ſupradicti dogmatis condigna Cenſura ab Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Domino Archiepiſcopo Mechlinienſi è ſacra Facultate Theologica Lovanienſi, prohibuit ne ſecunda editio, niſi prætacto dogmate prius expuncto, in publicum emitteretur. Quod videntes operis patroni in locum præcedentium verborum, per typographum Conſilio obtulerunt ſubſtituenda ſequentia: *Ergo ſaltem hunc honorem poterunt Clerici ac Religioſi cum moderamine inculpatæ tutelæ defendere: quin interdum lege ſaltem charitatis videntur ad illum defendendum teneri, ſi ex violatione propriæ famæ integra Religio infamaretur, ſed cum eâ moderatione quam ſupra n.* 111. *& ſeq. docui, illam ipſam latiùs & clariùs exponens; nec in priore editione plus dixi, quàm poſteà legi apud Petrum Navar. Toletanum magni nominis Theologum lib. 2. de reſtit. cap. 3. nu. 371. & ſequentibus. Duplex honor eſſe poſſe videtur in homine: unus qui ex ſpiritali bono reſultat, ſive ex parte intellectus, ut ſapientia, prudentia, ſcientia, &c. ſive voluntatis, ut virtutes; ratione enim horum homo honorabilis dicitur & eſt, non ſolùm apud ſapientes, ſed apud omnes etiam inſipientes: alter qui ex corporali bono procedit, ut ex viribus, valetudine, pulchritudine &c. Poſſet ergo quis dicere quòd non licet indifferenter pro tuendo honore occidere, ſed pro primo tantum, qui verus honor eſt, & per ſe expetibilis; & ita tum tantùm pro eo honore tuendo licebit occidere, cùm neceſſarius eſt, vel utilis ad alia bona conſequenda.... extra quem caſum illicitum videtur..... De hoc honore planè loquitur Covar. 3. p. relat. de homic. §.* VII. *n.* 4. *cum dicit non licere pro honore tuendo occidere. Si enim de honore primo loqueretur, vel ſecundo quidem modo, cum neceſſarius eſt ad alia bona conſequenda, omnes fatentur licitam eſſe illius defenſionem cum invaſoris occiſione. De illo enim honore ſcriptum eſt: Curam habe de bono nomine: &, Melius eſt bonum nomen, quàm divitiæ multæ. Si ergo licitum eſt pro defenſione temporalium bonorum invaſorem occidere; à fortiori licebit pro dicto honore, qui non inanis, ſed ſolidus & neceſſarius in populo. Idem docet Sayrus Ordinis ſancti Benedicti vir doctiſſimus: Apertius*

tius in c. dilecto de ſent. excom. li. 6. Innocent. IV. *probat factum Decani Aurel. quo licuit, ait, ipſi Decano, ſi Balivus eum injurioſè bonis ſuis ſpoliare intendebat, vim vi repellendo ſe tueri. Et hoc quod diximus non ſolum in Laïcis, ſed etiam in Clericis locum habet; ſiquidem principium illud naturale vim vi repellere licet, etiam in illis bona ſua tutantibus procedit. Caſum ibidem à me propoſitum explanat Leſſius lib. 2. cap. 9. n. 47. & rectè mecum improbat in praxi: etſi plus aſſerat Duvallius Doctor Sorbonicus, regiuſque ibidem Profeſſor tract. de char. q. 17. a. 1. Si vita, fama, fortuna, ruina totius familiæ, aliàs nobiliſſimæ & honeſtiſſimæ, ſimul apud judicem infallibiliter per calumniam perdendæ ſint; ut ſi alicui crimen perduellionis per falſos teſtes impingeretur: poteſt hic occultè occidere eum, ſcilicet calumniam parantem, ſi nulla alia via ad eam calumniam evadendam ſuperſit. Quem caſum puto metaphyſicum, ſupra n.111. ſcilicet ut nulla alià ſuperſit via evadendi.*

Hæc, inquam, Patroni operis P. Amici velut emendatiora, ſuperaddito ſupremo Brabantiæ Conſilio exhibuerunt. Verùm videns Conſilium, præter falſitatem aliquot citationum, immutationem factam non tam eſſe erroris correctionem, quam noviter attentatam ejuſdem confirmationem, nullomodò acquieſcendum eſſe judicavit, ſed iteratò mandavit planè & integrè ſupradictum dogma expungi. Illi mandato hactenus obtemperatum, ut ea quæ in prima editione ab illis verbis incluſivè: *Vnde licebit Clerico Religioſo &c.* habebantur, ſublata ſint, præcedentibus interim toto hoc titulo remanentibus ut erant antè; ubi cùm hac formula verborum: *Vnde licebit Clerico vel Religioſo &c.* unuſquiſque videat ea concluſionem ex præcedentibus deductam continere, intelligit ſanè dogma hoc dignum radicitus evelli & extirpari, vix ſolo tenus demeſſum eſſe, tamque facilè repullulaturum, quàm facilè quis per obviam conſequentiam concluſionem aliquam ex principiis deducere poteſt. Adde quòd cùm abſurdum nonniſi ex abſurdo ſequatur, principium ex quo Autor ſupradictam doctrinam ſuam infert (quod nihilominùs intactum remanſit) abſurdum quoque eſſe neceſſe ſit, uti & reverà eſt, ſcilicet quod habet hoc eodem titulo, partim n. 111. Licere (laïco ſcilicet) alium factis ſeu verbis honorem ejus lædere machinantem occidere, ſi aliud medium non ſuperſit..... nec ſupereſſe aliud medium, dum contumelioſus in præſentia verbis contumelioſis innocentem aggreditur; vel hæc doctrina de laïcis, uti ſuperior de Clericis, improbanda eſt; vel quotidianæ in Republica cædes tolerandæ ſunt, imò & approbandæ.

Medio tempore quo ſuperior doctrina apud Conſilium examinabatur, alia non minùs exorbitans ejuſdem Doctoris eodem libro diſp. eadem 36. ſect 8. n. 130. deprehenſa eſt, ubi productis aliquot caſibus, quibus licet alicui bona ſua cum invaſoris occiſione defendere, Autor enumerat ſequentes: *Non ſolum licitum eſt defendere quæ actu poſſidemus, ſed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos poſſeſſuros ſperamus. Quarè licitum erit tam heredi, quàm legatario contra injuſtè impedientem ne vel hæreditas adeatur, vel legata ſolvantur, ſe defendere; ſicut & jus habenti in cathedram vel præbendam, contra*

earum poſſeſſionem injuſtè impedientem. Non poteſt creditor contra debitorem ſibi debita non ſolventem, etiamſi dicat ea nolle ſolvere, propria autoritate extra judicium agere; poteſt contra impedientem ne debitor ſibi debita ſolvat, quando aliud medium non ſuppetit, & periculum eſt ne per tale impedimentum mea credita amittam. Hæc ad inſtantiam fiſci regii producta Cenſura facultatis Theologicæ Lovanienſis, ex mandato ſupradicti ſupremi Conſilii Brabantiæ, è ſecunda editione exterminata ſunt.

§. 3.

Cenſuræ duæ S. Facultatis Theol. Lovan. adverſus exitialem Amici Ieſuitæ doctrinam.

Anno 1649. die 6. Septembris indicta eſt ſub juramento Congregatio Facultatis S. Theol. Academiæ Lovanienſis, ad inſtantiam ampliſſimi Domini Fiſcalis Regii, petentis judicium ejuſdem facultatis ſuper doctrina expreſſa tom. 5. Curſus Theol. Franciſci Amici juxta ſcholaſticam hujus temporis Societatis Jeſu methodum, diſp. 36. ſect. 7. n. 118. quæ ſic ſe habet: *Licebit Clerico vel Religioſo calumniatorem gravia crimina de ſe vel de ſua Religione ſpargere minantem occidere, quando alius defendendi modus non ſuppetat, uti ſuppetere non videtur, ſi calumniator ſit paratus ea vel ipſi Religioſo, vel ejus Religioni publicè ac coram graviſſimis viris impingere, niſi occidatur.* Facultas matura deliberatione præhabita, cenſuit prædictam doctrinam in ſe falſam, & omni generi hominum pernicioſam, tam propter ſe, quàm propter varias conſequentias quæ inde deduci poſſent: ad quam proinde ſupprimendam utraque poteſtas tam Eccleſiaſtica, quàm ſecularis omnino concurrere debent. Permiſitque eadem Facultas hujus actus copiam manu Bedelli ſui ſignatam, eidem ampliſſimo Domino Fiſcali tradi &c.

Anno 1649. die 8. Octobris indicta eſt Congregatio Facultatis ſacræ Theologiæ ſub juramento, ad inſtantiam ampliſſimi Domini Fiſcalis Regii, petentis judicium illius ſuper duobus aliis articulis doctrinæ Franciſci Amici expreſſis Tom. 5. Curſus Theologici juxta ſcholaſticam hujus temporis Societatis Jeſu methodum, diſp. 36. ſect. 8. num. 131. & 132. quorum primus num. 131. ſic habet: *Infertur tertiò, non ſolùm licitum eſſe defendere quæ actu poſſidemus, ſed & ad quæ jus inchoatum habemus, quæque nos poſſeſſuros ſperamus. Quarè licitum erit tam heredi quàm legatario contra injuſtè impedientem ne vel hereditas adeatur, vel legata ſolvantur, ſe defendere: ſicut & jus habenti in cathedram vel præbendam, contra earum poſſeſſionem injuſtè impedientem.* Alter num. 132. ſic habet: *Infertur quartò non poſſe creditorem contra debitorem ſibi debita non ſolventem, etſi dicat ea nolle ſolvere, propriâ autoritate extra judicium agere: poſſe tamen agere contra impedientem ne debitor ſibi debita ſolvat, quando aliud medium non ſuppetit, & periculum eſt ne per tale impedimentum mea credita amittam.* Facultas maturâ deliberatione præhabitâ cenſuit doctrinam duobus illis articulis contentam, intellectam de defenſione occiſiva, ſicut contextus totus, & ipſe titulus ſectionis intelligi poſtulant,

non

non ſolùm eſſe falſam; ſed & toti Reipublicæ, & generi humano pernicioſam, ac proinde omnibus modis ſupprimendam.

§. 4.

Illuſtratur Amici hiſtoria ex Caramuelis Theologia fundamentali.

Vidimus Jeſuitarum pro Amici doctrinâ contentiones apud Conſilium Brabantiæ, ſed cum hîc ipſorum gratia ipſâ rei eſſet atrocitate ſuperata, ſaltem poſt illud judicium iſtius doctrinæ defenſionem abjectum ab illis iri quis non crederet? Verùm nunquam illuſtriùs patuit, fixum hoc Societati, ſuorum famam quocunque modo, & adverſus quoſcunque defendere. Vix ſex à Cenſurâ Lovanienſi judicioque Conſilii Brabantiæ menſes effluxerant, cùm illi violatam in uno Theologo Societatem ſuam rati, totâ Europâ tumultuari cœperunt, & quotquot noverant vel ſibi addictos Theologos, vel corruptis recentioris diſciplinæ decretis imbutos, ad Amici tutelam, tanquam ad communem cauſam advocare. Hæc quanquam ſecretis, ut plurimùm, machinationibus acta, tamen operâ Caramuelis in lucem prodiere. Nam ut nullum homo mirè laudum avidus, aliorum de ſe teſtimonium perire patitur, ſcriptas ad ſe hâc de re blandiſſimas & honorificentiſſimas ſibi à Patre Zergol Græcenſi Jeſuitâ litteras recitat in hunc modum, Theolog. Fundam. pag. 543.

Inter Conſultationes alias credo eſſe celebrem quæ hoc anno 1650. tota Europa fuit facta, quam ut bene proponam, Patris Zergolii Litteras eruditas & meam reſponſionem ſubſcribo. Deinde ſubjicit exemplar Litterarum Zergolii ex quibus licet Lector iſta deguſtet.

Eſt nonnemo amicorum (id eſt Franciſcus Amicus) *cujus doctrina his incluſa, ab aliquibus gravi cenſura notatur, prohibeturque eam typis evulgare. Rogavit is me, ut ad viros quos ſcirem in hac diſciplina celebres recurrerem, eorumque judicia de ea exquirerem: annui libenter amico ſincero; & ut primùm annui, prima cogitatio fuit ad lumen magni Caramuelis refugere, & certò mihi perſuaſi, vel amicum illum meum hac ingeniorum face ita colluſtrandum, ut facilè fortunam ſuam ſit laturus, ſi condemnabitur à Caramuele; vel adverſarios ejus depulſis tenebris rubore ſuffundendos, quòd auſi fuerint damnare doctrinam, pro qua Caramuelem ſtare videbunt. Aliorum quidem etiam Doctorum hac de re judicia conquiro, ut ſi fortè plures eam doctrinam ſanam neque typis indignam cenſuerint, ſeverus judex vel multitudine ſaltem Doctorum illuminetur, qui non potuit firmitate ac pondere rationum. Quamvis profectò ſi me is judicem nactus fuiſſet, non paterer mihi conquiri judicium, niſi ſolius Caramuelis, quòd mihi certò perſuadeam, alios non viſuros quod iſtum latebit. Ita ſincerè ſentio, & ita liberè prædico coram omnibus, ubicunque glorioſa excitatur me præſente mentio Caramuelis; quem Deus, uti initio precatus ſum, diutiſſimè Eccleſiæ ſuæ, reique litterariæ ſalvum ſanumque conſervet, & efficaciter movere dignetur, ut tandem librum Reſolutionum præcipuarum, mundo olim promiſſum feliciter abſolvat.*

Magnum mole & pondere ſuo opus futurum non dubito, ſcióque magna magno egere tempore : ſed ſcio etiam ingenium Caramuelis non eſſe compendia facere temporum ſine diſpendio doctrinæ. Ecce quomodò deficior in audaciâ mea; ſed timeo ne non ſatis reverenter & verecundè. Igitur claudo; meque Reverendiſſimæ & ampliſſimæ dominationi veſtræ ad ſatisfactionem pro attentâ hac temeritate mea, ſi quam ſufficientem eſſe poſſe cognoverit, libenter ſubmitto, & illuſtrem orbi manum oſculor. Græcii Kal. Ian. 1650. nimirum aliquot menſibus poſt Cenſuram Lovanienſem, quæ lata eſt anno 1649. die 6 Septembris.

Quid ibi Caramuel, homo adverſus laudatores ſuos non avarus laudum? Multam Zergolio ſalutem apprecatus, mox quæſtionem ſic ingreditur.

Quæritur, inquit, *utrùm doctrina Petri Navarræ, Sayri, & Franciſci Amici, quæ allegatur, ſit aliqua Cenſura digna? Et ego addo eandem eſſe etiam Gordoni de reſt. quæſt.* 4. *cap.* 1. *num.* 7. *Sancii in ſelectis diſp.* 46. *num.* 8. *& aliorum etiam apud ipſos; & viciſſim interrogo, utrùm allegari unus poſſit Theologus, qui in terminis Amico contradicat? Interrogo an Cenſor ipſe qui Amici doctrinam condemnat, auderet in tribunali Confeſſionis jubere (jubere dico, non conſulere) opinionem contrariam? Doctrinam Amici ſolam eſſe veram, & oppoſitam improbabilem cenſemus omnes docti.*

Vide hominis ingenium. Deinde ad id confirmandum, dignum Caramuele decretum affert, quod ſic habet: *Quando occurrit materia de qua in terminis & ex profeſſo unus ſolus autor gravis tractavit, ejuſdem autoris reſolutio dicenda eſt moraliter certa, hoc eſt, omni probabiliore ſecurior, quouſque dentur autores etiam graves, qui in terminis illam impugnent: tunc enim remittet certitudinem, & incipiet eſſe probabilior, æquè probabilis, minùs probabilis, prout adverſarii ſint pauciores vel plures, & tunc demum improbabilis erit, cum ab univerſis rejiciatur.*

En quid ſibi autoritatis arrogent iſti tenebriones, quibus ego theſim hanc oppono haud paulo veriorem. *Quando aliquis caſus à ſolo Caramuele, vel Diana, aut alio ejuſmodi homine ſolutus eſt, hujus reſolutio eſt moraliter falſa; imò meritò improbabiles habentur multæ ſententiæ, in quas novi Caſuiſtæ etiam univerſi confluunt.*

Sed deſinamus iraſci Caramueli, ipſi potiùs gratulemur, quòd iſtam Zergolii epiſtolam perire noluerit. Multa enim ex eâ elici poſſunt ad pleniùs cognoſcendum Societatis ingenium.

In primis patet qua conſtantia, ſeu potiùs contumacia invidioſiſſimos ſuorum errores foveat ac defendat.

2. patet quo pacto cæteros Theologos inſanis laudibus ad ſe alliciat, ſi alia re non poteſt.

3. patet quid de Caramuele ſentiant, & quàm ipſis probentur hujus hominis impia decreta.

4. Poſtremò ex eadem Caramuelis diſputatione perſpiciet lector, nihil tam horrendum eſſe, quod non poſſit ab illis hominibus ut licitum defendi, quando deteſtabilem hunc caſum tanquam ex Amici doctrina conſectarium à Jeſuitis defenſum narrat ipſe Caramuel pag. 551. *Legiſti hanc doctrinam & inquiris, an homo Religioſus, qui fra-*

fragilitati cedens fœminam vilem cognovit, quæ honori ducens ſe proſtituiſſe tanto viro, rem enarrat, & eumdem infamat, poſſit illam occidere? Quid ſcio? At audivi ab eximio Patre N. S. Theol. Doctore, magni ingenii & doctrinæ viro: Potuiſſet Amicus hanc reſolutionem omiſiſſe, at ſemel impreſſam debet illam tueri, & NOS *eamdem defendere: doctrina quidem eſt probabilis, ſed quâ poſſet uti Religioſus, & pellicem occidere ne ſe infamaret, &c. Tu rem accuratè perpende.*

Atque hæc quidem fuit ante aliquot annos Jeſuitarum pro ea doctrina contentio, à qua ne quis ipſos receſſiſſe exiſtimaret, hanc inprimis doctrinam à Parochis Pariſienſibus accuſatam, ſtrenuè defenderunt in Epiſtola quadam ad Epiſcopos; & quò majorem ipſi autoritatem conciliarent, non modò Vallii eſſe & Banneſii dixerunt; ſed etiam Cardinalis Richelii, cui probatas fuiſſe occultas calumniatorum cædes dixere pag. 134. Quantos autem tali teſte riſus urbanorum hominum concitarint, nihil attinet hoc loco dicere.

§. 5.

In diſtinctione ſpeculationis & praxeos quid reprehenſum à Montaltio.

Vix riſum teneo cùm pueriles de praxi & ſpeculatione Apologiſtæ cavillationes lego. Oſtendit à multis Theologis uſurpatam illam diſtinctionem. Quid inde? Quaſi his nominibus quidquam ſit tritius, aut illorum inventionem Jeſuitis Montaltius tribuat. Deſine ineptiarum, bone Apologiſta, & quid tuis ſodalibus objiciatur attentiùs diſpice. Quod illa diſtinctione utantur, nemo culpat: quod eam ad excuſandas cædes adhibeant, graviter & juſtè cum illis Univerſitas Pariſienſis & Montaltius expoſtulavit. Prorſus enim & ridiculum & nefandum eſt, cædes vel in ſpeculatione, id eſt ſpectatâ ſolùm veritate & æterna lege, permittere. Sic enim deletur, quantùm fieri ab hominibus poteſt, æterna lex: deletur ipſum Dei præceptum; nec jam homines ſibi à cæde temperant, niſi propter adjunctas quaſdam circumſtantias, quas removere non eſt difficile. Sed iſtius diſtinctionis pericula latè hîc perſequi nihil attinet, cùm id eâ eloquentiâ fecerit Montaltius, ut nihil addi poſſe videatur. Mittam etiam quæ in reliqua Epiſtola de probabilibus ſententiis diſputat Apologiſta, quoniam antè totum hoc argumentum late in Epiſtola quinta explicavimus.

EPISTOLA DECIMA QUARTA
AD
RR. PATRES IESVITAS.

Decimo Kal. Novemb. 1656.

REVERENDI PATRES,

Si non aliud mihi negotii intelligerem dari, quam ut reliquas de homicidio calumnias depellerem, non multis ſanè verbis opus eſſet: nam illas hîc breviſſimè videbitis obtritas. Verùm longè gravius eſſe ſentio, veſtras de cæde ſententias in hominum horrorem adduci, quàm meam in veſtrorum locis proferendis præſtari fidem. Faciam igitur quod neceſſe eſt, maximamque iſtius Epiſtolæ partem confutandis illis impendam, quò cernere tanquam in tabellâ poſſitis, quàm longè à legibus Eccleſiæ, imò à naturæ ſenſibus abieritis.

Scilicet ex illâ occidendi veniâ, tot locis à vobis tam largiter conceſſâ licet intelligi, ſic in animis veſtris divinam legem oblivione deletam, ſic extinctum inſitum illud lumen quo recta pravaque dijudicantur, ut planè vos oporteat ad ſimpliciſſima Religionis & ſenſus communis elementa revocari. Quid autem ſimplicius & naturæ congruentius, quàm nihil privato juris eſſe in alterius vitam? *Hoc ſic imbuti ſumus*, ait Chryſoſtomus, *ut cùm homicidium vetaret Deus, non addiderit ideò vetari, quia malum eſt; ſed hoc quaſi naturâ mentibus noſtris anticipatum prætermiſerit.* Itaque nullo non tempore ejuſmodi lex humano generi poſita eſt. Decalogi ſanctionem confirmavit Euangelium: ipſe Decalogus non novum aliquod mandatum invexit, ſed illud modò renovavit, quod in Noëmi perſona, unde cæterorum ductus eſt ortus, cunctis Deus hominibus indixerat. Nam in illo recidivi mundi primordio ſic ſanctum iſtum

Pa-

Patriarcham allocutus eſt: *Sanguinem animarum veſtrarum requiram de manu hominis, & de manu viri fratris ejus requiram animam hominis. Quicunque effuderit humanum ſanguinem, fundetur ſanguis illius: ad imaginem quippe Dei factus eſt homo.* Hoc generali interdicto nihil homini in hominis vitam poteſtatis omnino relinquitur, quam ita ſibi totam ſervavit Deus, ut nequidem propriæ vitæ jus cuiquam conceſſerit, quod adverſus pernicioſum gentilium philoſophorum errorem Chriſtiana veritas docet.

At quia divinæ providentiæ placuit contineri hominum inter ſe ſocietates, & improbos à quibus perturbantur, ſuppliciis coërceri, leges Deus ipſe conſtituit, ex quibus interfici nocentes poſſent. Ita cædes hominis, quæ nefarium ſine Dei juſſu facinus eſſet, fit juſtum nocentis ſupplicium, cùm Dei peragitur juſſu, extra quem nihil eſt niſi injuſtum. Hoc Aug. lib. 1. de Civit. cap. 21. luculenter exponit. *Quaſdam*, inquit, *exceptiones eadem ipſa divina fecit autoritas, ut liceat hominem occidi: non autem occidit qui miniſterium debet jubenti, ſicut adminiculum gladius utenti. Et ideò nequaquam contra hoc præceptum fecerunt qui Deo autore bella geſſerunt; ſed his exceptis, quos vel lex juſta generaliter, vel ipſe fons juſtitiæ Deus ſpecialiter occidi jubet, quiſquis hominem, vel ſeipſum, vel quemlibet occiderit, homicidii crimine innectitur.*

Conſtat igitur jus illud necis proprium Dei eſſe, quod tamen ipſe conſtitutis legibus ad necandos facinoroſos Regibus ac Rebuſpublicis utendum dedit. Hinc Apoſtolus gladii poteſtatem, quâ potiuntur reges ad ſontes morte plectendos, devocat è cœlo, cùm de Principe ita loquitur: *Non ſine causâ gladium portat; Dei enim miniſter eſt, vindex in iram ei qui malum agit.*

At ſicut hoc juris Reges nonniſi Dei conceſſu poſſident, ſic eo non aliter uti poſſunt quàm Deus, hoc eſt eo uti niſi cum juſtitiâ non poſſunt. Quod ibidem traditur à Paulo: *Principes non ſunt timori boni operis, ſed mali: vis autem non*

timere poteſtatem, bonum fac & habebis laudem ex illâ. Dei enim miniſter eſt tibi in bonum. Hâc verò exceptione ſic non deprimitur illorum poteſtas, ut valde potiùs extollatur. Sic enim & divinæ poteſtati aſſimilatur, quæ nihil in malo poteſt, cùm nihil in bono non poſſit; & à dæmonum potentiâ ſejungitur, qui quicquid valent, ad malum valent; nihil ad bonum. Hoc unum intereſt Deum inter & Reges, quòd cùm Deus ipſa ſit æquitas, ipſa juſtitia, ſine morâ quos libuerit, cùm libuerit, ut libuerit poteſt vitâ privare. Nam & vitæ cujuſque ſupremum dominium penes illum eſt, & cùm in Deum nec error cadat, nec injuria, neminem utique aut errore deceptus, aut ſine cauſa exaſperatus vitâ ſpoliat. Longè diverſa Principum ratio: Miniſtri Dei ſunt, at homines tamen. Poſſunt incommodis opinionibus circumveniri, poſſunt falſis ſuſpicionibus exulcerari, poſſunt abripi cupiditatis æſtu. His de cauſis ad humanas cautiones ipſi ſe ſe prudenter alligarunt, & judicibus in ſuis quique regnis illam autoritatem commiſerunt, ut accepta à Deo poteſtas nunquam alio quàm quo data eſt fine exerceatur.

Ergo homicidii crimine nullus vacat, niſi qui ſimul & autoritate Dei ſubditos interficit, & Dei juſtitiâ nocentes: alterutrum cui defuerit, homicida eſt, ſive Dei autoritate pollens juſtitiâ careat; ſive juſtitiâ fretus, deficiatur autoritate. Et quia hæc neceſſariò inter ſe conjungenda ſunt, hinc fit ex Aug. ut qui autoritate carens nocentem interficit, ipſe ſit nocens, quòd autoritatem divinitus non conceſſam arroget ſibi: & contrà judices, quibus hæc autoritas adeſt, homicidii teneantur crimine, ſi contra leges inſontem morti addixerint.

Hæc ſunt, R R. P P. publicæ quietis ac ſecuritatis firmamenta; quorum omnibus temporibus, omnibus locis perpetua viguit autoritas. Ex his Rerum-publicarum moderatores, ſive ſancti illi, ſive profani, leges ſuas expreſſerunt, nec illis ullam exceptionem ne Ethnici quidem appoſuerunt, niſi cùm aliter vitari nequit vitæ aut pudicitiæ

peri-

periculum: *tunc enim*, ut ait Cicero, *videtur nobis gladius ab ipſis porrigi legibus.*

At ſepoſitis illis cauſis, de quibus nihil mihi neutram in partem dictum volo, de cæteris hoc affirmo, nunquam ullâ privatis lege conceſſum, ut depellendæ contumeliæ cauſa vel famæ aut bonorum amittendorum metu, vita ſimul non periclitante homines occîdant. Hoc cùm licitum dicitis, Patres, id dicitis quod nulli unquam Ethnici dixerunt: vetitum id ab ipſis eſt, & quidem diſertè. Sic enim duodecim legibus cavebatur, *diurnum furem occîdi non licere, ſi ſe telo non defenderet.* Quod idem Exodi 22. prohibetur. Lex verò *Furem.* ad legem Corneliam, etiam *nocturnos fures interfici vetat, niſi mortis periculum inferant.* Adeatur Cujacius in tit. dig. de juſt. & jure ad l. 3. ubi hæc legi poſſunt: *Nominatim*, inquit, *ea lex ait, furem nocturnum non poſſe occîdi, niſi in extremo vitæ periculo, cùm quis eum ſervare non poteſt quin perdat ſe.*

Quî vobis igitur licuit, Patres, id permittere, quod divinæ, quod humanæ prohibent leges? Quo jure Leſſius ita decernit l. 2. c. 9. n. 66. *Ex Scripturâ Exod. 22. non eſt reus ſanguinis qui furem nocturnum occiderit, ſed qui diurnum.... Hinc qui furem diurnum non ſe telo defendentem interficeret, non excuſaretur ab homicidio in foro externo; in foro tamen conſcientiæ excuſaretur, ſi non erat probabilis ſpes recuperandi, vel ſi recuperatio non erat certa, ſed dubia, ut Sotus ait; quia non tenetur res ſuas perdere, aut probabili periculo exponere, ut fur ſalvus ſit.* Et num. 72. *Idem*, inquit, *licitum Clericis pro defenſione rerum ſuarum; & idem jus extenditur ad Religioſos.* O projectam hominis audaciam! Interfectores furum qui vitæ non inſidiantur, plectit lex Moyſis, eoſdem abſolvet Euangelium Chriſti? Ergone legem deſtruit Chriſtus, non adimplet? *Non excuſantur*, ait Leſſius, *in foro externo, qui ſic hominem interficiunt, excuſantur tamen in foro conſcientiæ.* Itane Patres, crudelior ac cædibus amicior eſt Chriſti doctrina, quàm gentilium diſciplina, unde civiles leges à

judicibus deprompta ſunt ? Itane Chriſtianis aut majora videntur bona fortunæ, aut vilior eſt hominum vita, quàm idolorum cultoribus, ac verum ignorantibus Deum? Quid tandem affertis, Patres, cur iſta credamus ? Nullam Dei, nullam hominum legem ; ſed unam demum abſurdiſſimè contextam ratiunculam. *Vim vi repellere leges ſinunt, & ut ſe quiſque defendat adverſus fures. At defenſione licitâ, cædes licita putanda eſt; nam abſque cæde ſæpe non poſſunt bona defendi.*

Falſum eſt, Patres, continuò licitam cædem, ſi licita ſit defenſio. Propria ſcholæ veſtræ eſt crudelis illa *defenſio*, quam Facultas Lovanienſis in Amici ſodalis veſtri Cenſura *occiſivam* appellat, & ex eâ tanquam ex fonte cæteri errores veſtri ſcaturiunt. Tantum verò inter cædem & defenſionem intervallum à legibus conſtituitur, ut iiſdem locis licitam defenſionem, illicitam cùm nihil vitæ timetur, cædem eſſe denuntient. Audite quæſo Cujacium ad l. 3. D. de juſt. & jure. *Licet repellere eum qui venit feriendi, non occidendi cauſa, quod ex genere teli cognoſcitur, l. 1. §. divus, ad legem Corn. de ſicar.* SED NON LICET OCCIDERE. *Et eodem modo licet repellere eum qui venit eripiendæ poſſeſſionis gratiâ*; SED NON LICET OCCIDERE.

Cujus igitur conceſſu hoc Molina, Leſſius, Reginaldus, Filiutius, Eſcobarius ſibi juris ſumpſerunt, ut decretum iſtud una voce ſancirent ? *Aggreditur quis virum nobilem ſeu alapâ ſeu baculo percutere, licebitne ei occidere prius? Licet.* Quo jure illi de quibus loquitur Leſſius, *licere* fabulantur *contumelioſum occidere ex ſententiâ omnium*? Quo jure privati privatis, imò etiam Religioſis hanc occidendi autoritatem datis ? Quo jure vobis vitæ ac necis poteſtatem Deo propriam arrogatis, & divinæ majeſtati glorioſiſſimum ſupremæ poteſtatis inſigne præripitis? Hoc illud eſt, Patres, quod clara reſponſione diluendum fuit. Quid igitur reſpondetis ? *Non tam parvo pretio hominis cædem à Molinâ æſtimari quàm dixeram,* omninoque pretium pro quo occîdi

poſſe

poſſe hominem cenſet, ſex philippicis majus eſſe. Hâc ratione præclarè vobis tantas accuſationes depuliſſe videmini. O telum imbelle! Agite, ſummum pretium eloquimini: quindecimne aut ſexdecim aureis hominum vitam æſtimari placet? Patior, nec minùs in hoc vos objurgabo: ſaltem equi pretium ſuperare non poteſt. Nam Leſſius apertè l. 2. c. 9. n. 74. *Si re acceptâ fugias, tunc poſſum inſequi & ferire; vel ſi neceſſe ſit, eminus telò petere, ut ſi equo meo fugias. Ita Sotus & Sylveſter.* Adjungo etiam, Patres, hoc pretium, ſex philippicis à Molinâ taxari: quod ſi vos agnoſcere detrectatis, arbitrium quæſo nobis ſumamus: Reginaldi ſocii veſtri judicio ſtare non defugio; hîc autem iſtum Molinæ locum explicans, ita loquitur l. 21. n. 68. *Notandum eſt,* inquit, *quod diximus, aggreſſorem occîdi poſſe pro rerum defenſione, debere intelligi quando res prudentis arbitrio ſunt non modici valoris. Ex eodem autem Soto Molina modicum valorem determinat trium, quatuor, quinque ducatorum.* Ac proinde *non modicus valor*, pro quo licet interficere, à ſex ducatis incipit. Itaque non jam unum hujus dogmatis reum Molinam teneo, ſed cum eo etiam Reginaldum.

Nec minùs repellere expeditum 14. calumniam ſuper illo Molinæ decreto, furem interimi fas eſſe, ſi nobis nummum aureum tentet eripere. Hoc ita eſſe teſtabitur Eſcobarius Tr. 1. Ex. 7. n. 44. *Regulariter,* inquit, *Molina unum aureum aſſignat.* Ergo cùm ſic docuiſſe Molinam inficiari non poſſitis, hoc unum objicitis fraudulenter à me detractum quod addit Molina, *id totum fieri debere cum moderamine inculpatæ tutelæ.* Fraudulenter igitur eadem iſta verba detraxit Eſcobarius, nam ipſe quoque ea non expreſſit: quin vos igitur cum illo expoſtulatis?

At quam parum artificioſè aſtutiæ veſtræ contextæ ſunt! Scilicet neminem ſcire exiſtimatis quid ſit illa quam obtenditis defenſio. Novimus, novimus, Patres, hanc eſſe *defenſionem occiſivam.* Video quidem vos ſic accipi velle Molinæ

Molinę ſententiam, quaſi ab eo demum fures interfici licitè cenſuerit, qui defendendo nummo, vitam quoque defendat. Erratis, Patres, & malè Molinæ mentem accipitis. Nam ſi ita ſentiret, cur ſe à Carrero & à Baldo diſſentire profiteretur? nam illi utique licitam æſtimant cædem pro ſalutis defenſione. Sic igitur habetote, Patres, genuinum moderatæ illius tutelæ ſenſum hunc eſſe, ſi poſſit ſervari nummus non interempto latrone, tunc non eſſe interimendum; at ſi nonniſi illo interfecto poſſit retineri, tametſi vita non periclitetur, ut ſi armis latro careat, in hoc tamen caſu prorſus illum interfici licere ad nummi tutelam; nec hoc eſt moderatæ tutelæ limites ſupergredi. Placetne hæc vos ipſius Molinæ verbis doceri; attendite quæſo hæc ipſius verba, tom. 4. tr. 3. d. 11. n. 5. *Servatur moderatio inculpatæ tutelæ, quamvis arma capiantur adverſus eos qui armis carent; aut etiam ſumantur validiora. Scio diſſentire nonnullos; ſed ego ipſorum opinionem, etiam in foro exteriori non probo.*

Certum eſt igitur, Patres, homicidii à ſcriptoribus veſtris veniam dari, ſemoto omni vitæ periculo, propter ſolam honoris ac facultatum defenſionem; atque hinc etiam duella crimine liberant. Hoc ego multis illorum locis oſtendi, de quibus vos penitus ſiluiſtis: unum tantùm Laimani locum invaditis, à quo probatur duellum ſi vel fortuna vel honor periclitetur: ibi me non expreſſiſſe dicitis, quod à Laimano ſubjicitur, hunc caſum eſſe rariſſimum. Vos miror, R R. P P. qui tam joculares mihi calumnias objectetis, quaſi verò in hoc eſſet noſtra contentio, raruſne an frequens ille ſit caſus; ac non id unicè agatur, utrùm hoc loco duellum Laimanus permiſerit. Disjunctiſſimæ ſunt illæ quæſtiones. Laimani eſt pro ſuſcepto Caſuiſtæ munere, judicare licitumne duellum, anne ſit. Licitum eſſe pronuntiat, ſatis eſt. At utrùm hic caſus creber an rarus ſit, omnino ad judicandum Laimani operâ nihil egemus: atq; adeò Laimano denuntio, frequentem illum ac pervulgatum eſſe. Si minùs mihi creditis, ſaltem Dianæ, amori-

bus

bus veſtris, fidem habete. Hic enim ſimpliciùs & veriùs quàm Laimanus *caſum ejuſmodi aſſerit facilè evenire poſſe in praxi* part. 5. tr. 14. Miſc. 2. Reſ. 99. Sed ſive rarus, ſive frequens ſit; ſive ſolus Laimanus ita ſentiat, ſive Navarram habeat erroris comitem, ut tantopere jactatis; quid deteſtabilius quàm tam nefandæ ſententiæ ſubſcribere Jeſuitam, Ad falſi honoris conſervationem duellum à nobilibus accipi poſſe, neglectis Dei, neglectis Eccleſiæ, neglectis Reipublicæ legibus.

At videamus quibus tandem firmamentis diabolicum dogma à vobis adſtruatur. Nec leges profertis, nec Canones, nec Scripturæ, nec Patrum teſtimonia; nec ullum omnino virorum ſanctorum exemplum. Quid ergo? Ad impium hunc Syllogiſmum confugitis: *Honor eſt charior vitâ: atqui ad vitam tutandam licet interficere: ergo etiam ad tutandum honorem.* Vbi rationis lumen? Vbi pietatis ſenſus, R R. P P.? An quia homines noxiâ cupiditate depravati propriæ vitæ ad Dei cultum divinitus conceſſæ, hanc honoris larvam anteponunt, ideò licebit ipſis ad illius tutelam proximos obtruncare, quaſi verò non hoc ipſum horribilis quædam perverſitas ſit, hoc honoris inane ſimulachrum vitæ ſuæ anteferre? Et tamen hæc affectio, quâ poſſent etiam per ſe laudabiles actus infici ſi ad illum finem dirigerentur, vobis autoribus ſceleratiſſimos crimine liberat, quòd ad iſtum finem illi dirigantur. O perniciem! O rerum omnium perverſionem! Ex hâc quæ flagitiorum monſtra naſcantur, quis non videt! Quid enim tandem erit pro quo non liceat hominem interficere, cùm in eo ſervando honorem locare libuerit; *atque adeò etiam pro pomo* licebit. Certè mihi ſuccenſeretis, Patres, & eſſent qui pravas à me ex veſtrâ doctrinâ conſecutiones fraudulenter derivari dicerent, niſi hîc Leſſii gravitate niterer, qui ſic loquitur n. 68. *Dixi*, inquit, *ſi res illæ ſint magni momenti; quia pro re minimâ non videtur conceſſum jus defenſionis cum tanto alterius malo. Eſt enim valdè iniquum ut pro pomo, vel*

etiam

etiam uno aureo ſervando alicui vita auferatur: ſi tamen vita tibi verteretur probro, niſi rem furi extorqueas, poſſes conari, & ſi opus eſſet, etiam occidere juxta Sotum. Tunc enim non tam rei quam honoris eſſet defenſio. Accuratè, Patres, & præciſè loquitur: itaque nullus eſt effugio locus. Verùm hanc doctrinam appoſitè claudet quædam Herelli veſtri ſententia ex Leſſio ſumpta. *Ius defenſionis ad illa omnia pertinet, quæ neceſſaria ſunt ut à nobis omnem injuriam defendamus.*

Dici non poteſt ex barbarâ illâ ſententiâ quàm horribilia conſectaria nectantur, quæ cùm omnibus propulſanda ſint, tum præcipuè publicam perſonam gerentibus, non communis modò utilitatis cauſâ, ſed maximè ſuâ. Illos enim conceſſa à veſtris Doctoribus cædis venia non eximios habet. Nam cùm ſeditioſi quibus facinora ſua nihil unquam habere videntur injuriæ, premi ſe violentiâ putabunt, ſibi ſtatim perſuadebunt, jure defenſionis contineri quicquid neceſſarium eſt ad omnem injuriam arcendam: nihil illos morabuntur conſcientiæ morſus, quibus pleraque crimina in ipſo ortu ſuffocantur; ſed eò omne ſuum ſtudium conferent, ut oppoſitos extrinſecus obices vi perrumpant.

Placet hoc vobis, Patres, iſto loco gratificari, ut cædes magis etiam deteſtandas, magis regibus formidoloſas omittam, quas tam multi è veſtris non obſcurè permittunt; & in iis Leſſius apertè dub. 4. & 10. Utinam nunquam è tartaro infanda illa dogmata prodiiſſent! Utinam diabolus verus illorum parens, nullos invenire potuiſſet miniſtros ſic voluntati ſuæ morigeros, ut ea inter Chriſtianos ſpargerent.

Hinc perſpici facilè poteſt, quantùm a legum civilium, imò ethnicarum ſeveritate abſit opinionum veſtrarum pernicioſa collapſio. Quid ſi igitur ad Eccleſiæ inſtituta conferantur tantò ſanctiora? una enim Eccleſia veram ſanctitatem novit, una poſſidet. Itaque caſta illa divini filii ſponſa, quæ ſponſi exemplo novit pro hominibus profundere

dere ſanguinem, neſcit hominum pro ſe ſanguinem fundere: præcipuo quodam horrore homicidium execratur; quia divino lumine pernoſcit quantum ſit in homicidio ſcelus. Non illa homines modò, tanquam homines ſpectat, ſed ut Dei quem colit imagines: eamobrem ſingulos ſanctâ quâdam veneratione proſequitur, quaſi infinito redemptos pretio, ut templa fiant Dei viventis. Igitur cædem hominis ſine Dei juſſu perempti, non homicidium modò, ſed ſacrilegium deputat, quo corporis ſui membrum abſcinditur. Nam ſive illi ſint fideles, ſive non ſint; tamen eos ſemper vel tanquam filios habet, vel tanquam idoneos qui filii ſui fiant.

His rationibus, Patres, ex intimâ Religione repetitis, ex quo Deus hominibus factus eſt homo, tanti ſemper Eccleſiæ fuit hominum vita, ut homicidium quo perimitur, uti maximum in Deum ſcelus maximis ſemper pœnis affecerit. Harum exempla quædam ſubjicere viſum eſt, non hoc conſilio, quaſi nunc tota illa ſeveritas retineri poſſit aut debeat; (novi enim exteriorem illam diſciplinam pro variâ temporum ratione mutari poſſe:) ſed ut ex his conſtans Eccleſiæ animus intelligatur. Poteſt enim varias Eccleſia pro temporum varietate pœnas homicidis indicere; at homicidas in variâ temporum viciſſitudine eodem ſemper horrore proſequitur.

Primùm hæc diu in Eccleſiâ viguit diſciplina, ut voluntarii homicidii reis ſolùm in articulo mortis communio concederetur. Itaque Ancyrano Concilio perpetuò per omnem vitam pœnitentiæ addicuntur. Deinde benigniſſimè cum illis actum eſſe putavit Eccleſia, ſi pœnitentia illa quam per totam vitam agere debuiſſent, ad magnum annorum numerum contraheretur. Quin ut à voluntariis homicidiis magis homines abſterrerentur, acerrimè etiam in eos vindicavit quæ quis per imprudentiam admiſiſſet, ut cerni poteſt apud Baſilium, Gregorium Nyſſenum, in Zachariæ & Alexandri II. ſummorum Pontificum decretis.

Canones

Canones Iſaaci Lingonenſis t. 2. cap. 13. ſeptem annos pœnitentiæ iis imponunt, qui pro ſui defenſione homines occiderint. Atque adeò Hildebertus Epiſcopus Cœnomanenſis Ivoni Carnotenſi Epiſcopo gratulatur, quòd Presbytero qui dum ſuam vitam tuetur, latronem ictu lapidis interfecerat, ſacris per totam vitam interdixiſſet.

Deponite igitur, Patres, præfidentiam illam, quâ inſtituta veſtra Eccleſiæ animo, Eccleſiæ canonibus conſona jactaviſtis. Fidenter hoc aſſero, ne ullum quidem à vobis proferri poſſe, quo permittatur hominum cædes ob ſolam externorum bonorum defenſionem. Non enim de iis loquor cauſis, in quibus non ſolæ facultates, ſed etiam vita tuenda ſit, *ſe, ſuáque liberando*, ut illi loquuntur. Agnoſcunt id ſcriptores veſtri, è quibus Amicus tr. 5. diſ. 36. num. 136. ita loquitur: *Nec divinum nec humanum jus expreſſè permittit in defenſionem noſtrorum bonorum temporalium occidi furem diurnum, niſi telo ſe defendat.* Hoc tamen ipſe, hoc vos expreſſè permittitis. Nullum unquam proferetis locum, quo cædes pro honoris defenſione, pro alapâ acceptâ, pro contumeliâ, pro calumniâ permiſſâ dicatur. Nullum proferetis quo licitè aſſerantur occidi poſſe vel judices, vel teſtes, vel magiſtratus, quælibet ab illis injuria timeatur. Prorſus alienus eſt Eccleſiæ ſpiritus à ſeditioſis illis decretis, quibus civilibus turbis, ad quas ſuâ ſponte nimis populorum animi propenſi ſunt, latiſſimus aditus aperitur. Sic enim illa ſemper inſtituit filios ſuos, ut *nemini malum pro malo reddant*, ut *dent iræ locum*, violentię concedant; ut ſingulis quicquid debetur tribuant, *cui tributum tributum, cui vectigal vectigal, cui honorem honorem, cui timorem timorem*; ut magiſtratibus, ut præpoſitis obediant, etiam *dyſcolis* & injuſtis; quia divinam poteſtatem quâ ſupra nos conſtituti ſunt, ſemper in ipſis venerari debemus. Vetat illa ſeveriùs etiam quàm civiles leges, ne quis in propriâ cauſâ judex ſedeat. Hinc ejus inſtinctum ac præceptum Chriſtiani Reges ſecuti, etiam in maximis læſæ

Maje-

Majeſtatis criminibus reos judicibus committunt, ex legibus & ſolito judiciorum more plectendos. Hic verò mos, RR. PP. tantùm ab inſtitutis veſtris abhorret, ut fieri non poſſit quin aliquo vos pudore tanta diſſimilitudo ſuffundat. Quando igitur huc me ipſa ſeries orationis duxit, placet breviter inter ſe conferre, hinc illam rationem quâ veſtrorum legibus mactantur inimici; illinc eam quâ ſontes judicum ſententiâ morte mulctantur.

Primùm illud omnibus notum, nunquam licere privatis ullius mortem judicio perſequi. Et ſi univerſa quis bona noſtra diripuerit, membra amputarit, ædes incenderit, parentes necarit, noſtræ præterea vitæ inſidietur, honorem nobis ereptum eat; nos tamen necem illius poſtulantes nè audient quidem judices. Conſtituendæ fuerunt publicæ perſonæ, quæ reorum mortem regis, aut Dei potiùs nomine depoſcerent. Quis vobis mos ille videtur, Patres, an hunc cenſetis ludicrâ quâdam ſimulatione à judicibus Chriſtianis conſtitutum, non ut Euangelicæ legis ſanctitati civilium legum æquitas reſponderet; ac ne quid ab interiori mentis habitu, quo Chriſtianos eſſe convenit, externa judiciorum forma diſcreparet. Si vos hæc judiciarii moris initia premunt, progreſſus opprimet.

Demus igitur ut ejus qui tot admiſerit ſcelera mors à Cognitore Regio poſtuletur: quid fiet? An continuò ferrum exigetur in pectus? Non ita: gravior eſt hominis vita, religioſiùs de eâ ſtatuitur. Ergo non illam cujuſque arbitrio permiſerunt leges, ſed judicum modò, & judicum ſpectatæ fidei, ſpectatæ prudentiæ. An porrò ſatis eſt unus ut reus morte damnetur? Neutiquam: Septem ut minimùm requiruntur, quorum nullus antè à reo ſit læſus, ne judicium malevolentia pervertat. Quin illud non ignoratis, Patres, obſervari ſolitum, quò ſit animus in judicando purgatior, antemeridianum ferè tempus ad hoc eligi. Tantùm adhibetur cautionis, ut ad illud judices inſtruantur munus, in quo Dei vices obtinent, ut ne quem morte

damnent, niſi quem Deus ipſe damnaverit. Quamobrem ut divinâ illâ potentiâ tanquam miniſtri fideles utantur, non proprias opiniones in judicando ſequi ſibi fas eſſe putant, ſed tantùm teſtium fidem, ac præfinitas judiciorum formas: nec verò convictis reis quas voluerint pœnas irrogant, ſed eas tantùm quæ legibus conſtitutæ ſunt: nec morti ullos poſſunt addicere, niſi quos ipſæ leges addixerint. At cùm pœnis illorum corpora tradere coguntur, tum verò ex Dei præcepto, pro nocente illorum animâ piam ſollicitudinem gerunt, & eò majorem, quò nocentior eſt. Itaque nunquam mittuntur ad mortem, niſi conceſſo priùs ſpatio quo poſſint animæ ſuæ ſaluti conſulere. Quid his inſtitutis purius, quid ſanctius? Et tamen à fundendo ſanguine ſic abhorret Eccleſia, ut altaris miniſterio eos omnes decernat indignos, qui capitali judicio, quàmlibet religioſo interfuerint. Ex quo intelligi licet quis Eccleſiæ de homicidio ſit ſenſus.

Ad hunc modum de hominum vitâ in judiciis ſtatuitur: quid vos? Quemadmodum de illâ ſtatuitis? Novis veſtrorum legibus unus eſt judex, & hic judex, is ipſe qui læſus eſt: idem accuſator, idem teſtis, idem carnifex: à ſe mortem inimici ipſe depoſcit, ipſe decernit, ipſe continuò infert; nec corpus curans, nec animam fratris, fratrem morti, fratrem tartaro demittit, pro quo Chriſtus mortuus eſt. Quod tanti ſupplicii meritum? Alapa, calumnia, maledictum, atque aliæ ejuſmodi injuriæ, propter quas neminem judex, tametſi legitimâ autoritate pollens, ſine crimine morte damnaverit, cùm multùm ab eo leges abſint, ut tantam iſtis delictis pœnam infligant. Additur ad cumulum, ejuſmodi cæde ſic ſine autoritate, ſic adverſus leges patratâ, nec peccatum nec irregularitatem contrahi, ne à religioſis, ne à ſacerdotibus quidem. Ubinam gentium ſumus, Patres? An qui ſic loquuntur Religioſi ſunt? An ſacerdotes? An Chriſtiani? An Turcæ? An homines? An dæmones? An hæc pro myſteriis habenda quæ divinus

nus agnus reſerarit *Societati?* An potiùs pro piaculis quæ draco ſuis ſequacibus inſtillarit?

Nam qui tandem, Patres, exiſtimari vultis? An Euangelicæ legis alumni, an Euangelii perduelles? Alterutro in numero eſſe neceſſe eſt; nullus enim medius. Qui cum Chriſto non eſt, contra Chriſtum eſt: duplici illo genere duas in partes dividitur genus humanum. Duo ſunt, ex Auguſtino, populi; duo per orbem mundi diffuſi: mundus filiorum Dei, cui Chriſtus & rex & caput eſt: mundus inimicus Deo, cui diabolus & rex & caput eſt. Hinc jure Chriſtus princeps dicitur & Deus mundi, quia ſervos & adoratores nuſquam non habet: jure diabolus princeps mundi ac Deus hujus ſeculi nominatur, quòd habeat ubique mancipia, ubiq; captivos. In Eccleſiâ ſuâ Chriſtus, quæ regnum ejus & hæreditas, quas voluit leges pro æternâ ſapientiâ poſuit. In mundo, hoc eſt in imperio ſuo, diabolus quas item voluit leges, pro libidine conſtituit. In injuriarum patientiâ Chriſtus honorem collocavit: in ultione diabolus. Præcipit Chriſtus in dextram maxillam percuſſis, ut alteram cædendam præbeant: præcipit diabolus ut intentatâ alapâ vel intentantis cæde repellatur. Felices prædicat Chriſtus, qui ſuorum improperiorum participes ſint: infelices prædicat diabolus, qui ignominia ſint affecti. Væ denuntiat Chriſtus, quibus homines benedixerint: væ denuntiat diabolus, quibus homines non benedixerint.

Hæc utriuſque regni inſtituta ſunt. Jam videamus utrius cives ſitis. Audiſtis linguam pacificæ civitatis, quæ eadem eſt myſtica Hieruſalem: audiſtis linguam turbidæ civitatis, quæ Scripturæ eſt *ſpiritualis Sodoma.* Utrius tandem intelligitis linguam? Utrâ loquimini? Qui Chriſti ſunt, Chriſti ſpiritum habent, *& eadem in ſe ſentiunt quæ in Chriſto Ieſu*, ut ait Paulus. *Qui ex patre diabolo ſunt, qui fuit homicida ab initio, deſideria patris ſui volunt facere*, ut ait Chriſtus. Audiamus ergo ſcholæ veſtræ vocem. Quæramus ex autoribus veſtris, cùm intentatur alapa quid facien-

dum ſit? Ferendáne patienter hæc injuria? an potiùs morte inimici propulſanda? *Licet*, inquiunt Leſſius, Molina, Eſcobarius, Reginaldus, Baldellus, Filiutius, atque alii Jeſuitæ, *alapam infligere molientem interficere*. An hæc Chriſti vox eſt, an lingua Hieruſalem? Iterum quærimus, an honore privatus cenſeatur, qui alapam ſibi impactam placidè tulerit, nec contumelioſum illum interfecerit? Age, dic Eſcobari, quid ſentis? *An non*, inquit, *alapâ percuſſus cenſetur tandiu honore privatus, quandiu adverſarium non interimit?* Privatus honore cenſetur, Patres; ſed quo? Non illo certè quem ſuis Deus impertit, ſed illo tantùm quem ad ſuperbos filios tranſmittit ſuperbiæ pater. Hic ille eſt honor, qui ſemper ambitioſorum Deus, ſemper idolon fuit. Ad hanc gloriam retinendam, cujus miniſter ac præbitor diabolus eſt, vitam furiatis certaminibus dæmoni ſacrificāt, honorem infamia ſuppliciorum commaculāt, ſalutem tanti criminis atrocitate projiciunt; quod ſic deteſtatur Eccleſia, ut ita functos ne ſepultura quidem Eccleſiaſtica dignetur.

Sed immortales Deo gratiæ habendæ ſunt, quòd Regis menti purius quàm illud Theologiæ veſtræ lumen immiſerit. Non effecit tanta regiorum edictorum ſeveritas ut jam duellum ſceleratum ſit, ſed indivulſum tantùm à duello ſcelus debita pœna coërcuit; & quos non reprimebat divinæ juſtitiæ formido, regiæ juſtitiæ formidine repreſſit. Vidit propriæ monitu pietatis Rex Chriſtianiſſimus ubi verus Chriſtianorum honor poſitus eſſet. Vidit nil inanius eſſe falſo illo honoris ſimulachro, quod excuſandis cædibus prætexiſtis. Vidit eum demum verò honore frui, qui Dei juſſis obtemperat, & ex Chriſtianæ Religionis præceptis vitam inſtituit. Itaque, RR. PP. cruenta veſtra decreta omnibus jam odio, omnibus execrationi ſunt; conſultiuſque illa tandem abdicaretis, ſi non Religionis inſtinctu, at humana certè prudentia. Prævertite, prævertite iſtorum dogmatum voluntaria damnatione, quicquid inde funeſti poſſet accidere: atque ut homicidium magis deteſtemini,

me-

memineritis primum hoc eſſe lapſorum hominum ſcelus, in primi juſti nece patratum; maximum hoc hominum ſcelus, in juſtorum omnium capite perpetratum: denique hoc unum crimen eſſe, quod ſimul Rempublicam & Eccleſiam deleat, naturam ac pietatem extinguat.

Quid ad meam decimam tertiam Epiſtolam reponat Apologiſta veſter commodùm vidi; at ſi huic quæ pleraſque ejus offucias diſcutit, pergit tam ineptè reſpondere, contemptu non reſponſione dignus erit. Vices certè doleo illius hominis qui ſingulis verſibus à propoſito digreditur, ut ad infandas in viventes & mortuos calumnias excurrat. At ut acceptis à vobis commentariis aliquid fidei ſupereſſet, imprudenter ab illo commiſſum, ut monitu veſtro alapam illam *Compendii* inflictam à Jeſuitâ, rem unam omnibus notiſſimam, inficiari auderet. Hoc conſtat, Patres, ipſomet qui ſic percuſſus eſt teſte, ictum illi in maxillam à Ieſuitâ inflictum. Id demum cauſati ſunt amici veſtri, dubium eſſe an hic ictus planâ, an averſâ manu ſit incuſſus; atque hinc novam hanc procudere quæſtionem, utrùm averſâ manu colaphus impactus, alapæ nomine dicendus. Cujus ſit in hâc controverſiâ judicem ſedere non ſatis teneo: interim ſic mihi perſuaſi, ſaltem hanc eſſe probabilem alapam. Ecquid aliud requiritur ut id tutâ conſcientiâ dixerim?

Notæ
In Epistolam Decimam-Quartam.
sive
Dissertatio Theologica
de
Homicidio.

Sectio Prima.

Præſtruuntur quædam principia ad totam hanc de cæde doctrinam pleniùs intelligendam neceſſaria.

§. I.

Primum principium. Humana natura originis vitio voluntate quàm intellectu corruptior; hinc à recto de bonis maliſque rebus judicio, quàm à rectâ de Deo fide magis averſa.

Quando mira quædam in cruentis ſuorum dogmatibus tuendis Jeſuitarum pertinacia eſt, novâſque de ea re pugnas edunt tum Jeſuitarum Apologiſta, tum ille veſanus Caſuiſtarum patronus; non erit inutile ad ea quæ Montaltius eloquentiſſimè diſputat Epiſtola decima quarta aliquid adjicere; eò magis quod quæ hîc ſtatuentur principia, non modò ad illud quod in manibus eſt, de hominum cæde argumentum valent, ſed etiam ad ea quæ infra de calumnia dicenda erunt, & quæ ſupra de Simonia dicta ſunt; magnamque compluribus Caſuiſtarum corruptelis refellendis afferunt lucem; quam nos totam ex Pariſienſium Parochorum eruditiſſimis ſcriptis mutuabimur, paulò tantùm altiùs eorum doctrinam perſequentes.

Luctuoſo illo primi pârentis peccato, quo humanam naturam corruptam eſſe fides docet, non ſolum corpus vitiatum eſt; magna funeſti pars vulneris in animo impreſſa, & in duabus ejus præcipuis partibus, voluntate & intellectu. Utraque hanc labem participavit, Obſcurata & quaſi cœcata mentis acies ad veritatis intelligentiam obtorpuit: voluntas à ſummo bono averſa, in creaturarum & ſui ipſius amorem defluxit. Sed tamen quia magis voluntate quàm intellectu peccatum erat, multò corruptior hominum lapſorum voluntas, quàm hebes intelligentia.

Porrò ex corrupta voluntate novæ rurſus intellectui creantur tenebræ circa illas res quas voluntas malè diligit. Inde fit ut nuſquam obſcurior ſit & magis cœcatus animus, quàm in bonis maliſque rebus

bus, & in regulis morum dignoſcendis, quòd ibi præter nativam hebetudinem, etiam offuſis ex concupiſcentia nebulis infuſcetur. Hinc illa tanta in humano genere morum diverſitas, & nihil tam impium & flagitioſum, quod non alicubi ſanctum vel innoxium habeatur. Non capit divina myſteria humanæ mentis tarditas; ſed nec odit: at præcepta morum, quibus à concupiſcentiis ſuis jubetur temperare, refugit etiam & averſatur. Itaque longè citiùs Sinæ aut Americano perſuaſeris, ut unum eſſe Deum credat, quàm ut ſe ab uxorum multitudine ſegreget, & vindictæ cupiditatem coërceat.

Utrique errorum generi ſua Deus remedia providit. Nam & hominibus ſtultas de divinitate opiniones, impertitâ ſui notitiâ revùlſit; & eoſdem variis circa mores erroribus diſtractos, lege datâ ad veritatis viam revocavit. Cujus ut quanta neceſſitas eſſet homines intelligerent, per bis mille & ampliùs annos ſivit ipſos variis aberrationibus cœcitatis ſuæ experimentum capere. Ex quo præclarè S. Thomas in Epiſt. ad Galat. cap. 3. lect. 7. *Deus reliquit homines abſque doctrinâ legis, tempore legis naturæ. In quo dum in errores inciderunt, convicta eſt eorum ſuperbia de defectu ſcientiæ.*

Imò ne ejus beneficii memoria nobis efflueret, & ne noſtris viribus hanc notitiam nobis videremur adepti; innumeras adhuc nationes ſuperſtites eſſe voluit, in quibus cerneremus quid ſibi relicta ratio ad boni malique cognitionem valeret.

Quamobrem humilis ac verè Chriſtianus Theologus, tam contemnere rationem ſuam aſſolet, quàm divinum illud lumen revereri; & ad hoc vel maximè ratione uti, ut ſibi ipſi perſuadeat nil tam eſſe rationi conſentaneum, quàm ipſam rationem divinæ legi ſubdere, ejuſque inconſtantiam feliciſſimis divinæ autoritatis vinculis compeſcere. Hujus obedientiæ merito eò perveniet, ut divinorum præceptorum ſummam æquitatem ratione etiam comprehendat. Contra autem & beneficiis Dei ingratus eſt, & tenebras magis quàm lucem diligit, qui divinâ lege contemptâ, rurſus ad rationis ſe ſe ductum applicat; eamque dignoſcendis bonis maliſque rebus parem putat.

Porrò cæleſte illud lumen quod noſtræ rationi præferre debemus, nihil aliud eſt quàm verbum divinum, ſeu ſcripto conſignatum, ſive ab Apoſtolis ad nos traditione tranſmiſſum. Hinc ille in Pſalmis regius Propheta: *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis.* Hinc præceptum illud quod habetur Joſue 1. *Non recedat volumen legis hujus ab ore tuo, ſed meditaberis in eo diebus & noctibus, ut cuſtodias & facias omnia quæ ſcripta ſunt in eo; tunc diriges viam tuam, & intelliges eam: non declines à verbis legis hujus ad dexteram vel ad ſiniſtram, ut intelligas cuncta quæ agis.*

Hinc illa Dei conteſtatio Deuteronomii 12. *Non facietis ſinguli quod vobis rectum videtur, ſed quod præcipio tibi.* Hinc denique illa Pauli ad Timotheum ſuum 2. Tim. 3. admonitio: *Tu verò permane in his quæ didiciſti, & credita ſunt tibi, ſciens à quo didiceris, & quia ab infantiâ ſacras litteras noſti, quæ te poſſunt inſtruere ad ſalutem. . . . Omnis ſcriptura divinitus inſpirata utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in juſtitiâ.*

§. 2.

Alterum Principium. Senſus Scripturarum tam in fide, quàm in moribus ex Traditione petendus.

Verùm in eadem ferè incommoda erroreſque relabuntur, qui Scripturæ explicationem ex ſuo demum ingenio petunt, ejuſque præceptis exceptiones apponunt pro arbitrio. Nihil enim fermè ita præciſum & definitum, quod arte eludi non poſſit.

Ut huic malo occurreret Deus, ſicut Scripturas, ſic earum intelligentiam eâdem ad nos traditione propagavit. Unde conſtans apud Patres ſententia eſt, non minùs Euangelicam vivendi normam, quàm ipſam fidem ex Traditione petendam. Ex quâ regulâ Innoc. I. Epiſt. ad Victricium. *Non noſtra*, inquit, *præcepta imperantur, ſed ea quæ per deſidiam aliquorum neglecta ſunt, ab omnibus obſervari cupimus, quæ tamen Apoſtolicâ & Patrum Traditione ſunt conſtituta. Scriptum eſt namque ad Theſſalonicenſes, Paulo monente: State & tenete traditiones noſtras, quas tradidimus vobis, ſive per verbum; ſive per epiſtolam.*

Et luculentiùs Concilium 8. Conſtantinopol. act. 10. c. 1. *Vt rectam regiamque divinæ juſtitiæ viam ſine erroris offenſâ teneamus, ſanctorum Patrum correcta, veluti inextinctæ quædam ſemperque lucentes faces ſequenda ſunt. Quapropter ſanctiones Eccleſiæ Catholicæ & Apoſtolicæ per Traditionem, tum à ſanctis, omnique laudis præconio celebrandis Apoſtolis, tum ab orthodoxis œcumeniciſque & provincialibus Conciliis, aut à quovis Deiloquo Patre & Doctore Eccleſiæ acceptas, ſervandas, cuſtodiendaſque profitemur. Traditiones enim ſive per ſermonem, ſive per epiſtolam majorum noſtrorum qui vitæ ſanctitate vobis præluxerunt acceptas, diſertiſſimè magnus Apoſtolus tenendas monet.*

Et Lemovicenſe 2. anno 1134. *Obſervandum equidem nobis magnopere eſt ante omnia & ſuper omnia, uti mandatum Dei, & non noſtras traditiones populo obſervandas tradamus, & nihil niſi Scripturarum divinarum autoritate fultum ſtatuamus agendum. Nihilque de cordibus, nihil extra præceptum Domini, & ſanctorum Patrum, quod abſit, conſtituere, docere, vel jubere præſumamus. Quæ verò aliis trademus, primi nos ea ipſi faciamus, ne ſimus de illis ſuper cathedram Moyſi ſedentibus, ſuper quibus Salvator ad turbas, & ad diſcipulos ſuos ait: Dicunt enim & non faciunt. Et iterum: Digito autem ſuo nolunt ea movere.*

Ita etiam Petrus Damiani Epiſt. 18. *Quoniam ab Apoſtolis fidem, ab Apoſtolicis autem viris converſandi in Eccleſiâ percepimus ordinem; ita propemodum non mutamus diſciplinæ modum à majoribus traditum; ſicut illibatum tenemus ipſum quoque fidei fundamentum. Vnde ad Timotheum dicit Apoſtolus: Vt ſcias quomodò oporteat in domo Dei converſari.*

Itemque Apologeticus pro Gregorio VII. *Non minùs reſiſtendum eſt authenticarum inſtitutionum impugnatoribus, quàm ſacræ fidei violatoribus, cùm & dæmonibus aſſimilentur quicunque inſtitutionem Sanctorum Patrum in fide tantùm & non etiam in converſatione pro viribus affectantur.*

Poſtremò

Poſtremò omnium illuſtriſſimè ipſe Gregorius VII. *Videntes*, inquit, *ordinem Chriſtianæ Religionis multis jam labefactatum temporibus, & principales ac proprias lucrandarum animarum cauſas diu prolapſas, & ſuadente diabolo conculcatas; concuſſi periculo & manifeſtâ perditione dominici gregis, ad ſanctorum Patrum decreta doctrinamque recurrimus, nihil novi, nihil adinventione noſtrâ ſtatuentes; ſed primum & unicam Eccleſiaſticæ diſciplinæ regulam, & tritam ſanctorum viam relicto errore repetendam & ſectandam eſſe cenſuimus. Neque enim alium noſtræ ſalutis & æternæ vitæ introitum Chriſti ovibus eorumque Paſtoribus patêre cognoſcimus, niſi quem ab ipſo monſtratum qui dixit: Ego ſum oſtium, per me ſi quis introierit ſalvabitur, & paſcua inveniet; & ab Apoſtolis prædicatum, & à ſanctis Patribus obſervatum in evangelica & in omni divinarum ſcripturarum pagina didicimus.*

§. 3.

Ex his principiis evertitur pernicioſa Caſuiſtarum patroni de cæde ſententia; & certa regula ad has quæſtiones excutiendas figitur.

Dici non poteſt, quàm pernicioſos errores unum in locum adverſus iſta principia congeſſerit Caſuiſtarum patronus. Pag. 88. *Doce*, inquit, *Deum juſſiſſe ut latronum & inſolentium vitæ parcatur: doce hanc occidendi prohibitionem non eſſe naturale præceptum, & nobiſcum genitum: doce ad naturalis rationis judicium non eſſe referendum, quando liceat, quando non liceat proximum occidere. Opus eſt afferri ejuſmodi locum in quo diſertis verbis hæc prohibitio contineatur. Nam generali præcepto nihil aliud prohibetur, quàm ut ne quis alium ſine legitima cauſa interficiat.*

Unus hic locus ad omnia Dei præcepta delenda ſufficit: Ecquod enim tam præciſum & definitum eſt, ut non hâc exceptione facilè eludatur. Vetat adulterium Deus generali lege: *Non mœchaberis.* Utique ſi ſine cauſa fiat, inquiet aliquis in Jeſuiticâ diſciplinâ non rudis. Vetat Deus generali lege ne ſculptilia adorentur: huic tamen nullo negotio ſubducentur illi qui metu mortis thura idolis adolebant. Quid enim expeditius quàm hanc Jeſuiticam adhibere reſponſionem, generalis præcepti eam demum vim eſſe, ut non adorentur ſine cauſâ, judicium autem iſtud rationi eſſe permiſſum, cui ſanè non difficilè perſuadebitur ſimulatum ad vitam tutandam idoli cultum crimine carere. Hoc non modò Ethnicorum ſapientiſſimis perſuaſum fuit, ut de Socrate notat Auguſtinus. Non modò à multis hæreticis creditum, qui eo nomine ab Eccleſiâ damnati ſunt: ſed etiam ab ipſis Jeſuitis traditum, apud Sinas, ut refert Hurtado in lib. de martyrio fidei.

Quid hoc Decalogi præceptum: *Non falſum teſtimonium dices?* Nonne ſimili illud exceptione eluſerunt Jeſuitæ, qui calumniam hîc vetitam dixere ſi ſine cauſa fiat, non vetitam ſi cum cauſa: de quo in ſequenti Epiſtolâ videbimus.

Jam verò illud ipſum non occidendi præceptum, quantùm his exceptionibus ratione magiſtrâ erit arctandum, nonnunquam vo-

lentibus Jeſuitis, nonnunquam etiam invitis. Licet, inquiunt, intentantem mihi alapam occidere; quia juſta hæc occidendi cauſa rationi videtur. Ergo etiam alteri impactam alapam ejus qui impegit nece licet ulciſci: & ſic crimine carent qui ad id operam ſuam locant. Licet calumniatorem, vel bonorum prædonem occidere. Quid ſi quis aliorum ſaluti inſidietur, ad peccatum alliciat, vel doctrinâ, vel exemplo, vel alio quovis mali incitamento? Quantò juſtiùs occîdi poterit? quantò hîc magis Jeſuitica valebit ratio: pro vitâ defendendâ licet occidere; ergo etiam pro vita ſpirituali, quæ multò pluris eſt?

Hâc una exceptione quàm multorum cædes cuilibet permittitur. Si quæ mulier diſſoluto incedat habitu, & ſic viros ad libidinem allectet. Si quis Epiſcopus aut quivis Paſtor vel negligentia, vel exemplo, vel doctrina noceat. Siquis univerſæ Religioni obeſſe putetur; an dubium eſt quin illorum cædes facilem in Jeſuitarum doctrinâ defenſionem inventura ſit? Nec aliis imbuti opinionibus illæ furiæ Clemens ac Ravaillacus duos Galliæ Reges immaniter trucidarunt. Quid illi qui Regum conſiliis aſſident, in quos populi pro more omnium ſuarum calamitatum cauſas refundunt? Non vident quid ſibi ex Jeſuiticâ doctrinâ timendum ſit, ſuamque vitam non jam in legum arbitrio, in Principum judicio ſitam; ſed cuivis de plebe devoto ſicario expoſitam, qui à Jeſuitis didicerit Decalogi præcepto tantùm prohiberi ne quis occidatur ſine cauſa; utrùm autem occidendi cauſa ſit necne, ratione cujuſque dignoſci?

Nec verò injuriâ Montaltius ſuæ vitæ timebat, parumque Caramuelis fidebat clementiæ, qui ideò vitæ Janſeniſtarum parcit, quòd Jeſuitarum famæ nocere non potuerint. Non ita perſuaſum Jeſuitis; nec tantos illi iſtarum Litterarum aculeis icti clamores tollerent, ſi nihil illas exiſtimationi ſuæ nocere arbitrarentur. Quid ſequitur igitur, niſi ex doctrinâ ſua quemlibet Jeſuitarum poſſe de illius ac cæterorum Janſenii defenſorum nece agitare conſilia? eò magis quòd non pietatis opinionem modò defenſione occiſivâ licet tueri; ſed etiam ſcientiæ famam, ut ait Amicus.

Itaque cùm Jeſuitas iſti ex illo quem ſibi arrogabant litterarum principatu deturbaverint, vixque alia ſuppetat Jeſuitis via amiſſæ dignitatis recuperandæ, haud dubium eſt quin in iſta cauſa devotorum ſibi ſicariorum gladios poſſint adhibere, magnumque videlicet beneficium debent ipſis eorum adverſarii, quòd ipſorum tantùm ſanguinem fundi popoſcerunt, ſed adhuc ab eo per ſatellites ſuos fundendo temperarunt.

Manifeſtum eſt nefanda hæc quæ commemoravimus conſectaria, neceſſariò fluere ex uno illo quod ſupra retulimus Jeſuitarum axiomate, quo licere aſſerunt generalibus præceptis exceptiones è ſola ratione petitas apponere.

Quamobrem ſi hæc omnia ſcelerata dogmata volumus effugere, ut boni malique notitiam ex præceptis divinis eruemus, ſic ipſorum præceptorum intelligentiam ex Traditionis autoritate repetemus; atq; adeò ſi quod ſit per ſe generale præceptum, cui nullam aliunde

vel

vel Scriptura vel Traditio exceptionem appoſuerit, hujus novam aliquam exceptionem ex ingenio comminiſci grande piaculum eſſe putabimus. Ex quo pro certiſſimo morum principio hæc ſententia conſtituenda; omnem exceptionem generalis præcepti, quæ ſine autoritate Scripturæ aut Traditionis affertur, hoc ipſo falſam & erroneam habendam eſſe.

§. 4.

Neceſſaria quadam hujus regula conſectaria colliguntur.

Consectarium I.

Primo conſectario quicquid Jeſuitæ de cæde ad honorem tuendum, de cæde fugientium latronum diſputant, ſtatim evertitur. Nam cùm nullum vel Scripturæ, vel Patrum proferant locum, quo exceptiones illas latiſſimè patentes adſtruant, eaſque ex ſola repetitas ratione fateantur, hoc ipſo ſine ulla majori inquiſitione repellendi & damnandi ſunt, cùm ſatis idoneam damnandæ iſtius ſententiæ cauſam afferant, quòd eam novam & ſola nixam ratione confitentur.

Consectarium II.

Sequitur 2. inſipienter à Caſuiſtarum Apologiſta poſtulari, ut ſibi ſpecialis oſtendatur prohibitio, ne quis pro honoris defenſione hominem occîdat. Nam qui legem generalem affert, huic non neceſſe eſt ſpeciales exceptiones expreſsè removere, cùm hoc ipſo quid generali lege comprehendatur, quod nominatim à legis autore non exceptum eſt. Satis eſt ergo aſſerenti nefas eſſe hominem ad defendendum honorem occidere, generale proferre præceptum, *non occides*: ſed qui contendit ab hâc lege immunes eſſe qui defendendi honoris cauſa interficiunt, huic aſſerendæ hujus exceptionis onus incumbit. Oſtendant igitur ex Scriptura, ex Patribus, ex Conciliis Jeſuitæ licitum eſſe illatam alapam nece inferentis repellere: alioquin adulteratæ divinæ legis crimine manifeſtò tenentur.

Consectarium III.

Sequitur 3. fruſtra ad exceptiones illas aſſerendas exemplum afferri vel Principum qui ſontes capite plectunt, vel militum qui in bello juſto hoſtes interficiunt. Nam exceptiones illæ ideò probantur, quia Scripturæ & Traditionis confirmantur autoritate. *Non ſine cauſa*, inquit Apoſtolus, *Princeps gladium portat*; *Dei enim miniſter eſt, vindex in iram ei qui malè agit*. Manifeſta eſt item in Scripturis & Traditione exceptio militum, cùm illorum profeſſionem non improbet Joannes Baptiſta, cùm id omnibus locis Patres teſtentur, qui militiâ nunquam univerſos Chriſtianos interdixerunt.

At enim, inquit Apologiſta, hujus exceptionis ante diluvium nulla mentio eſt; vel ante Decalogum. Ergo tunc Regibus non licebat in ſontes animadvertere, quòd à ratione alienum eſt. Imbelle & frivolum

frivolum argumentum. Primò enim quàm multa antiqui Patriarchæ Traditione tenebant, quæ nullo legis loco expreſſa reperiuntur. Probat Perronius immortalitatem animæ nullo legis loco apertè ſignificari, atque ex ſolâ Traditione hominibus innotuiſſe. Similiter ab Adamo & Noëmo traditiones multæ, (quarum nulla præter Deum origo) in humanum genus fluxerant. Ex quibus ſi hanc eſſe dixero, quid habebit Apologiſta quod obganniat?

Libet tamen cum ipſo liberaliùs agere. Præceptum naturale eſt, *non occides*. Hujus exceptio item naturalis, ut in ſontes Rebuſpublicis liceat animadvertere; quia non aliter ſtare poſſet humana ſocietas. Hæc lex, itemque exceptio ante diluvium & poſt diluvium ad uſque legem datam viguit: toto tamen illo tempore parum certò ab hominibus cognita eſt, niſi ab illis qui vel illam Traditione vel Deo revelante cognoverant. Datâ lege Deus hoc præceptum renovavit, ſed exceptionem item. Nam ut cædem vetuit præcepto, *Non occides*; ſic variis criminibus in lege Moſaïca mortis ſupplicium indixit: utrumque niſi feciſſet, & ſic homines vetuiſſet occîdi, ut ſontes publica autoritate puniri non item expreſsè permitteret, meritò dubitaretur id liceret nec ne, quamvis naturali jure liceret. Sed quia inde multa incommoda ſequerentur, hinc Deus exceptiones illas conſtanti Traditione, & Scriptura item ſacra confirmavit, ne qua in ea re dubitatio ſupereſſet. Quarè ſapientiæ Dei prorſus conſentaneum fuit, ut legem ab exceptione neutiquam divelleret, quod qui factum ſupponit, nil mirum ſi poſito abſurdo, multa inde abſurda eliciat.

Sectio II.

Jeſuitarum de cæde doctrina ex Patribus & Conciliis refellitur.

§. I.

Oſtenditur conſenſu Patrum, Ieſuitarum doctrinam damnari.

Sufficit igitur ad exceptionem Jeſuitarum intolerandæ temeritatis convincendam, quòd à Patrum autoritate planè deſerta ſit. Quare præter jus à nobis poſtularetur, ut inſuper probemus, ita viſum Patribus ac Conciliis, pro defenſione honoris occidere nefas eſſe. Veruntamen ut pleniùs Jeſuitis ſatisfaciamus, utrumque breviter præſtabimus: ac primùm de Patribus.

Magno nos hîc labore levat Apologiſta Jeſuitarum, qui fatetur multis Patribus & recentioribus etiam doctoribus ita fuiſſe perſuaſum, ne pro vita quidem defendenda hominem privata autoritate interfici licere. Affert ille Cyprianum lib. 1. Epiſt. 1. Lactant. divinar. Inſtit. lib. 6. cap. 20. Cyrill. lib. 11. in Joan. cap. 13. Aug. lib. 1. de lib. arb. cap. 5. Gerſ. tract. de Euchariſt. Auguſt. Anconit. de poteſtate Eccl. q. 52. art. 3. Potuit addere Aug. Epiſt. ad Publicolam, & Ambroſ. in Officiis. l. 3. c. 4. Primaſium. in Ep. ad Rom. c. 12. Baſilium Epiſt. can. c. 55. Canones Iſaaci Lingonenſis cap. 13. Hildebertum

debertum Cænomanenſem Ivoni Carnotenſi Epiſt. 6. Poſtremò Bernardum de præcepto & diſpenſatione cap. 7.

Omnes iſti Patres qui etiam pro vita defendenda cædem illicitam eſſe cenſuere, multò magis id de honore cenſuerunt, ut fatentur ipſi Jeſuitæ. Verùm, inquit Apologiſta, ab illis vulgò Theologi de vita diſſentiunt; cur ergo mihi ab iiſdem de honore *diſſentire non liceat?* Hic nodus eſt quem ad faſtidium urget pag. 248. & recentior item Caſuiſtarum patronus pag. 88.

Verùm oſtendere non eſt difficile, rectiſſimè illis Patrum locis urgeri Jeſuitas, quamvis iiſdem non ita urgeri poſſit ſanctus Thomas, & qui cum eo ad defenſionem vitæ ſicarium irruentem interfici poſſe ſentiunt, quod hac animadverſione patebit.

Ubi in aliquam divini præcepti explicationem Traditio conſpirat, huic reclamare omnino non licet: at cùm ipſi inter ſe Patres variis opinionibus diſtracti ſunt, tum non eadem ſingulis autoritas, ſed Theologis licet quam partem magis probabilem putent, amplecti. Ergo ſi Patribus illis qui ne pro vita quidem defendenda hominem interfici ſinunt, nulla aliunde repugnaret autoritas; prorſus illorum ſententia ſequenda eſſet, nec ipſis ratio ſine temeritate poſſet opponi, præſertim ſi per ſexdecim Eccleſiæ ſecula illorum ſententia nemine repugnante viguiſſet. At hîc aliter ſe rem habere contendunt, qui pro vita defendenda cædem permittunt. Opponunt enim primò omnium ferè Catholicorum Theologorum conſenſum, qui poſt ſanctum Thomam in iſtam iere ſententiam; illamque non quaſi novam tradidere, ſed quaſi eam quam apud Catholicos vulgarem invenerant. Deinde quidam ſummi Pontifices in Decretalibus Epiſtolis multùm in hanc partem inclinare videntur. Nec levis etiam ponderis eſt Exodi locus quo nocturni fures ſinuntur occîdi: cujus ſanctionis hanc rationem reddit Auguſtinus, quòd qui noctu domum invadit, etiam vitæ inſidiari videtur. Reperiuntur etiam Concilia quæ illos homicidarum pœnis eximunt, qui violentiæ reſiſtentes eos à quibus premuntur interficiunt, ut inter alia Rhemenſe anni 830. c. 9. Poſtremò ejuſmodi defenſionem ipſæ leges apertè concedunt, & in vitæ diſcrimine poſitis quaſi gladium porrigunt quo ſeſe tueantur. Itaque non jam ſine autoritate occiduntur ſicarii, ſed quaſi Reipublicæ juſſu & manu, quæ in ejuſmodi homines cuilibet vitæ ac necis permittit arbitrium.

His momentis ſic imminui graves Theologi putant illorum Patrum autoritatem, quatenus ne pro vitæ quidem defenſione cædem licitam cenſent, ut jam illorum ſententiam quaſi magnorum quidem virorum ſenſum, non ut totius Eccleſiæ conſenſum habeant.

At verò quatenus iidem Patres pro honore defendendo nefas eſſe crediderunt hominem occidere, prorſus integra, & nulla ex parte imminuta ſua illis manet autoritas. Non enim ulli Patres, ulli Pontifices, ullæ leges repugnant; ne ſcholaſticorum quidem magnus ab illis diſſidet numerus. Igitur ipſorum hac in parte ſententia quaſi conſtans Traditionis mens ab omnibus amplectenda eſt.

§. 2.

§. 2.

Idem probatur ex Conciliis.

Nec minùs apertè mens Eccleſiæ de homicidiis ex Conciliorum canonibus patet, in quibus duo tantùm genera homicidiorum inveniuntur, quorum hæc voluntaria, iſta dicuntur involuntaria : utriſque certè conſtituuntur pœnæ, tametſi diſpares.

Non tam abſurdè, credo, de Patribus ſentient Jeſuitæ, ut qui involuntariis homicidis tam gravem pœnitentiam impoſuerint ; tum quòd in eis ſæpe negligentia intervenire ſoleat ; tum quia illa in alicujus occulti peccati pœnam permiſſa putavere, ut notat Concilium Wormatienſe anni 868. c. 28. iidem eos qui pro honore tuendo hominem interfecerint, prorſus inultos dimiſerint. Quæro igitur ex ipſis, cuinam homicidarum generi iſtos accenſeant? Non eorum certè qui contra voluntatem occîdunt. Quis enim erit voluntarius homicida, ſi iſti non ſunt. Reſtat ergo ut voluntarii homicidæ ſint habiti, ac proinde ut omnibus illis comprehendantur canonibus, qui adverſus ejuſmodi crimina ſanciti ſunt ; cujuſmodi ſunt Ancirani Concilii can. 21. Baſilii in Epiſt. can. can. 56. Gregorii Nyſſeni ad Lætoium can. 5. Epaonenſis anni 517. can. 31. Aurelianenſis 4. anni 541. c. 28. Collect. Mart. Bracar. c. 78. Conc. Rhem. anni 630. can. 9. Zachariæ Papæ anni 747. in Epiſt ad Pipinum. c. 23. Beda de remediis peccat. c. 7. Item Conc. Mogunt. c. 22. ubi multi alii Eccleſiæ canones recenſentur. Concil. Tribut. c. 54. & 55. 56. 57. 58. 59. Poſtremò .Nannet. anni 900. c. 17.

Omnibus iſtis canonibus graviſſimæ in voluntarios homicidas pœnæ conſtituuntur, nec unquam Patribus in mentem venit ab illis excipere calumniatorum aut contumelioſorum interfectores, quos nova Jeſuitarum Theologia & criminibus abſolvit, & criminum pœnâ.

§. 3.

Tertium argumentum ex Chriſtianæ patientiæ præcepto.

Huc etiam meritò congeri poſſunt omnia illa Scripturæ & Patrum loca, quibus vel injuriarum patientia præcipitur, vel vindictæ cupiditas prohibetur. Haud dubium enim quin quod Jeſuitæ defenſionem, illud Patres vindictam appellarint : ſcilicet nondum illa erat exorta ſubtilitas, qua ſine vindictæ cupiditate inimici pectus ferro tranſverberatur. Simpliciùs illi loquebantur, nec unquam ita aſtuti fuerunt, ut eum qui ob alapam acceptam inimicum interficit, ultum eſſe negarent injurias ſuas. Ergo cùm ultionem prohibent, etiam illas prohibent cædes.

Quid cùm Chriſti præceptum de altera maxilla percutienti præbenda, & cæteras Chriſtianæ patientiæ leges, ſaltem in animi præparatione

paratione docent retinendas ? An fortè cum hac patientia conſiſtere poſſe exiſtimarunt contumelioſi vel calumniatoris cædem ? Debet ita videri Jeſuitis; ſed quàm falsò videatur docebit Auguſtinus multis in locis, & præſertim Epiſtola quinta ubi qualis ſit iſta præparatio animi, quæ in injuriis retinenda eſt, luculenter explicat. *Quanta verò*, inquit, *præcepta concordiæ, non humanis diſputationibus exquiſita, ſed divinâ autoritate conſcripta in Chriſti Eccleſiis lectitentur, quis vel ab illa Religione alienus, ita ſurdus eſt ut ignoret ? Ad hoc enim & illa pertinent quæ malunt exagitare quam diſcere alteram percutienti præbendam eſſe maxillam; volenti auferre tunicam dandum etiam pallium; cum angariante duplicandam viam. Hoc quippe fit ut vincatur bono malus, imò in homine malo vincatur bono malum.* At quomodò impleatur hoc præceptum etiamſi ſemper dextera maxilla non offeratur, his verbis exponit. *Paratus itaque debet eſſe homo juſtus & pius, patienter eorum malitiam ſuſtinere, quos fieri bonos quærit, ut numerus potiùs creſcat bonorum, non ut pari malitia ſe quoque numero addat malorum. Deniq; iſta præcepta magis ad præparationem cordis quæ intus eſt pertinere, quàm ad opus quod in aperto fit, ut teneatur in ſecreto animi patientia cum benevolentia: in manifeſto autem id fiat, quod eis videtur prodeſſe quibus benè velle debemus. Hinc liquidò oſtenditur quòd ipſe Dominus Ieſus, exemplum ſingulare patientiæ, cùm percuteretur in faciem reſpondit: ſi malè dixi, exprobra de malo; ſi autem bene, quid me cædis ?* Et paulò pòſt. *Sunt ergo iſta præcepta patientiæ ſemper in cordis præparatione retinenda: ipſaque benevolentia, ne reddatur malum pro malo, ſemper in voluntate complenda eſt. Agenda ſunt autem multa etiam cum invitis benigna quadam aſperitate plectendis, quorum potiùs utilitati conſulendum eſt, quàm voluntati.*

Simul præcipit Auguſtinus & quid intus in animo agendum ſit, & quid extra: monet intus complendam benevolentiam, extra autem id faciendum dicit, quod eis prodeſſe poſſit, quibus bene velle debemus. Dicant nunc Jeſuitæ utrùm cuiquam utile ſit interfici, præſertim in ſcelere. Dicant an cuiquam proſit certò ad infernum detrudi. Quod ſi hoc ſine ſtultitiâ ne cogitari quidem poſſe perſpiciunt, agnoſcant pariter illa ſua de contumelioſis & calumniatoribus occidendis doctrina, non modò Decalogi præceptum, ſed illa omnia generatim Euangelicæ patientiæ mandata violari, cùm hæc ſaltem in præparatione animi implenda ſint; præparatio autem iſta id poſtulet, ut intus benevolentia retineatur, foris id fiat quod utile ſit, non nobis ſed inimico, cui prodeſſe velle debemus.

Ex quo obiter diſcas quàm alienè Caſuiſtarum Apologiſta Auguſtino Hieronymum opponat, quod in Commentario ſuper primum caput Sophoniæ mutilari latrones permittat, his verbis: *Si quis fortitudinem latronis, & piratæ, & furis enervat, infirmoſque eos reddat, prodeſt illis ſua infirmitas.* Nunquam hoc negaverit Auguſtinus, nunquam ullus Theologus. Nam cùm hoc latroni utile ſit, quis dubitet hoc ipſi ex benevolentiâ præſtari poſſe: ſed quia nunquam ipſis utile eſt occîdi, ideo cavebit quantùm poterit eruditus in ſchola patientiæ Chriſtianus, ne vitam auferat, ſine qua illis nec jam ipſe, nec quiſquam alius prodeſſe poteſt. Quam-

Quamquam in publicis latronibus peculiares quædam ſunt cauſæ, cur vel innocens, vel certè minùs nocens ſit eorum cædes. Non enim modò legum permiſſu, ſed quaſi hortatu peragitur, ac ſi minùs de latronibus, certè de Rep. bene meretur qui ipſos interficit. At in calumniatorum, in contumelioſorum cæde nihil tale vel prætexi poteſt, cùm id non modò non jubeant leges, ſed diſtrictè prohibeant; nihilque Reip. exitioſius, quàm illa homicidiorum licentia ſit: qua ratione permoti Jeſuitæ, cùm illa ſpeculative licita pronuntient, ſæpe in praxi eadem non conſulenda eſſe fatentur.

Sectio III.

Diſſolvuntur argumenta Ieſuitarum.

§. I.

Refellitur præcipua illorum argutia: Honor vitâ carior eſt: ergò licet pro honore occidere itidem ut pro vitâ.

Ergo quamcunque demum rationem afferrent Jeſuitæ, hoc ipſo novam, & omnibus retro Eccleſiæ ſeculis incognitam generalis præcepti exceptionem invehunt, ne audiendi quidem eſſent: ſed illud pejus, quòd tam inſulſas afferunt cauſas, ut ſi hujus opinionis immanitate indignationem omnium in ſe commovent, rationum quibus illam adſtruant ſtultitia, vel riſum vel miſerationem moveant.

Quam voles illorum libros excutias, atrox illud dogma quo Chriſtiano Chriſtiani ſanguinem pro honoris defenſione fundere permittunt, non alia quàm ejuſmodi argutia ſubnixum reperies: *Carior honos quàm corporis ſalus: at pro ſalute corporis licet hominem occidere: ergo etiam pro honore tuendo.* Crudelis ille ſyllogiſmus. Sat eſt Jeſuitis ad innumeros homines in ipſo flagitio, non neci modò, ſed tartaro demittendos, ad infringendam Dei clariſſimam legem, ad ſpernendum omnium Patrum totiuſque Traditionis judicium, ad ipſam naturæ vocem ſuffocandam.

At in hoc fortè multum momenti ac roboris eſt, imò nil infirmius, inanius, fragilius eſt. Inprimis enim quis non videat quàm ſit abſurdum, cùm illuſtrari & infirmari debeant dubia perſpicuis, certis incerta, contrà perſpicua dubiis, & certa incertis labefactari. Nefas eſſe pro honoris defenſione hominem occidere, non incertum, non dubium; ſed manifeſtum & conſtans: nemo per mille & quingentos annos proferri poteſt qui de hoc vel addubitarit, quod ſatis eſt ut aliquod dogma Theologicum certum perſpicuumque dicatur. Contrà autem utrùm liceret pro vitæ defenſione occidere, dubitarunt magni viri, imò maximi; nec illorum opinionem ullo ſuo decreto manifeſtè reprobavit Eccleſia, quæ ſatis magna dubitandi cauſa videtur. Ridiculum ergo eſt, quod Ieſuitæ tentant,

tentant, ex hoc dogmate non ita certo conſtantiſſimum Chriſtianæ diſciplinæ caput evertere. Quamobrem ſi hæc inter ſe connexa eſſent, ut quidquid pro vitâ licet, etiam pro honore liceat; ſi rectam rationis viam placet inſiſtere, potiùs inde efficiendum, ne pro tuendâ quidem vitâ cædem hominis eſſe licitam. Longè enim validius & rationi congruentius, hoc ſemel conceſſo, fuerit iſtud argumentum: quod pro honore non licet, pro vitâ non licet: at non licet hominem pro honore occidere: ergo nec pro vitâ. Longè, inquam, validius quàm illud Jeſuiticum: Si pro vita licet occidere, etiam pro honore: at pro vita licet: ergo etiam pro honore.

Verùm ad illas anguſtias nil neceſſe eſt rem adduci; fallacia enim laborat argumentatio Jeſuitica, & pravo iſtius vulgaris ſententiæ intellectu: *honor vita potior eſt.* Nam ſi honor conſideretur quatenus eſt bonum ejus qui dicitur honorari, nec ad aliorum refertur utilitatem, prorſus hæc ſententia falſa eſt. Nullum enim contrà exilius bonum, quàm illud quod in alienis judiciis, non in ipſo cujus bonum dicitur poſitum eſt. Hoc bonum propter ſe deſiderare mera eſt ambitio, gaudere de ejus adeptione mera vanitas; rectèque omnino Stoicus ille, qui gloriæ causâ negabat digitum à Sapiente commotum iri. Vitæ autem naturalis quidem eſt amor; & dum intra limites à Deo præſcriptos maneat, etiam legitimus: *mortem enim*, ut ait Auguſtinus, *horret non opinio, ſed natura*; ut etiam ſeparatæ illæ, ac vindicatæ jam animæ, tamen aliquid ad felicitatis ſuæ integritatem ſibi deeſſe putent, quandiu à ſuis corporibus ſejunctæ ſunt.

At verò ſi ſpectetur honor, quatenus ad aliorum utilitatem pertinet, ita ſanè verum habet ſenſum, ſed à Jeſuitarum propoſito alieniſſimum, quod vulgò dicitur: *honos vita potior eſt*; amittendam ſcilicet quandoque eſſe vitam potiùs quàm aliquid committatur unde aliqua honori noſtro labes aſpergi poſſet. Sic nimirum Sacerdos potiùs vitam ſuam in diſcrimen projiciet, quàm ut meritò in alicujus criminis ſuſpicionem veniat: morietur etiam vir militaris potiùs quàm ut ignavè de gradu moveatur, aut fugam faciat. Hæc illa eſt famæ & boni nominis cura, ad quam hortantur Patres, quam præcipiunt Concilia, ut inter alia Tolet. IV. anni 633. c. 22. & 23. Aquiſgranenſe anno. 816. lib. 1. c. 112. Pariſienſe VI. anno. 829. c. 20.

Quorum Conciliorum mentem egregiè complexus Ivo Carnotenſis, ita loquitur Ep. 240. Gautfrido. *Cùm omnis caſtæ Religionis profeſſor viſceribus charitatis abundare debeat, ut tam ſaluti proximorũ quàm ſuæ providere ſtudeat, neceſſe eſt ut hæc duo principaliter appetat, puram conſcientiam & bonam famam; conſcientiam propter ſe, famam propter proximum. Qui enim negligit famam ſuam, crudelis eſt; occidit enim proximum quantùm in ſe eſt. Qui ergo vult famam ſuam conſervare non tantùm debet quæ bona ſunt facere, ſed etiam quæ probabiliter fingi poſſunt mala vitare. Hæc Paulus in ſe conſiderans confidenter dicebat: Pro minimo eſt ut à vobis judicer, aut ab humano die, ſed neque me ipſum judico: nihil enim mihi conſcius ſum. Nos itaque quamvis ſanctitati Pauli longè impares ſimus; tamen quantùm gratiâ Dei donante poſſumus, cum bonâ conſcientia*

ſcientiâ famam noſtram conſervare ſtudeamus, ne cæco & infirmo fratri offendiculum aut ſcandalum ponamus, & pereat, ſecundum Apoſtolum, infirmus in conſcientia noſtra frater. Quòd evenire aliquando ſolet, cùm vicini curioſi corroſores vitæ noſtræ, deſidioſi autem correctores vitæ ſuæ, ſimplicia facta noſtra inſpiciunt, quæ in utramque partem verti poſſunt, adhibitis conjecturis quibus aliquando credi oportet, aliquando non oportet. undè infirmitati fraternæ conſulentes, ea facere non debemus in oculis infirmorum, quibus tanquam argumento utantur ad velandam ſuam perverſitatem, vel ad infuſcandam mentis noſtræ ſerenam ſimplicitatem.

Ecce quid ſit Patribus famæ ſuæ curam gerere, non crimina patrare; ſed vel umbram ſuſpicionemque criminum fugere. Quòd ſi quis hæc inſtituta ſervans, nihilominùs maledicorum linguas non effugiat, non illum ſancti ad cædem incitant, non ſuadent ut calumniâ calumniam repellant; ſed ad interiorem conſcientiæ lætitiam & exultationem vocant, *Miror*, inquit Gregorius lib. 8. Epiſt. 45. *dilectionem tuam verbis hominum contriſtatam. Inter verba enim laudantium aut vituperantium ad mentem ſemper recurrendum eſt; & ſi in ea non invenitur bonum quod de nobis dicitur, magna triſtitia generari debet; & rurſum ſi in ea non invenitur malum quod de nobis homines loquuntur, in magnam debemus lætitiam proſilire. Quid enim ſi homines laudant, & conſcientia accuſet? Aut quæ debet eſſe triſtitia ſi omnes accuſent, & ſola conſcientia nos liberos demonſtret? Habemus Paulum dicentem: Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ: Iob quoque dixit: Ecce in cælo teſtis meus. Si ergo nobis eſt teſtis in cælo, teſtis in corde, dimitte ſtultos foris loqui quod volunt. Quid aliud detrahentes faciunt, niſi in pulverem ſufflant, atque in oculos ſuos terram excitant, ut undè plùs detractionis perflant, inde magis nihil veritatis videant? Vocandi ſunt tamen etiam iſti, tranquillè admonendi, eiſque ſatisfieri modis omnibus decet, ſcientes quòd de eis veritas dicit: Ne fortè ſcandalizemus eos.*

Nullone igitur modo, inquiunt, licet honorem defendere? Licet planè ſi non id tam noſtra cupiditas expetat, quàm Dei honor, & aliorum poſtulet utilitas: ſed non licet crimine, adeòque nec homicidio, nec adulterio, nec perjurio, nec calumniâ, nec ullâ aliâ ratione, quam divinæ humanæque leges prohibeant.

Cur igitur, inquiunt, cædem non eodem modo incuſas, cum pro vitæ defenſione perpetratur? Reſpondeo: quia hic caſus ab Eccleſiâ exceptus videri poteſt: Deinde quia leges quæ id ſinunt, pariter jus illud necis innocentibus in periculo poſitis concedere videntur: tum denique quia non propriè interficit qui ſic interficit. Quantùm poteſt enim vitæ adverſarii parcat neceſſe eſt, qui ſe Chriſtianâ ratione defendit, ut caſu potiùs quàm voluntate videatur occidiſſe. Quæ ſanè fuit mens ſancti Thomæ, qui cùm cædem pro vitæ defenſione non omnino improbaret, occidendi tamen propoſitum omnino prohibuit.

§. 2.

§. 2.

Obiter explicatur prudentis & pii Theologi inſtitutum in diſſolvendis morum quæſtionibus.

Poſtremò cui reſponſiones illæ minùs placebunt, colligat potiùs vel pro vitæ defenſione illicitam cædem, quàm ut pro honore licitam putet. Hoc enim Theologi prudentis inſtitutum poſtulat, ut certa præponat incertis, nec propter quarundam rerum obſcuritatem ab iis quæ rata toti antiquitati fuere, dimoveri ſe patiatur: præcipuè verò cavendum eſt illud argumenti ſeu potiùs fallaciæ genus, quo à vicinis ad vicina tacito progreſſu ſenſim proceditur. Latent enim ferè virtutis vitiique confinia, ut illud tempus quod noctem inter ac diem intereſt, ad utrum pertineat haud facilè dixeris, cùm hinc meridie lucere certiſſimum ſit, illinc contrà mediâ nocte non lucere. Sic prorſus in rebus moralibus ferè certa ſunt extrema; deinde ſenſim quò magis ab extremis receditur, judicium boni malique fit obſcurius, ut in hoc ipſo de cæde argumento: illinc enim certum eſt, autoritate publicâ ſontes interfici licere: illinc contrà certum, pro honoris defenſione hominem interfici non licere, nec illum item furem qui raptâ pecuniâ fugiat. Multæ ſunt in medio ſententiæ, quarum aliæ aliis minùs dubiæ, ſive ut loquuntur, aliæ aliis probabiliores vel improbabiliores; ſed cùm has gravis Theologus expendet, ſic expendet ut nunquam ex illis fixis certiſque ſententiis recedat. Contraria prorſus Jeſuitarum ratio fuit, qui hominum cupiditatibus lenocinari ſtudentes, dubiis dubia ſuperſtruxêre, & paulatim progreſſi, ea tandem attentarunt dogmata, de quibus nulla unquam in Eccleſiâ dubitatio coorta fuerat; quale eſt illud de nece calumniatoribus, maledicis, contumelioſis, falſis teſtibus, iniquis judicibus inferendâ, quam viam ſi inſiſtere pergant, aut ſi eorum conatibus non obſiſtat Eccleſia, brevi omnia in moribus incerta, nihil prorſus fixum & ratum: & ſic pro Chriſti diſciplinâ Pyrrhonis aut Arceſilæ ſcholam; pro veritatis inſtitutionibus inconditam ac temerariam opinionum ſtruem habebimus.

§. 3.

Falſus clementiæ color opinioni ſuæ à Ieſuitis obtentus.

Quis crederet Jeſuitas hujus doctrinæ crudelitatem ſpecie clementiæ prætexere auſuros? Auſus eſt tamen Jeſuiſtarum Apologiſta pag. 283. Quid enim ille non audeat? Auſus eſt, inquam, Montaltii ſententiam furibus, latronibus, petulantibus amicam appellare, innocentibus inimicam: contrà autem ſuam innocentiæ, honoris propugnatricem dicere. *Cùm licere*, inquit, *pugnant Caſuiſtæ ad honoris bonorumque defenſionem occidere, ſolis demum innocentibus ac viris bonis hoc jus adverſus improbos concedunt: at tu qui aliter ſentis, latronum adverſus eos cauſam dicis, inſolentibus ad inferendam viris honeſtis contumeliam ades.* Itane igitur qui ad patientiam hortatur, à cæde re-

retrahit, innocentiam oppugnat, favet improbitati? Non petit hæc criminatio Montaltium; ipſum Apoſtolum palam invadit, & illas ipſius voces, *non vos defendentes, chariſſimi, ſed date locum iræ*, non manſuetudinis ſed crudelitatis præceptum eſſe docet. Quid ipſe Chriſtus, qui percuſſos in dexterâ jubet alteram præbere? Nonne apertè fautor improbitatis, innocentiæ oppugnator à Jeſuitis dicitur? Verùm alia mens Patribus quàm iſtis Caſuiſtis: non enim Patribus benignus, non propitius, non amicus innocentibus videtur, qui eos ad vindictam incitat & impellit, ſed omnium crudeliſſimus inimicus, & diaboli conſiliorum ſocius & fautor. Diſcant hoc Jeſuitæ ex præclaro illo Auguſtini loco: *Duos inimicos*, inquit in pſ. 54. *conſtitue tibi ante oculos: unum apertum, & alterum occultum: apertum, hominem; occultum, diabolum: homo ille, hoc eſt quod tu ſecundum naturam; ſecundum fidem autem & dilectionem non idem quod tu, ſed poterit eſſe idem quod tu. Cùm ergo ſint duo, unum vide, alterum intellige: unum dilige, alterum cave. Namque & inimicus ille quem vides, hoc in te vult humiliare unde vincitur; v. g. ſi divitiis tuis vincitur, pauperem te vult facere: ſi honore tuo vincitur, humilem te vult facere: ſi viribus tuis vincitur, debilem te vult facere. Ea ergo attendit in te vel dejicere vel auferre quibus vincitur. Et ille occultus inimicus tibi vult tollere unde vincitur. Homo enim hominem vincit humana felicitate, diabolum autem vincis inimici dilectione..... Sed cura in corde ſervare inimici dilectionem, qua diabolum vincis. Sæviat homo quantùm poteſt, auferat quidquid poteſt, ſi diligitur apertè ſæviens, victus eſt occultè ſæviens.*

Non ergo innocentibus illis, quibus adeſſe ſe ſimulant Jeſuitæ, tam metuendus eſt vel latro in prædam inſiliens, vel improbus contumeliis honorem invadens, vel maledicus calumniis famam lacerans, quàm ille Jeſuita monitor, qui diaboli partes fovens conſiliis ſuis animæ vitam, honorem, divitias ereptum it. Nec verò Jeſuitis ea demum crudelitas exprobranda, quâ bonos adverſus improbos uti volunt; longè enim crudeliùs innocentibus innocentiam detrahunt, quam improbis vitam. Hæc Jeſuitica manſuetudo & benignitas eſt, alium vitâ corporis, alium animæ vitâ ſpoliare: alium ad æterna mittere ſupplicia, alium æterni ſupplicii reum facere: alium detrudere ad inferos, alium cœlo quaſi deducere.

§. 4.

Quam infirma ſint illa repagula quæ deleto Dei præcepto nonnunquam ad inhibendam nimiam cædis licentiam opponunt Ieſuitæ.

Reſolutis divinæ legis quibus homines à cæde prohibebantur vinculis, perruptoque ſacro hoc obice humanis cupiditatibus oppoſito, gladiorum licentiam quibuſdam aliis nodis nonnunquam adſtringere coacti ſunt ipſi Jeſuitæ, ne nimis quàm vellent ſerperet, & ad infamiam Societatis redundaret. Odioſiſſima in Galliis eſt eorum Caſuiſtarum doctrina, qui licitum eſſe pronuntiant duello depugnare; & tamen illa ex primario illo dogmate, quo pro defen-

fenſione honoris cædes permittitur, apta & religata eſt. Ergo Gallorum offenſionem nihil morati, exteri Caſuiſtæ fidenter licitam monomachiam ad honorem tuendum pronuntiant. Multos ſimul congerit Caramuel in fundam. Theolog. pag. 546. ubi & hunc Carafæ Clericorum Regularium Præpoſiti locum affert ex tract. 4. ſect. 6. reſp. 6. n. 16. p. 347. *Probabile eſt quòd ſi miles in exercitu, vir equeſtris in aulâ regiâ, officio, dignitate, Ducis aut Principis favore ob ignaviæ ſuſpicionem excidere debeat, niſi identidem provocanti ſe ſiſtat, non audere aliquos Doctores damnare qui meræ defenſionis gratiâ paruerit. Idem ſentiendum ſi ad pugnandum laceſſens alterum, crebra convitia & contumelias adjiciat, quâ ille moleſtiâ & ſubeundo dedecore aliter ſe liberare non poſſit, niſi armis congrediatur. Ita expreſsè Layman ſect. 3. tract. 3. cap. 3. num. 4. qui pro prima parte hujus concluſionis citat Navarrum cap. 15. n. 3. & 4. Conſonat Caraſa Leſſio de juſt. & jur. lib. 2. cap. 9. num. 83. & 84. Hurtado de ſpe & charitate vol. 2. diſp. 170. ſect. 13. §. 106. Filiutio tom. 2. tract. 29. cap. 8. §. ſexto quæro n. 145.*

Vides quàm multi Jeſuitæ in eam ſententiam conſpirent, & in iis Laimanum cernis à Caramuele & Carafa reponi, quem ex hoc numero ſubducere fruſtra tentavit Apologiſta Impoſtura 11. cùm clarè & apertè Navarræ ſententiam approbet, ut videri poteſt in integro ejus loco à Parochis Parienſibus allato.

Cæterùm Galli Jeſuitæ licet univerſè honorem hominis cæde redimi poſſe ſentiant, tamen in libris vulgò duellum illicitum defendunt; ſed iis rationibus, quas ipſi cùm opus eſt, ſine negotio reſolvant. Ajunt primò duellum in Galliâ eſſe peccatum propter regias leges, quibus ſub graviſſimis pœnis prohibetur, & quæ mortalis peccati obligationem inducant. Mihi quidem eſt perſuaſum: at Caſuiſtæ non ægrè ducibus Jeſuitis hanc rationem abigent hoc ſuo decreto quod refert Eſcobarius l. 5. ſ. 2. prob. XXVI. *Lex pœnalis in materia gravi obligat & non obligat in conſcientia.*

Non obligat, inquit Eſcobarius, *quia in dubio benignior gerenda eſt interpretatio, & lex debet de minori pœna explicari cap. in pœnis 49. de regul. juris in 6. Legiſlator, qui ad pœnam temporalem & æternam poteſt obligare, ſi ſolius meminit temporalis, non videtur intendiſſe obligare ad æternam. Ex leg. Cùm Prætor, ff. de jud. cap. nonne de præſump. qui ex duobus propoſitis alterum tantùm affirmat, alterum videtur abnegare. Ita Reginal. tom. 2. lib. 15. cap. 6. ſect. 5. num. 50. Villalob. tom 1. tract. 2. dub. 22. num. 2. Navar. cap. 23. n. 55. & Valent. to. 2. diſp. 7. q. 5. pun. 6. Filliu. to. 2. tr. 21. c. 11. n. 420. probabilem hanc ſententiam vocitarunt.*

Subſcribens non poſſum non mirari Sotum de juſt. lib. 1. q. 6. a. 5. hanc opinionem vulgi errorem appellaſſe, putantis cuilibet licere ſuæ pœnæ reatu tranſgredi legem. An vulgaris eſt error doctiſſimorum ſententia Doctorum, quam vel contrariam ſectantes probabilem profitentur? Addent etiam illud ejuſdem. *Lex prohibens aliquid ſub pœna mortis, mutilationis, perpetui carceris, confiſcationis omnium aut multorum bonorum, obligat & non obligat ſub mortali.... Non obligat: quia licet ſit mortale te*

exponere mortis aut graviſſimi incommodi periculo; violatur enim quintum præceptum decalogi, ſed tranſgredi legem quæ capitalem pœnam indicit, haud eſt tali obnoxium periculo; quia poteſt quis tanta uti cautela ad violandam legem, ut in probabile vitæ, aut gravis admodum damni non incurrat periculum. Ita Reginal. tom. 1. l. 15. cap. 6. ſect. 5. num. 50. Navar. man. c. 23. n. 55. & 56. Philiarc. de offic. ſacerd. to. 1. p. 2. l. 3. cap. 2. diſt. 4. & alii.

Hanc approbans mentem, reor ex pœna capitis, mutilationis, perpetui carceris, damnationis ad triremes, confiſcationiſque bonorum, quam lex humana imponit, haud ſufficiens duci argumentum ad oſtendendum in dubio obligationem illius eſſe ad peccatum lethale, niſi aliunde ex aliquo certo ſigno conſtet, legiſlatorem voluiſſe ejuſmodi legem pœnalem ſubditos obligare, non modò ad illam pœnam ſubeundam, ſed etiam ad lethalis piaculi reatum. Ex his cerni licet, quàm facile ſit Jeſuitis edicta illa regia fruſtrari & eludere.

Cauſantur alii propter eaſdem Regis leges repudiari duellum ſine ignominia poſſe. Nihil enim infamiæ eſſe Regis ſui parere legibus. Orationem illam vehementer amplecterer, ex alia quam Jeſuitarum diſciplina profectam; at cum aliis eorum dogmatis connexa, tota frivola eſt, & à quovis poteſt rectè contemni. Certè enim non amittitur cum rejecta duelli conditione verus ille honos, qui ſervandis Dei Regumque legibus continetur: at qui accepta alapa, aut erepto per vim pomo honorem ſimul eripi docent, iidem ſi conſequenter loqui volunt, detrectatione duelli apud nobiles honorem amitti negare non poſſunt. Nam ſi non ea vis fuit tot Euangelii præceptis, & Dei ipſius in ſtabulo naſcentis, in cruce morientis exemplo, ut probroſum non eſſet Chriſtiano alapas patienter ferre, multò minus id terreni Regis leges valebunt, ut militari viro duellum fugere non ſit inhoneſtum. Ex quo intelligi poteſt, parum prodeſſe cùm nefaria morum principia generatim poſueris, illa deinde frivolis quibuſdam reſtrictionibus & exceptionibus velle temperare. His enim decretis imbuti homines, cùm ad rem ventum eſt, futiles reſtrictiones non curant, & ex iis principiis quæcumque ratio ex iis ſequi docet, eliciunt.

Itaque quamvis Leſſius geſtu aut verbo contumeliam inferentis, itemque calumniatoris cædem ſpeculativè tantùm approbet, practicè non approbet, propter quædam incommoda inde naſcentia, tamen hac exceptione nullomodo iſtius dogmatis perniciem ſuſtulit. Planum enim & apertum eſt, hæc quæ profert incommoda facilè à calumniatorum cædibus removeri. Hinc Leſſianis placitis inſtructi homines, cùm opus fuerit calumniatorem occîdi, licitum hoc ſpeculativè ex Leſſio ſument, eundem verò in praxi occîdi fas eſſe Eſcobario aſſentientur, qui ut paulò ſceleratiùs loquatur quàm Leſſius, loquitur certè conſtantiùs.

EPISTO-

EPISTOLA DECIMA QUINTA.
AD
RR. PATRES JESVITAS.

Septimo Kal. Decembris 1656.

Reverendi Patres,

Quando nullum eſſe video calumniarum veſtrarum modum, & innocentiſſimos quoſque à ſcriptoribus veſtris crudeliſſimè lacerari, cùm ab ipſorum erroribus alieni ſunt; dandum omnino eſt & illorum & Eccleſiæ utilitati, quod dudum in me receperam ut palam omnibus grande illud calliditatis veſtræ retegatur arcanum, ex quo nobis tot calumniæ profluunt: ſic enim ex veſtris decretis perſpici poterit, quantum vel criminationibus veſtris, vel convitiis fidei ſit habendum. Non ſum neſcius, Patres, quibus minùs nota Societas eſt, eos magnopere hîc hærere & quaſi fluctuari. Nam aut vera putanda ſunt quæ inimicis veſtris affingitis, aut vos pro perditis calumniatoribus habendi. Alterutrum credant neceſſe eſt; utrumque tamen ipſis perinde incredibile videtur. Ecquid ajunt, niſi hæc vera eſſent, à Religioſis ſpargerentur? An illi ſalutem ſuam projicere, ac certam ſibi nefandis calumniis damnationem vellent accerſere? Hæc illos primùm cogitatio ſubit. At cùm certis argumentis revicta calumniarum veſtrarum falſitas in eam incurrit de ſinceritate veſtrâ anticipatam ipſis opinionem, tum verò ipſorum animus in medio quaſi libratus neutram in partem propendet, quòd nec apertè veritatis lucem poſſit abjicere, & fraternam charitatem temerariâ ſuſpicione lædere vereatur. Quamobrem cùm ab aſpernandis veſtris mendaciis hoc uno retrahantur, quòd commodiùs de vobis ſentiunt, ſi ſemel cognoverint non eo quo rentur loco à vobis haberi ca-

lumniam; ſed ita vobis eſſe perſuaſum, ſine ſalutis jacturâ falſa vos de inimicis veſtris crimina poſſe confingere, haud dubiè futurum eſt, ut incertam illorum aſſenſionem ſecum deprimat pondus veritatis, & calumniarum veſtrarum fidem prorſus elevet.

Hoc erit igitur iſtius Epiſtolæ argumentum. Non id modò docebimus, libellos veſtros ſcatere calumniis; juvat ultra progredi. Poſſunt falſa bono animo dici, dum vera putantur: at non implet mendacis perſonam, niſi qui voluntate mentitur. Hoc illud eſt, Patres, cujus vos arguo. Hoc oſtendam, non temerè vos ſed conſilio eſſe mendaces: hoc demonſtrabo, prudentes vos & gnaros falſa in adverſarios veſtros crimina conferre, idque ideò vos audere, quòd calumniâ Dei gratiam non amitti cenſeatis. Quanquam autem hoc doctrinæ veſtræ caput non minùs vobis quàm mihi compertum eſt, non deſiſtam tamen illud vobis repræſentare, ne quis de re tam exploratâ audeat ambigere; cùm id vobis viderit palam objici, vos nihil habere quod contradicatis; niſi illud ipſum, cujus vos arguo crimen, ipſa inficiatione confirmare velitis. Eſt enim hæc in ſcholis veſtris tam pervagata doctrina, ut eam non modò libris docueritis; ſed etiam publicis theſibus, quod totius audaciæ cumulus eſt, defenderitis. Indicio ſunt Lovanienſes Theſes anni 1645. ubi illam ſic expreſſiſtis: *Quid ni non niſi veniale ſit detrahentis autoritatem magnam ſibi noxiam falſo crimine elidere?* Porrò tam rata vobis ac certa eſt illa ſententia, ut qui eam improbet, continuò à vobis tanquam imperitus ac temerarius exagitetur. Expertus id Quiroga Germanus Capucinus, qui cùm illam doctrinam liberiùs damnaſſet, ſtatim à Dicaſtillo veſtro arreptus eſt, & graviter objurgatus. En quibus verbis Dicaſtillus in bonum illum Capucinum invehatur.

Referam controverſiam, inquit, *inter me & virum quendam gravem, Religioſum cucullatum, gymnopodam, (cujus nec nomen, nec ordinem juvat indigitare juſtis de cauſis) cùm verſare-*

mur

mur in Hungariâ obortam. Prædictam ego opinionem cùm caſu probabilem, & gravium Doctorum judicio ipſius probabilitatem firmari dixiſſem, non ſolùm tunc in me acrem evomuit cenſuram, ſed poſteà apud nullius litteraturæ viros & fœminas perrexit me traducere, quòd dixiſſem aliquid præjudiciale, ſcandaloſum, (utor verbis ipſius) pernicioſiſſimum contra bonos mores, & contra pacem Rerumpublicarum & Communitatum. Hæc & id generis alia non ſolùm detonuit apud illos, ſed litteris quoque ad me datis ſcripſit & ſubſcripſit, ſe jactans habere contra doctrinam meam Doctores omnes & efficaces rationes. Non refero (inquit) autores, quia omnes abſolutè comprehendo quotquot in hâc materiâ loquuntur nemine excepto. Nec etiam immoror in afferendis rationibus, cùm tot ſint & tam claræ, ut nemo ſani judicii, ſive doctus ſit ſive indoctus, eas poſſit negare vel ignorare. Poſteà ſatis temerè affirmat, non ſolùm eſſe contra prædictam ſententiam quotquot Catholici ſunt; ſed quotquot eſſe poſſunt in Eccleſia Dei.... Et cùm vidiſſet argumenta quibus ego & alii autores à me relati, probamus eſſe poſſe caſum in quo dicere falſum teſtimonium grave, quod deſerviat ad enervandam fidem ejus qui aliud ſimile dixit, eſſe quidem ſemper peccatum propter mendacium, ſed non eſſe peccatum contra juſtitiam mortale. Hæc cùm, inquam, vidiſſet, ingenuè faſſus eſt eſſe probabile quòd non eſſet peccatum contra juſtitiam, ſed eſſe ſemper mortale contra charitatem proximi, & inde habere inſeparabilem & intrinſecam malitiam mortalem; & hanc eſſe dixit omnium Catholicorum doctrinam, omnium (inquam) quotquot ſunt aut eſſe poſſunt in Eccleſiâ Dei. Ego verò affirmavi eam inſeparabilem malitiam contra charitatem à nemine quod ſciam agnoſci, neque ratione poſſe probari. Omitto plura quæ in eam rem ex parte utriuſque noſtrûm allata ſunt; & venio ad ipſammet doctrinam, quam ego probabilem dixeram tunc, & nunc dico. Eam verò conjeci in chartam quam legerunt, & probabilem propria manu ſcripſerunt, & ſe ſubſcripſerunt poſt RR. PP. *Ioannem Gans* Confeſſarium *ſacratiſſimi Cæſaris Ferdinandi III. & P. Danielem Baſtelium ſereniſſimi Archiducis Leopoldi ejuſdem Impe-*

ratoris fratris Confeſſarium, profeſſores omnes publici & ordinarii Vniverſitatis Viennenſis, Vniverſitatis Grezenſis (quæ totæ Jeſuitis conſtant) *Vniverſitatis Pragenſis* (in quâ dominantur) *quorum ego omnium cenſuras & ſubſcriptiones apud me habeo, ſimul cum Cancellariis earum Vniverſitatum, qui omnes ſunt ſeptemdecim, quibus annumerari poſſunt alii Doctores & olim Profeſſores P. Henricus Philippi Confeſſarius olim & in re tum Philoſophicâ tum Theologica eorumdem ſereniſsimorum fratrum Magiſter & Profeſſor. P. Ambroſius de Penaloſſâ, olim etiam in Viennenſi Vniverſitate Theologiæ Doctor & Profeſſor, nunc verò Cæſareæ ſimul & Catholicæ Majeſtatis concionator. Item P. Vitalis Pelliceroli Doctor Theologus, & in eâdem Viennenſi & Grezenſi Vniverſitatibus Profeſſor.*

Videre licet, Patres, in nullo dogmate ſtabiliendo plùs à vobis adhibitum laboris & operæ; nec injuriâ: nullum enim erat quod magis vobis opus eſſet. Itaque tantam operâ veſtrâ autoritatem nactum eſt, ut jam illo tanquam certiſſimo principio utantur Caſuiſtæ. *Probo*, inquit Caramuel p. 550. *eſſe probabile, non peccare mortaliter qui imponit falſum teſtimonium alicui, ut ſuam juſtitiam & honorem defendat: quia illud eſt probabile quod aſſeritur à viris doctis probiſque: & hæc doctrina habet pro ſe viginti aut plures viros magnos & doctos, qui ſi dicantur non ſufficere, vix ulla erit opinio probabilis in Theologiâ, Vide Gaſp. Hurt. diſ. 4. de reo, diffic. 1. Dicaſtill. de juſt. l. 2. tr. 2. diſ. 12. p. 4. d. 2. n.* 404. *Dianam p. 9. tr.* 8. *Reſ.* 43. *p.* 356.

O Theologiam deteſtandam, & omnibus ſuis partibus ita corruptam, ut niſi tutum ac probabile ſit expertem criminis eſſe calumniam, cùm ad honoris tutelam adhibetur, vix ullum ejus decretum probabile ac tutum dici poſſit! Quam veriſimile eſt, RR. PP. ut his decretis imbuti, nonnunquam illa ad uſum transferant. Huc enim tanto impetu corruptum hominis ingenium ruit, ut obice conſcientiæ remoto vix fieri poſſit quin nativâ depravatione feratur in præceps. Exemplum ſufficit Caramuel eodem loco.

loco. *Cùm*, inquit, *in gyneceo Imperàtricis à Comitiſſâ N. hæc Dicaſtilli doctrina eſſet tradita, & quidem virginibus nobiliſſimis & audaciſſimis, quæ illâ doctrinâ* ad innumeras calumnias confingendas *abutebantur, ut in ſimilibus locis fieri ſolet, advocatus P. Quiroga Capucinorum decus, pronuntiavit hanc eſſe doctrinam pernicioſam*, (en cur illum tot conviciis oneret Dicaſtillus) *& præcipuè inter fœminas, & maximè ſi ſint ingenioſæ & audaces; & hanc ob cauſam curàvit, ut omnis illius doctrinæ uſus ab Auguſta omnibus pediſſequis inhiberetur.*

Nil mirum ex illâ doctrinâ hæc flagitia prodiiſſe: mirum fuerit, ſi non inde ejuſmodi licentia fluxiſſet. Facilè cuique perſuadet amor ſui, injuſtè ſe ab aliis peti; ſed nulli faciliùs quàm vobis, quos tantus mentis tumor occœcat, ut paſſim in ſcriptis veſtris eam de vobis opinionem haberi jubeatis, tantùm de Eccleſiæ honore detrahi, quantùm de Societatis veſtræ gloriâ detrahatur. Itaque monſtro ſimile ſit, ſi non hanc doctrinam uſu ſæpiſſimè frequentetis. Nihil eſt enim quod jam dicatur, quemadmodum ab iis qui vos minùs norunt dici ſolet: An boni illi Patres falſum velint inimicis ſuis crimen intendere, cùm id ſine ſalutis jacturâ facere non poſſint? Veriùs enim multò dici poteſt: An boni illi Patres faciendæ falſis criminibus inimicis ſuis invidiæ locum omitterent, cùm id ſe putent ſine ſalutis periculo facere poſſe?

Nemo igitur jam ſtupeat Jeſuitas calumniari; tutâ enim conſcientiâ calumniantur, nec ullo obice à calumniâ prohibentur. Nam pro eâ quâ pollent in ſeculo gratiâ, hominum juſtitiam non verentur; & pro eo quo potiuntur in morum doctrinam imperio, ea dogmata poſuerunt, quibus adverſus Dei juſtitiam tuti eſſent. Ex hoc fonte, Patres, tot veſtra mendacia profluunt, hinc illæ extiterunt Briſacieri veſtri tam projectæ calumniæ, ut Cenſurâ Archiepiſcopi Pariſienſis fuerit configendus. Hinc illa Patris Danjou ſocii veſtri 8. Mart. an. 1655. in perſonas primarias, apud quas pauperum Picardiæ & Campaniæ ſubſidia

depo-

deponebantur horribilis petulantia. Quamvis enim ad illa multùm illæ de ſuo conferrent, tamen palam inſandum illud mendacium ex ipſâ cathedrâ ſancti Benedicti proferre non eſt veritus: *Compertiſſimum ſibi eſſe has pecunias ab illis perſonis interverti, ut eas in Eccleſiæ ac Regni perniciem impenderent.* Hâc calumniâ, quæ ſi quid fidei inveniſſet, uberem illum eleemoſynarum fontem areſeciſſet, commotus iſtius Eccleſiæ Parochus, Doctor Sorbonicus, in ſuggeſtum poſtridie conſcendit, ac Jeſuitæ mendacia coram omnibus coarguit.

Hinc illa veſtri Craſſeti audacia, quâ tot impoſturis Aurelianenſem cathedram polluit, ut his commotus Aurelianenſis Epiſcopus illi tanquam publico ſycophantæ ſacris concionibus interdixerit. Verba Decreti 9. Septembris dati ejuſmodi ſunt: *Sacris concionibus per totam hanc Diœceſim fratri Ioanni Craſſeto Societatis Ieſu Presbytero interdicimus; & ne quiſquam ejus concionibus interſit ſub pœnâ lethalis inobedientiæ edicimus, quòd prædictus frater Craſſetus concionem habuerit mendaciis & calumniis refertam adverſus præcipuos Aureliæ ſacerdotes, quibus falſò ac mendaciter affinxit has propoſitiones: Mandata Dei eſſe impoſſibilia: Nunquam reſiſti gratiæ interiori: Chriſtum non eſſe mortuum pro omnibus hominibus, atque alias ejuſmodi ab Innocentio X. damnatas.* Hæc enim ſolita veſtrorum cantilena; hoc primùm crimine eos aſpergitis, quos infamari vobis expedit. Quanquam autem tam malè in cæteris, quàm in illis Aureliæ Sacerdotibus hæreat, nihil tamen inde conſcientia veſtra ſollicitatur; adeò enim licitum exiſtimatis *inimicorum veſtrorum famam falſis elidere criminibus*, ut hoc in magnæ civitatis oculis apertè ferre non dubitetis.

Inſigne hujuſce rei teſtimonium ſuppeditat illa contentio quæ vos inter & Puteanum Lugduni ſancti Niſieri Parochum interceſſit; atque ut ex hâc hiſtoriâ Societatis veſtræ genius mirificè pellucet, placet eam minutiùs hîc referre. Noſtis, RR. PP. ann. 1649. librum egregium à

Puteano in vernaculum ſermonem eſſe tranſlatum, cui titulus: *Officia boni Chriſtiani erga propriam paræciam, adverſus eos qui fideles à paræciis abſtrahunt.* Autor item ex Ordine Capucinorum. Caverat Puteanus ne quid acerbitatis huic libro admiſceret, neve ullus Religioſus, aut omnino ulla Societas nominatim deſcriberetur: ſe tamen hoc libello peti Jeſuitæ putaverunt: itaque continuò veſter Albius Puteani antiqui Paſtoris, in Primatiâ Galliæ judicis, magnâ in urbe & autoritate & honore pollentis, canos ac virtutem nil reveritus, mordaci illum libello omnibus probris cooperuit, quem vos ipſo Aſſumptionis die in Eccleſiâ veſtrâ propalam vendidiſtis. Inter cætera probra traducebatur Puteanus quaſi *vitæ licentiâ ſcandaloſus, impietatis ſuſpectus, hæreticus, excommunicatus, ac remediis cauſticis dignus.* Huic libello reſpondit Puteanus. Mox ſuas accuſationes Albius novâ rurſus ſcriptione confirmavit. Ergo aut profeſſi calumniatores eſtis, aut hæc tum de bono illo Parocho credebatis. Itaque niſi depoſitis erroribus ille amicitiâ veſtrâ dignus fieri non poterat. Videamus igitur quid in ipſâ reconciliatione geſtum ſit, cui interfuerunt multi, & quidem Lugduni primores, quorum nomina in paginæ fine ſubjiciam eo ordine, quo in inſtrumento iſtius pacificationis anno 1650. 25. Sept. die perſcripto notantur. In illo numeroſo ac honeſtiſſimo conceſſu hoc tantùm declaravit Puteanus, *libro ſuo Ieſuitas omnino non impeti, generatim ſe de iis locutum qui fideles à paræciis avertant, de laceſſendâ Societate nunquam ſe cogitaſſe, quæ contrà animo ſuo egregiè chara eſſet.* Iſtorum verborum faſcino, momento ex Apoſtaſiâ, ex excommunicatione, ex ſcandalis, nullâ abdicatione, nullâ abſolutione præviâ Puteanus emerſit: tum verò P. Albius his illum ipſiſſimis verbis compellavit: *Vir clariſſime, cum in eâ opinione fuiſſem, Societatem cui me cooptatum glorior, à te laceſſitam, ad ſcribendum me accinxi; illudque quo uſus ſum defenſionis* GENUS MIHI LICITUM ESSE EXISTIMAVI*: at nunc certiùs explorato*

tuo

tuo in nos animo, huc veni coram omnibus teſtificaturus nihil jam eſſe cur te non habeam ingenii perſpicaciſſimi, profundæ & orthodoxæ eruditionis virum, moribus inculpatum, poſtremò Eccleſiæ tuæ digniſſimum Paſtorem. Hanc profeſſionem libens edo, ea ne honeſtiſſimis qui hîc adſunt viris excidat opto & precor.

Factum eſt quod optaſtis, Patres; non excidit, majorque omnes ex iſtiuſmodi reconciliatione, quàm ex ipſâ diſſenſione ſubiit offenſio. Quis enim iſtam Albii veſtri orationem non miretur? Non ait priora ſe opprobria recantare, quòd Puteanus ad meliorem frugem, ad ſaniorem de fide ſenſum rediiſſe cognoverit; ſed quia impetendæ Societatis voluntatem Puteano non fuiſſe perſpexerat, ideò nullâ ſe jam re prohiberi ait quominùs ipſum pro Catholico habeat. Non igitur ipſum antè ducebat hæreticum, & tamen cùm illi tantum crimen quod falſum noverat, prudens ac ſciens objectaſſet, non agnoſcit in hoc deliquiſſe ſe, ſed contrà hoc defenſionis genus ſibi licitum fuiſſe profitetur.

Ubi veſtra prudentia, Patres, qui tam apertè teſtificemini, ut quiſque de Societate veſtrâ ſentiat, perinde vos de ipſius fide, de ipſius virtute ſentire? Cur veritum non eſt ne veſtrâ ipſi profeſſione publicè calumniatores denunciaremini? Quid enim iſtuc eſt? Idem homo, nihil immutatus, pro eo quòd ab illo vos vel coli vel impeti creditis, pius aut impius vobis eſt, inculpatus aut excommunicatus, dignus Eccleſiæ paſtor, vel remediis cauſticis dignus, poſtremò hæreticus aut catholicus. Ergò Jeſuiticâ linguâ hæreticum eſſe, idem eſt ac laceſſere Societatem. Lepidam hæreſim, boni Patres! Itaque cùm tot viros Catholicæ fidei addictiſſimos paſſim in Scriptis veſtris hæreticos appellatis, hoc demum à vobis ſignificatur, aliquâ in re violatam ab ipſis Societatem. Magni refert, Patres, novum illud ſermonis genus vulgò non ignorari, quo ſanè nomen hæretici, & quidem primarii effugere non poſſum. Et certè non alio ſenſu iſtud nominis in me confertis. Una vobis

vobis cauſa cur me Eccleſiâ pellatis, quòd Litteris meis aliquid de Societatis famâ exiſtimatis eſſe detractum. Quamobrem aliter Catholicus fieri non poſſum, niſi vel doctrinæ veſtræ flagitia comprobem, aut vobis illud perſuadeam, id unum me ſecutum eſſe, ut ſaluti veſtræ conſulerem. Alterum facere non poſſum, quin omnem pietatis ſenſum abjiciam: alterum agnoſcetis nunquam, niſi ab erroribus veſtris longiſſimè receſſeritis. Itaque mirum in hæreſi quàm tenaciter infixus ſum, quando nil ad ejuſmodi errorem deponendum fidei integritas prodeſt, nec ex hoc aliter poſſum emergere, niſi vel prodam ipſe conſcientiam meam, aut veſtram emendem. Alterutrum niſi fuerit, ſemper ſceleſtus ero, ſemper ſycophanta, ſemper hæreticus; quàmlibet integrâ fide ſententias veſtras retulerim, paſſim tamen clamitabitis hæc vobis affingi non poſſe, niſi ab eo qui diaboli agatur ſpiritu; iſtorum in veſtris libris ne veſtigium quidem reperiri; atque in hoc veſtris tantùm decretis, veſtris moribus parebitis, tam latè illud veſtrum mentiendi privilegium patet.

Cujus non abs re erit hîc exemplum apponi, inter multa ſelectum, quòd ſic obiter veſtrarum calumniarum nona confutabitur: ſunt enim illæ tam frivolæ, ut ſic tantùm refelli mereantur.

Decem aut duodecim abhinc annis hæc vobis exprobrata eſt ſententia: *occaſiones proximas peccandi primò & per ſe quæri poſſe*, quam Baunius veſter refert p. 1. tr. 4. q. 14. p. 94. ex Baſilio Pontio, cujus ſenſui *libens ſubſcribit*. Exemplum affert Baunius ejuſmodi: *Licet ſingulis lupanar ingredi ad odium peccati ingenerandum meretricibus, etſi metus ſit, ac verò etiam veriſimilitudo non parva eos peccaturos, eò quòd malo ſuo ſæpe ſunt experti, blandis ſe mulierculárum ſermonibus ac illecebris flecti ſolitos ad libidinem* Quid ad hæc Cauſſinus veſter anno 1644. in Apologiâ Societatis Jeſu? *Legatur*, inquit, *locus Baunii citatus, legatur integra pagina, conſulantur margines, antecedentia, conſequentia, reliqua, imò totus liber, ne*

ne leviſſimum quidem iſtius ſententiæ reperietur veſtigium, quæ nonniſi in hominem perditum poſſit cadere, adeòque Baunio affingi non poteſt niſi ab organo dæmonis. Eâdem audaciâ veſter Pinterellus *hanc ſententiam*, ait, *ut docere nemo poteſt, niſi perditæ planè conſcientiæ; ſic Baunio aſcribere nullus poteſt, niſi qui ſit ipſo dæmone deterior. Vide locum, lector, nullum nec indicium nec veſtigium ejus in toto Baunii libro invenies.*

Quis aliter exiſtimare poſſet, niſi homines tantam fiduciam præ ſe ferentes non immeritò queri, & reverà alienam Baunio affictam eſſe ſententiam? Quid vos unquam aut affirmatiùs aut confidentiùs adverſus me jactaſtis? aut quis ſibi in animum inducat hunc locum iiſdem verbis, eâdem extare paginâ quæ adſcripta eſt, cùm tam audacter vos audit aſſerêntes hujus loci nec notam nec veſtigium in toto Baunii libro reperiri? Equidem, R R. P P. hâc mentiendi confidentiâ ad inveniendam donec reſponſum fuerit fidem nil commodius, at cum reſponſum erit, ad omnem vobis in poſterum fidem abrogandam nihil aptius. Adeò enim certum eſt vos tunc temporis eſſe mentitos, ut ipſi nunc non ægrè agnoſcatis hanc ſententiam eo qui indicatus eſt loco reperiri. Illud etiam mirabilius. Ante duodecim annos *hæc Baunii ſententia ſic deteſtabilis erat, ut niſi in hominem perditæ conſcientiæ non caderet*: nunc eadem ſic innoxia eſt, ut imperitus ac malignus ſit, *qui hanc Baunii opinionem culpet, quæ vulgò in ſcholis non rejiciatur.*

Quàm commodum eſt, Patres, cum iis hominibus rem habere, qui eadem modò affirmant, modò negant. Nam ut illi vincantur non aliunde arma, quàm ex ipſis mutuanda ſunt. Etenim duo mihi demum demonſtranda ſunt: & hanc ſententiam eſſe nefariam; & eandem à Baunio traditam: utrumque mihi ſcripta veſtra conficient. Anno 1644. deteſtabilem eſſe faſſi eſtis: anno 1656. à Baunio traditam fatemini. Satis me quidem duplex illa purgat confeſſio; ſed præſtat ampliùs, reconditam Societatis detegit verſutiam. Quid enim obſecro vobis in iſtis reſpon-

ſis

ſis propoſitum? An ut ſimpliciter ac nudè verum dicatis? Quî poteſt, cùm ſcripta veſtra ſe mutuò perimant? An ut fidei veritatem teneatis? Multò etiam minùs. Deteſtandam enim vobis fatentibus, doctrinam nihilominùs defenditis. Quid igitur? Ad intima veſtra conſilia hæc nos ratio facilè deducet. Cùm hanc ſententiam dixiſtis impiam, ſimul eam negaſtis Baunii eſſe: hoc pacto extra noxam Baunius erat: nunc cùm eam Baunii eſſe datis, ſententiam ipſam non malam eſſe pugnatis; ſic etiam extra noxam Baunius. Itaque cùm Baunii purgatio utrique reſponſioni communis ſit, manifeſtum eſt id unum vos ſecutos eſſe, ſolamque ſodalis veſtri famam ſpectaſſe, cùm eandem ſententiam modò Baunii eſſe, modò non eſſe: modò non rejiciendam, modò deteſtandam eſſe dicatis; non veritate quæ nunquam mutatur, ſed utilitate quæ in horas mutatur, opiniones veſtras metientes.

Vt vos hoc loco poſſem agitare RR. PP.! nam in manifeſto flagitio tenemini; & tamen iſto modo ſæpe peccatis. Omitto cætera: unum, credo, ſatis erit exemplum adjungi. Diverſis temporibus iſtud vobis objectum eſt Baunii dogma: *Etſi pœnitens conſuetudinem peccandi habeat, jurandive, aut aliud quid ſimile admittendi contra legem Dei, naturæ, aut Eccleſiæ, non eſt tamen ei neganda abſolutio, ſi verè eum admiſſorum pœnitet, ac emendandi ſui propoſitum habeat.* Hoc poſito velim ex vobis ſcire, quis meliùs judicio veſtro hanc criminationem retuderit, Pinterelluſne, an Briſacerius, qui Baunium geminâ illâ methodo vobis uſitatâ tuentur? Alter propoſitionem ipſam execratur, ac Baunii non eſſe dejerat: alter Baunii eſſe confitetur, ſed ſanam & innocentem eſſe contendit. Audiamus illos differentes: primus adeò prodeat Pinterellus. *Quid eſt aliud,* inquit, *omnes pudoris metas tranſilire, omnem impudentiam prætergredi, niſi Baunio, quaſi certam ejus ſententiam, tam damnabilem doctrinam affingere? Iſtius indignitatem calumniæ obſecro, Chriſtiane lector, expende; vide quibuſcum Ieſuitæ contendant, ac de-*

 cerne

cerne num tàm nefandæ calumniæ artifex, non ipſius diaboli mendaciorum parentis interpres habendus ſit. Hæc Pinterellus pag. 18. Quid Briſacerius veſter p. 4. p. 21. *Certè*, inquit, *hæc habentur apud Baunium*, (non poterat ſimpliciùs Pinterello mendacium impingere) *at tu* (ſubjungit ille mox Baunium purgaturus) *qui hæc carpis, expecta dum Angelus pænitentis cuſtos pignori opponat pro eo quicquid in cœlo juris habet: expecta dum Deus Pater per caput ſuum juret mentitum eſſe Davidem, cùm ſpiritus ſancti inſtinctu dixit, omnem hominem eſſe mendacem, fallacem, fragilem: expecta dum ille pœnitens non ſit ampliùs mendax, fragilis, mobilis, quemadmodum alii; & ſic ſanguinis Chriſti beneficium nulli conferes.*

Quid vobis judicii eſt, Patres, de illis Briſacerii verbis? Quàm abſurda illa, quàm impia ſunt! *Si expectandum eſſet*, inquit, *donec aliqua eſſet emendationis ſpes, expectandum eſſet dum Deus Pater per caput juraret, non omnem hominem eſſe mendacem.* Nihil igitur ſpes emendationis à certâ emendatione diſtat? Quid contumelioſiùs gratiæ Chriſti, quàm quod hîc Briſacerius aſſerit, ſic Chriſtianos à criminibus quibus Dei, naturæ, & Eccleſiæ legem infringunt, abſtinere non poſſet, ut hoc qui ſperet, ſpiritum ſanctum mendacii arguat, adeòque nemini tributum iri beneficia mortis Chriſti, ſi iis abſolutio negetur in quibus emendationis futuræ ſpes nulla appareat. En quò vos redigat tuendi veſtrorum honoris effrænis cupiditas. Deficit vos non modò veritas, ſed etiam veritatis color; nec jam aliud ad ipſos infamiâ liberandos ſupereſt, niſi apertum mendacium, vel profeſſa impietas. O perditos homines, qui nunquam minùs ſceleratè defendi poſſunt, quàm cum aperto mendacio defenduntur!

Hinc tanta vobis illius defenſionis crebritas eſt: nec tamen aliæ vobis ſolertiæ ſunt. Nunc ad invidiam adverſariis veſtris quærendam ſcriptis fabricatis: cujuſmodi eſt *Epiſtola Miniſtri Calviniſtæ ad Arnaldum*, quam vos per totam urbem callidè ſparſiſtis, ut imperitis perſuaderetur,

librum de *Frequenti Communione* tot Doctorum tot Epiſcoporum ſuffragiis comprobatum, at veſtris dogmatis minùs conſentientem, ſecretâ quâdam inter Arnaldum & Miniſtros Calviniſtas conſenſione compoſitum. Nonnunquam iisdem impios libellos adſcribitis, qualis illa circularis Janſeniſtarum Epiſtola, cujus fraudem malè compactam prodit ridiculus ſtylus, ac ſimul veſtri Meynieri ſcelus indicat, qui calumniis ſuis ex illâ fabulâ p. 2. autoritatem quærit. Quid cùm eodem conſilio libros citatis qui nunquam extitêre, ut *illum de Conſtitutionibus ſancti Sacramenti*, ex quibus deinde loca quædam commemoratis ad libitum ficta, quæ cùm audiunt ſimplices, qui veſtram in fingendis calumniis audaciam ignorant, riget illis præ horrore capillus? Nullum enim intentatum liquiſtis calumniæ genus, ut nulli magis quàm vobis conveniret ejus doctrinæ patrocinium, quæ calumniam criminibus eximit.

At illæ tamen apertiores non ægrè depelluntur: præſto ſunt ergo ſubtiliores aliæ, in quibus nihil nominatim explicatur, ne quid habeat adverſarius quod arripiat aut refellat. Ejuſmodi eſt illa Briſacieri veſtri, qui quodam loco dicit ab adverſariis ſuis *abominanda ſuſcipi ſcelera, quæ ipſe referre non audeat*. Hæc coargui non poſſe quis non putet? Rationem tamen ad illa revincenda excogitavit vir egregius, & ille quidem ex Capucinorum Ordine, RR. Patres, nam illi hodie neſcio quomodò parum vobis propitii ſunt, ut nec propediem, quemadmodum quidem auguror, Benedictini. Nomen illi Capucino Valerianus, ex Comitum de Magnis perilluſtri familiâ. Nunc quo pacto ille veſtras calumnias retuderit, brevi narrabo. Feliciter ille Lantgravium D'Armſtat ad fidem Catholicam traduxerat. At ſocii veſtri quaſi ſupremum Principem ſine operâ ſuâ ab hæreſi revocatum ægriùs ferrent, edito libello (nuſquam enim à calumniis veſtris intacti ſunt boni) eximium illum Capucinum conciderunt, & corrupto per fraudem quodam ejus operum loco, hæreticam ipſi doctrinam

adſcripſerunt, immeritiſſimo quidem; (nam ille Societatem veſtram non impugnarat.) Sparſis etiam adverſus illum litteris iſta jactabant: *Quàm multa habemus de illo homine enuntianda* (nullâ re nominatim expreſsâ) *quæ ipſe ægerrimè feret, ni provideat: ipsâ officii neceſſitate compulſi, de iis & ſummum Pontificem & Cardinales certiores faciemus.*

Non incallidè quidem: itaque non dubito quin multa ejuſmodi de me ſummo Pontifici ac Cardinalibus inſuſurretis. At videte quæſo quid Valerianus in libello Pragæ anno ſuperiore edito reſpondeat pag. 112. & ſeq. *Quâ machinâ,* inquit, *illis detraham autoritatem, qui me atro carbone notarunt? Vndique anguſtiæ: ignoro perſonas; ſatis tamen intelligo viros illos eſſe egregios ardeliones. Tacebone? Scio quid faciam: ſubjiciam viros illos quæſtionibus, & agam in equuleum, quo crucientur in honore, ſi non exprimant effundantque in orbem probra mihi imputata. Huc adeſtote Ardeliones; loquiminor & propalanto ſuper tecta, quæ in aurem dixiſtis, & mentiti eſtis. Sunt qui ſentiant his contentionibus ſcandalizari Catholicos, nedum hæreticos; ipſe ſum in eâdem ſententiâ. Scandalum fuit imputare Capucinis doctrinam hæreticam: ſcandalum eſt conſtituere Valerianum ſub præſumptione violentiſſimâ multorum criminum. Huic ſcandalo occurritur equuleo ſeu torturâ præfatâ.*

Certè, RR. PP. non molli vos brachio iſte Valerianus accipit, nec ullius unquam innocentia patuit liquidiùs. Certè enim vos vel leviſſima criminis umbra defecit, qui nihil adverſus ejuſmodi provocationem muſſitaſtis. Incidunt quidem perſæpe tempora, ut vobis ſatis amaræ moleſtiæ devorandæ ſint; nihilo tamen magis inde ſapitis. Nam non multò pòſt de aliâ re eundem Capucinum invaſiſtis. Ille autem eodem modo vos repreſſit his verbis, p. 151. & 152. *Eſt quoddam genus hominum grave & intolerabile orbi Chriſtiano; viduis verò piis ſpecialiter exitiale; qui prætextu bonorum operum inhiant divitiis & dominationi, prævaricatis in eos fines omnibus pene legibus humanis, divinis, poſitivis,*

vis, & naturalibus; nihilque penſi habent, quoſque ſibi addictiſſimos, quâcunque fulgeant dignitate, involvere ſpe, doctrinis, ac timore; iiſque abuti ad perpetranda iniquiſſima, odibilia, vituperanda & deteſtanda: viduas verò, modò queant, ſpoliant proprietate & uſu rerum ſuarum, & demum redigunt in ſervitutem miſerandam, quæ ſanè ſunt peccata graviſſima, verùm nec punita nec emendata, ſed propagata & coronata, & ubique locorum exercita, velut obſequia Deo præſtita. Ignoro an involvant atheiſmum potiùs quàm hæreſim. Ejuſmodi exempla toto orbe palam recitantur cum ſtupore & execratione univerſali, tametſi pauci queant compeſcere hanc tyrannidem. Illos tamen ego compeſcui non ita pridem, convictos publico meo ſcripto mendacii impudentiſſimi. Quapropter hoc experimento edoctus, has recentiores contumelias diluo eâdem ratione. Ajo, autores illius ſcripti, vobis judicialiter exhibiti, MENTIRI IMPUDENTISSIME. *Si illa, quæ mihi objiciunt tam acerbè, ſunt vera, habent multa tribunalia apud quæ me poſtulent reum; ſin verò non audent me provocare, impudentiſſimum mendacium illis objectum eſto ratum. Hæc ſufficient conteſtandæ meæ innocentiæ, verùm illud genus hominum impatiens levioris moleſtiæ, eas quas nequit propulſare, fert patientiſſimè titulo ſpecioſæ magnanimitatis, rati quòd criminis objectio ſpreta obſoleſcat, ne ſi iraſcare vera videatur. Quapropter volo irritare profundiùs eorum pudorem, ut viri non ſtolidi intelligant patientiam non eſſe virtutem, ſed conſtientiam trepidantem à culpâ, ab infamiâ, à pœnâ.*

Habetis quid ille dicat, boni Patres. Mox ad clauſulam. *Interim ſcitote, inquit, mores gentis illius eſſe tam evidenter iniquos, & impunè practicatos, ut cogar renuntiare Chriſto & Eccleſiæ ſi nolim eos deteſtari; id verò palam, tum ad defenſionem meam, tum etiam ne ſimpliciores ſeducantur. Qui ſecus ſentiunt impertiantur mihi lumen, ſub cujus radio queam de illâ gente bene ſentire ſalvâ fide Chriſtianâ.*

Nullus jam tergiverſandi locus, Patres: prorſus recuſare non poteſtis quin manifeſti calumniatores audiatis;

unumque vobis perfugium ſupereſt, ut calumniam criminum numero ſubducatis. Næ ille acutiſſimè vidit quâ ratione vobis os opprimendum eſſet. Nec aliter certè vobiſcum agendum eſt, quoties homines ſine ullis indiciis accuſatis. Ingerendum vobis illud Capucini, *mentiris impudentiſſimè.* Ecquid enim aliud reſpondendum, cùm Briſacerius veſter adverſarios ſuos *ait eſſe portas inferi, pontifices diaboli, homines fide, ſpe, ac charitate deſertos, qui Antichriſti theſaurum ædificent: quod non conviciandi animo,* inquit, *à me dicitur, ſed vi veritatis extorquetur?* An fortè operoſè cuiquam probandum eſt, nec portam inferi eſſe, nec à ſe theſaurum Antichriſti ædificari?

An porrò aliâ ratione confutandæ ſunt vagæ illæ libellorum aut admonitionum veſtrarum calumniæ: *Ianſenianos ad uſus ſuos reſtitutiones convertere, creditoribus ad paupertatem ſic redactis: argenti ſaccula eruditis Religioſis oblata, & ab iiſdem repudiata: beneficia quibuſdam conferri ut hæreſes diſſeminent: eſſe inter ordinis eccleſiaſtici primores, imò in ſupremis curiis, qui penſiones à Ianſenianis accipiant: me quoque penſione emptum; ac priorem ætatem in contexendis fabulis, quas Romanos vocant, contriviſſe*; quamvis nullas unquam ejuſmodi fabulas legerim, & ne quidem earum quas Apologiſta veſter compoſuiſſe perhibetur, nomina cognoſcam. Ad hæc omnia quid aliud opponendum, niſi *mentiri vos impudentiſſimè*; ſi non iſtarum fabularum tempus, locum, perſonas, ac cætera denique ſigillatim recenſeatis. Aut enim tacendum eſt, Patres, aut minutatim ſingula narranda ſunt. Quin vos de me exemplum ſumitis? Quin attenditis ut in Joannis Albani ac Patris Albii narratiunculis nihil omiſerim? Aliter nobis nihil nocueritis, vobis multùm. Antequam doctrina veſtra pervulgaretur, aliqua ex iſtis fabulis capi poterat utilitas: at hâc retectâ, cùm alicui in aures immurmurabitis, *horrenda quædam vos iſtorum flagitia de viro honeſto qui nomen ſuum taceri cupiat, cognoviſſe,* continuò boni illius Capucini *mentiris impudentiſſimè* vobis in memoriam redigetur.

Diutiùs omnino quàm par erat populo impoſuiſtis, Patres: diutiùs credulis hominum mentibus veſtris mendaciis illuſiſtis. Nunc eſt cùm illis reſtitui fama oporteat, quibus maledictis veſtris erepta eſt. Nam quæ tanta, tam omnibus perſpecta integritas, ut nihil ipſius exiſtimationi detrahant veſtræ calumniæ, quas toto orbe diſperſa Societas toto orbe diſpergit. Quis igitur mihi vitio vertat, quòd eâ vos quæ apud multos vobis manſerat, fide ſpoliaverim, nec illi pepercerim ſocietati, quæ ſub Religioſo habitu tam irreligioſos obtegit animos, ut in eâ paſſim calumnia vigeat, ipſius non oppugnata, ſed confirmata & ſancita decretis? Utrum juſtius tandem, eâ vos quam retinere non meremini, ſinceritatis opinione potiri? an illis quos indigniſſimis modis infamaſtis, quam amittere non merentur, pietatis opinionem reddi? Alterum cùm ſine altero præſtari non poſſet, multùm attinuit mores veſtros ante omnium oculos expandi; quod à me in hac Epiſtolâ informatum eſt; ſed perfici niſi multo tempore non poteſt. Expandentur, Patres, ne dubitate: nec hoc à vobis ullæ artes, ulla politica ſolertia defendet. Ipſa enim contentio, quâ mihi loquendi libertatem eripere nitemini, certo vel tardiſſimis indicio erunt pertimuiſſe vos, & conſcientiæ actos ſtimulis crimina quæ vobis objecturus eram agnoſcentes, quidvis ne illa vulgarentur eſſe molitos.

IN EPISTOLAM DECIMAM-QUINTAM NOTA PRIMA.

Jeſuitarum circa calumniam doctrina falſa, erronea, hæretica.

§. 1.

Refellitur ex principiis ſuprapoſitis.

Hæc Epiſtola duabus quaſi partibus conſtat; prima Jeſuitarum de calumniâ doctrinam explicat: altera calumniæ praxim apud Jeſuitas eſſe frequentiſſimam docet. Primam partem, quâ calumnia peccatorum numero à Jeſuitis exempta demonſtratur, penè totam omittit ipſorum Apologiſta, tam flagitioſæ doctrinæ invidiam reformidans: hanc tamen ſolito Societatis genio cùm defendere non auderet, damnare refûgit; hunc locum callidè quaſi ſcopuloſum & difficilem prætervectus.

At ille novus Caſuiſtarum Apologiſta audacior factus, omniáque jam Jeſuitis licere ratus, Dicaſtilli doctrinam apertè probabilem ſpeculativè, id eſt per ſe ſpectatam, eſſe defendit. Eandem etiam in praxi approbat coram judicibus; ſed aliis locis propter ea quæ ex hâc oriuntur incommoda, in eâ approbandâ balbutit.

Hic primùm antequam ad illum alterum nugatorem veniamus, nobis repellendus eſt, quod ſuprapoſita principia facile nobis & promptum efficiunt. In iiſdem enim hærent vitiis Jeſuitæ, divinumque de calumniâ præceptum eâdem audaciâ labefactant, quâ modò legem Dei de homicidio attentatam ab ipſis oſtendimus.

Scripturæ autoritas adverſus ipſos non minùs aperta eſt. Nil enim clarius hoc Decalogi præcepto: *Non falſum teſtimonium dices.* Nil clarius Paulino oraculo: *Neque maledici regnum Dei poſſidebunt.* Has Dei leges ſimplices, generales, ſimpliciter accipiunt Patres, & omnes generatim calumnias ſine delectu iis afficiunt pœnis, quas nonniſi peccatorum mortalium graviſſimis ſolent infligere. *De his qui falſò accuſant fratres*, inquit I. Arelatenſe Concilium c. 14. *placuit eos uſque ad exitum non communicare.*

Carthaginienſi 4. c. 55. ſancitur, ut *Epiſcopus accuſatores fratrum excommunicet. Et ſi emendaverint vitium, recipiat eos ad communionem, non ad Clerum.*

Arelatenſi 2. ſtatuitur can. 24. *Eos qui falſa fratribus capitula objeciſſe convicti fuerint, uſque ad exitum non communicare, ſicut magna ſynodus ante conſtituit.*

Epaonenſi c. 13. *Vt ſi quis Clericus in falſo teſtimonio convictus fuerit, reus capitalis criminis cenſeatur.*

Matiſconenſe I. ita loquitur c. 18. *De his verò qui innocentes aut Principi aut judicibus accuſare convicti fuerint, ſi Clericus honoratior fuerit,*

fuerit, ab officii ſui ordine degradetur: ſi verò ſecularis, communione privetur, donec malum quod admiſit per publicam pœnitentiam dignâ ſatisfactione componat. Innocentium autem nomine eos qui criminis cujus accuſantur affines non ſunt, intelligi palam eſt.

Hadriani Papæ capitulo 50. decernitur, ut *qui in alterius famam in publico ſcripturam aut verba contumelioſa confinxerint, & repertus ſcripta non probaverit, flagelletur, & qui ea primus invenerit, rumpat, ſi non vult autoris facti cauſam incurrere.* Idem cap. 62. *Si quis Epiſcopum, aut Presbyterum, aut Diaconum falſis criminibus appetierit, & probare non potuerit; nec in fine danda ei Communio.* Et 63. *Si qui inventi fuerint libros famoſos legere, vel cantare, excommunicentur.*

Poſtremò Concilium Duziacenſe II. anno 874. celebratum, luculenter item calumniatores ſine delectu proſcribit can. 2. *Unde ſacræ leges, quibus unà cum ſanctis regulis ſancta moderatur Eccleſia, dicunt: Calumniatores ſunt qui falſa deferentes contra cujuſcumque innocentis perſonam, principum animos ad iracundiam commovere præſumunt, qui omnes* INFAMES *effecti in exilio detrudentur.* Et item: *Non eſt ratio qua manifeſti calumniatoris ſupplicium differatur. Nec enim patimur frequentia iterari, quæ conſiſtere prima accuſatione nequiverunt, atque alienam innocentiam ſecuritatemque ſine crimine damnabili appetitione terreri.* Et item: *Quicumque Scripturam in audientiam protulerit, veritatem ejus probare jubeatur, quia hoc in omnibus cauſis ſtatutum eſt, ut Scripturam prolator affirmet. Nam ſi is qui Scripturam protulit, ejus non aſtruxerit veritatem, ut falſitatis reum eſſe retinendum.*

Exoriuntur decimo-ſexto Eccleſiæ ſeculo Jeſuitæ, qui nullâ, ne tenuiſſimâ quidem freti Traditionis autoritate, ingentem huic præcepto labem inauditâ exceptione faciant, & calumniam cùm calumniæ rependitur, nonniſi venialem eſſe doceant. Quærimus ab illis unde iſtam exceptionem petant? Quem è Patribus ejus autorem & ſuffragatorem afferant? Nullum afferunt, ratiunculam ſolùm in ore habent quam mox expendemus. Verùm illâ nec auditâ nec excuſſâ, damnari in anteceſſum flagitii, erroris, imò hæreſeos meritò poſſunt & debent. Actum eſt enim penitus de Chriſtianâ diſciplina, & de tota Religione, ſi adverſus Dei leges generales, inauditas toti antiquitati exceptiones licet poſt ſexdecim ſecula confingere. Qui hoc audent, ne auſcultandi quidem ſunt. Certiſſimas enim vel ipſa inceptio præfert falſitatis notas. Quarè quòd illam ratiunculam paucis excutere nobis propoſitum eſt, non hoc Jeſuitis debitum præſtabimus, ſed lectoribus, quibus expedit noſſe quàm frivola & indigna cavillatione ſanctiſſimum Dei præceptum eludere, & maxima ex parte fruſtrari perverſa iſtorum Caſuiſtarum calliditas attentet.

§. 2.

Confutatur argumentum Ieſuitarum, quo calumniam à crimine defendunt.

Tangit hoc argumentum Apologiſta Caſuiſtarum pag. 129. cùm ſic loquitur: *Oſtendant*, inquit, *Ianſeniſtæ eum qui injuſtè famam alterius lædit, jus in ſuam famam retinere.* Hoc alii latiùs explicant, ſed ferè ad eandem ſummam redeunt; nempe: calumniatori falſum crimen impingi injuſtum non eſt, quia jus non habet in ſuam famam: ergo cùm ejus falſo crimine eliditur fama, nihil ipſi injuriæ fit: ſi autem nihil injuriæ fiat, ſequitur hanc calumniam eatenus tantùm malam eſſe, quia falſa eſt: at mendacium ſine injuſtitia eſt tantùm peccatum veniale. Ergo tunc calumnia venialis eſt.

Ne longè abeamus, & cæteras hujus argumenti fallacias perſequamur. Primum illud caput unde cætera derivantur, apertè falſum eſt: falſum eſt, inquam, calumniatorem & cujuslibet criminis reum non habere jus ut adulter non dicatur, ſi non ſit adulter: falſum eſt caſtitatis famam juſtè ipſi eripi poſſe ſi caſtus eſt, quodcunque demum aliunde ſcelus ſuſceperit. Ratio in promptu eſt. Cùm enim apud Deum adulterii innocens ſit, cùm hoc ipſi teſtimonium veritas ferat, prorſus juſtum eſſe non poteſt, ut apud homines amittat, quod apud Deum non amiſit. Meretur ergo ut calumniator audiat, quia calumniator eſt: ut adulter audiat non meretur, quia non eſt adulter. Prorſus enim injuſtum eſt omne judicium quod à veritate damnatur, cùm eadem ſit juſtitia quæ veritas. Quamobrem qui calumniam calumnia repellit, ſcelere ſcelus ulciſcitur; nec minùs in noxa eſt, quàm ſi quis adulterium adulterio vindicaret. Poteſt quidem ex adjunctis creſcere ejus ſcelus, qui bono viro calumniam impingit: ſed tamen proprium calumniæ crimen ſuſcipitur ab omnibus, qui falſum crimen in alium congerunt.

Ex his omnibus cerni licet quàm verè ac juſtè Facultas Theologica Lovanienſis hanc propoſitionem Jeſuitarum: *Probabile eſt non peccare mortaliter, qui imponit falſum crimen, ut ſuam juſtitiam & honorem defendat; & ſi non ſit probabile, vix ulla opinio erit probabilis in Theologia*: hac cenſura inuſſit: *Ne umbram quidem præfert probabilitatis; ſed cumulum complet temeritatis, ſpatioſam calumniatoribus portam aperiens.*

Hoc ipſo verò quo omnem huic ſententiæ probabilitatem adimit, hoc ipſo gravem & pernitioſum errorem eſſe profitetur: imò qui eam ſententiam hæreſim vocet, nihil errabit, cùm apertè à ſcripturâ ſacra, & Traditionis conſenſu in re maximi momenti diſſideat. Nec refert quòd iſta non ad mores potiùs, quàm ad aliquod myſterium pertineat. Morum enim præcepta divinitus revelata, non minùs fide tenenda ſunt, quàm ſpeculativa fidei dogmata. De quo præclarè Petrus Cantor verbi abbreviati cap. 80. *Duo ſunt neceſſaria ad ſalutem: via fidei, & lux morum: ſi ergo parum deviantem à via fidei vocamus hæreticum, & increpamus dicentes eum non eſſe in via, ſed extra;*

quare

quarè & ſimiliter recedentem in modico à luce moralium præceptorum non arguimus, objicientes ei quod jam non ſit in luce, ſed tenebris; non ſobrius, ſed ebrius, ſobrietatem vitæ exced ns? Cùm etiam fides ex quibuſdam cellulis parvis locis ſc. ſacræ Scripturæ, & ſub obſcuris ſit elicita, in quarum cellularum expoſitione deviaretur de facili, ſi aliter addendo, vel minuendo, vel remittendo quàm nobis traditum eſt & expoſitum à ſanctis, exponerentur & interpretarentur: cur in luce morum ſimiliter neceſſariâ ſaluti, nobiſque traditâ in luce & manifeſtatione verborum, licet nobis ſine errore notabili afferre noſtram expoſitionem, qualitercunque eam remittentem & obſcurantem, tenoréque ſuo privantem? Et paulò pòſt. *Ex hâc cellula verborum; Hoc eſt corpus meum; elicitur fides de corpore Chriſti habita: ſi hoc ut Manichæus exponens, ſcilicet hoc eſt corpus meum, id eſt, quædam repræſentatio corporis mei, & non aliud; vel in hunc modum aliter exponendo quàm teneat fides catholica, ſtatim deviares. Ita videtur eſſe in mandatis morum, quæ quidem facilia ſunt, & nulla expoſitione indigent, ſi implerentur in opere, quæ etiam impleri debere quaſi de articulis fidei eſt. Fides enim eſt, quia fit quod dicitur. Et Auguſtinus ſuper illum locum: Credidi propter quod locutus ſum, ait: Fidelis ſervus eſt, qui quod accepit impendit & lucratur; qui ſcilicet loquitur & operatur veritatem quam credit, ut iſte qui ait: Credidi propter quod locutus ſum; qui non tantùm credidit cætera quæ fides exigit articulo fidei, ſed & ſimul cum illis credidit quod præmium deberet expectare & ſperare loquendo, operando: & quam pœnam tacendo, vel mandata omittendo.* Et illuſtriùs adhuc S. Thomas certos eſſe hæreticos docet qui dicunt non eſſe peccatum quod eſt contra præceptum Dei. *Dicere,* inquit quodl. 3. art 12. *quòd illi qui voto vel juramento ſunt obligati ad intrandum religionem, non teneantur intrare, ſit manifeſtè hæreticum. Quicunque enim dicit non eſſe peccatum id quod eſt contra præceptum Dei, hæreticus judicatur. Sicut hæreticus judicaretur quicunque diceret, quòd fornicatio ſimpliciter non ſit peccatum; eſt enim contra hoc præceptum, non mœchaberis, ut ſancti exponunt.* Ubi obiter nota quòd jam ſupra docuimus, hæreſim eſſe à communi Patrum in aliquo præcepto interpretando ſententiâ recedere.

§. 3.

Retorquentur Caſuiſtarum Apologiſtæ cavillationes duæ. Repellitur prima quæ calumniæ ſuſpicionem à Ieſuitis dimovet.

Hâc de calumniâ doctrinâ tot Jeſuitarum teſtimoniis, ex præcipuis iſtorum ſcriptoribus petitis ſic conſtabilitâ, ut nec Jeſuitarum Apologiſta, nec ille novus Caſuiſtarum, quid contrà dicerent prorſus habuerint, vidit ille recentior quàm plauſibilis inde ſuſpicio in hominum animis exoriretur, iſtos calumniæ doctores & patronos nonnunquam ſuis parêre præceptis, nec calumniam eodem quo cæteri ſtudio declinare. Hanc ſuſpicionem duobus argumentis ſtuduit amoliri; quorum alterum Jeſuitas purgat; alterum etiam calumniæ crimen in ipſorum adverſarios retorquet.

Prius

Prius ejuſmodi eſt. *Negant Ieſuitæ ne ſi totus quidem mundus ab interitu eripiendus eſſet, peccatum veniale admittendum eſſe: at calumnia ſaltem eſt ipſis peccatum veniale: ergo eam vitandam putant: ergo non calumniantur.* Metuo ut quiſquam qui Jeſuitas ſatis norit, huic multùm argumento confidat. Sed ſit ipſis etiam venialia peccata fugere propoſitum; tamen aliâ cautione venialia, aliâ mortifera peccata vitantur: non ita, credo, fugiunt otioſum verbum, immoderatum riſum, ut adulterium ac perjurium. Mirum enim quantùm ipſa cogitatio qua venialem aliquam culpam putes, animi intentionem ad illam fugiendam vigilantis imminuat. Non igitur perverſè de Ieſuitis ſentit, qui cùm videat ab ipſis calumnias non alio loco haberi quàm otioſa verba, metuit ne ſicut in ſermones otioſos, ſic item in calumniam frequenter incidant.

Verùm nullus hîc ſuſpicionibus locus: patent ipſorum calumniæ, in oculos incurrunt, ab omnibus palpantur; quæritur ſolùm unde prodeant? Quæritur probante an improbante conſcientia calumnientur? Hîc quis non videat benigniſſimè de illis ſentire Montaltium, qui deprehenſo illo ipſorum dogmate, quo calumniam criminum numero ſubducunt, conſcientia potiùs non repugnante quàm repugnante, ipſos dixerit calumniari. Majus enim profectò peccatum eſt, quod fit contra conſcientiæ judicium.

Deinde tanta calumniandi facilitas, quantam patet Ieſuitis ineſſe, conſentientem mentem arguit, non renitentem: nec enim tam facile, nec tam frequenter fit quod fit conſcientia tanquam adverſus lethale flagitium reluctante.

Quin ſi opus ſit omnem omnino conſcientiæ ſcrupulum evelli, non deſunt Ieſuitis artes quibus etiam veniale peccatum à calumnia dimoveant, ut jam nullus ſuperſit conſcientiæ morſus. Quid enim in hoc negotii eſt? Non læditur, ex illorum decretis, juſtitia, cùm calumnia calumniam elidimus: in ſolam peccatur veritatem, ſed venialiter. Ergo ſi placari poſſit hic ſcrupulus, nulla ſupererit peccati formido.

Hoc autem nil facilius eſt ex Ieſuitica diſciplina. Advocanda enim tantùm reſtrictionum mentalium ſolertia, quas adhibere toties licet, quoties ſine injuſtitia poſſunt adhiberi: nulla autem ipſis autoribus injuſtitia hîc metuenda eſt. Ita ſi Jeſuitis aliquam mulierem, quam Societati ſuæ infenſam putent, infamari neceſſe ſit, adulteram ſine ſcrupulo poſſunt dicere; nec hâc calumniâ vel juſtitiam lædent, vel veritatem: juſtitiam non lædent, quia calumniam calumniæ rependunt; veritatem, quia reſtrictione mentali tropicè tantùm non propriè adulteram eſſe cogitabunt, quatenus in ſe adulterii fontem, concupiſcentiæ ſcilicet fomitem habet; vel quatenus Jacobo omnis amator mundi adulter eſt: ſic nimirum probabilitas probabilitatem juvat & perficit.

§. 4.

§. 4.

Altera cavillatio : oſtenditurque etiam in veraces Societatis ſuæ accuſatores calumniandi licentiam Ieſuitas ſibi arrogare.

Alterum argumentum ita contexit Apologiſta : *Ex Ieſuitarum doctrina tunc demum calumnia crimen non eſt, cum ad elidendam calumniatorum famam adhibetur : at, fatentibus adverſariis, veniales tantum putant Ieſuitæ quas de Ianſenii defenſoribus calumnias ſpargunt : ergo aut Ieſuitæ non calumniantur, aut Ianſeniſtæ ſua ipſi confeſſione calumniatores habendi ſunt.* Sed diſſimulare non debuerat Caſuiſtarum Apologiſta, huic cavillationi occurriſſe Montaltium, & uno verbo illam præfocaſſe. *Facilè*, inquit, *cuique perſuadet amor ſui, injuſtè ſe ab aliis peti ; ſed nulli faciliùs quàm Ieſuitis, quos tantus ſui amor occæcat, ut eam de ſe opinionem haberi velint, tantùm de honore Eccleſiæ detrahi, quantum de Societatis gloriâ detrahitur.*

Ergo ut Jeſuitæ licitam ſibi in adverſarios ſuos calumniam putent, non neceſſe eſt iſtos calumniæ reos eſſe : ſufficit enim ut hoc præ cœcitate putent Jeſuitæ ; aut ſaltem ut ſe, ſi minùs falſò, certè injuſtè credant ab illis accuſari. Hoc verò quis dubitet præ cœco ſui amore Jeſuitis eſſe perſuaſum ? Si quis illos in verâ Theologiâ hoſpites dicat, calumniari exiſtimant ; quia doctrinæ ſuæ non minimam opinionem habent. Si quis ab illis mores Chriſtianorum infici dicat, calumniam ſibi inferri queruntur ; quia abſurdiſſimas quaſque ſententias pro ſanctis inſtitutis habent. Poſtremò quàmlibet vera agnoſcant eſſe quæ in ſe conferuntur ; tamen hæc à ſe rentur ſine crimine negari poſſe, & mendacii crimen in accuſatores ſuos conferri ; quia hæc injuſtè in vulgus ſpargi ſibi perſuaſerunt ; cùm inde minuatur gloria Societatis. Nec jus illud ſuum diſſimulant, ſed omnibus cognitum volunt. Ecce enim quàm ingenuè Caſuiſtarum Apologiſta p. 129. *Multi Theologi & Canoniſtæ docent eum qui criminis verè quidem à ſe commiſſi, ſed tamen injuſtè inſimulatur, poſſe accuſatorem ſuum mendacii arguere, & impudentiſſimum calumniatorem appellare.*

Quamobrem nemo jam miretur cur ſingulis penè verſibus calumniæ, impoſturæ, fraudis, mendacii crimen impingat Montaltio Jeſuitarum Apologiſta. Non tam ſtultus eſt ille ut ſuorum doctrinam ſummâ cum fide à Montaltio repræſentari non intelligat. Quamobrem alter ille Caſuiſtarum Patronus ſimpliciter in omnibus ferè capitibus agnoſcit ita ſentire Caſuiſtas, quemadmodum ipſos ſentire dixit Montaltius. Sed crebra illa *Impoſturarum* mentio ad illudendos imperitos non erat inutilis. Hinc illa larva ad tempus aſſumpta: impoſturæ millies accuſatus Montaltius, idque ſine ullo conſcientiæ morſu, omnibus illius ſtimulis ſupradicto Jeſuitarum decreto diſcuſſis : VERIDICUM, AT INJUSTUM ACCUSATOREM, MENDACEM ET CALUMNIATOREM APPELLARE FAS ESTO.

Sic

Sic illis calumnia & mendacium ſimul arma ſuppeditant, & quibus ſe tueantur, & quibus ulciſcantur inimicos. Objecta ſibi crimina quàmlibet certa & ſibi cognita fidentiſſimè negant, ultroque calumniæ accuſatores ſuos poſtulant: deinde aliis ipſos ad libitum fictis criminibus onerant, & in ipſos innumera calumniatorum ora diſtringunt. Hoc tanto tot conjuratorum hominum ad infamandos adverſarios ſuos impetu, quæ non obruatur innocentia? Quæ non ſaltem formidine perculſa reſiliat, ac placatos malit habere Jeſuitas, quàm fruſtra cum valentioribus confligere? Hinc fit ut cùm plurimis Societatis vitia perſpecta & exoſa ſint; pauci tamen audeant cum tanto corpore pugnare; ſingularique Dei nutu factum arbitror; ut potentia ſua elatior hoc ſeculo facta Societas, homines impavidos ſine cauſa laceſſierit, qui cùm ab hominibus nec ſperent quicquam nec metuant, Societatis labes ante orbis chriſtiani oculos expanderunt. His quantùm omnes debeant, gratior poſteritas aliquando fatebitur.

Nota II.

Exempla calumniæ Ieſuiticæ à Montaltio commemorata fraudulenter excuſari ab Apologiſta.

Non erit inutile hîc excutere quid reſpondeat Apologiſta ad illam Pinterelli & Cauſſini apertiſſimam calumniam, quâ negant & dejerant in Baunio reperiri quod tamen in illo extare ipſe Apologiſta confitetur. Ex hac enim reſponſione mirum quàm Jeſuiticum ingenium eluceat. Videri licuit in vocibus Cauſſini & Pinterelli à Montaltio relatis, quàm aſſeveranter affirment in Baunio nullum hujus ſententiæ eſſe veſtigium: *Occaſiones primò & per ſe quæri poſſe ob noſtrum vel proximi bonum ſpirituale vel temporale*: & tamen hæc ſententia totidem verbis apud Baunium invenitur eo qui indicatus eſt loco, è Baſilio quidem Pontio petita, ſed Baunio his verbis probata: *Baſilii*, inquit, *ſententiæ libens ſubſcribo*. Itaque jam non negat Apologiſta Baſilio aſſentire Baunium. Quo pacto igitur Cauſſinum & Pinterellum à turpiſſimo maniſeſtiſſimoque mendacio, ab infanda calumnia liberabit? Quid ad illas furioſas Pinterelli voces afferet: *Totum Baunii perlege librum, nec notam, nec veſtigium iſtius calumniæ reperies. Non ita, Arnalde; Dei cura Eccleſia deſerta eſt, ut tam nefandæ doctrinæ magiſtros habeat, ut te audire cogatur omnium Sycophantarum perditiſſimum?*

Difficilis locus, & dignus Jeſuitica ſolertia. Audiamus Apologiſtam. *Non ſunt*, inquit, *Baunii hæc verba, primò & per ſe*. Jam hoc nugari eſt: *ſunt enim Baſilii, cujus ſententiæ his vocibus ſubjectæ libens ſubſcribit Baunius, ut tu fateris*. Quid poſtea? *Hæc verba*, inquit, *duplicem ſenſum habere poſſunt; primò, ut proximæ peccandi occaſiones quærantur gravi de cauſa, cum ſpe cæleſtis auxilii; hoc ſenſu Baunii ſunt: alterò ut quærantur per ſe levibus de cauſis & temerè; hoc cenſu Baunii non ſunt, & qui hunc ſenſum Baunio tribuit, meritò à Cauſſino dicitur dæmone deterior*. Quid ais hominum homo ineptiſſime? Quo ſenſu ſit in Baunio non quæritur; utrùm ille locus in Baunio ſit, &

à Baunio

à Baunio probetur, illud quæritur. Dixerat ſimpliciter qui Moralem Jeſuitarum diſciplinam in unum libellum congeſſerat, ex Baunii doctrina *licitum eſſe occaſiones proximas peccandi primò & per ſe quærere &c.* nullum ſenſum attulerat. Quid ibi Cauſſinus, quid Pinterellus? An aliquo ſenſu hanc ſententiam Baunii eſſe confitentur, alio non eſſe? Neutiquam: ſimpliciter & abſolute ne veſtigium quidem illius in Baunio reperiri pervicaciſſimè aſſerunt. Exoreris duodecim poſt annis, qui ut ſociorum tuorum mendacium obtegas, ideò negatum ab illis dicis, hanc ſententiam apud Baunium extare, quia bono ſenſu apud illum accipitur. Non vides turpiſſimo mendacio turpiorem eſſe æquivocationem illam quâ uſos ſocios tuos fingis. Hæc igitur Jeſuitica ſinceritas eſt, cùm ipſis nefanda ſuorum loca exprobrantur, ſi quem excogitare ſenſum poſſint, quo ab illis intellecta non putent, hac reſtrictione mentali in animo abſtruſâ fidenter poſteà & cum execratione jurant, iſtorum locorum ne veſtigium quidem in omnibus ſuorum ſcriptis reperiri; & qui ea in illorum ſcriptis inveniſſe ſe dixerint, ſycophantarum omnium nequiſſimos, & ipſo dæmone deteriores eſſe.

Gratulor tamen Apologiſtæ quòd tam præclarum reſtrictionum mentalium uſum detexerit. Jam intelligi licet quo ſenſu tot Impoſturas Montaltio tribuat: fingit videlicet ſibi in mente abſurdum aliquem iſtorum locorum ſenſum; mox aſſeveranter alienas Jeſuitis ſententias aſcribi clamitat. Verùm ſi ad placandam Jeſuitæ conſcientiam iſta ſufficiunt, ad mitigandam hominum offenſionem non ſufficiunt, & quicquid demum garriat Apologiſta, non minùs apertè mentitus exiſtimabitur Cauſſinus, non minùs Pinterellus, qui ne veſtigium quidem ejus ſententiæ in Baunio extare dixerint, quæ apud Baunium verbis diſertiſſimis extat.

Ergo peſſimè à Cauſſino & Pinterello dimovet calumniæ labem; ſed Baunium etiam infeliciùs purgat. Baunii ſententia Baſilio ſubſcribentis eſt: *Occaſiones proximas quæri poſſe ob bonum ſpirituale vel temporale noſtrum vel proximi.* Quid autem Baunio occaſio proxima? Eam ipſemet ita definit: *Quæ ex genere ſuo talis eſt, ut frequenter homines ſimilis conditionis ad mortale inducat, & experimento conſtat talem effectum in iis habere ut plurimùm.* Planum id omnino, & tamen ne quid omnino dubitationis ſupereſſet, certo caſu à Baunio & Caſuiſtis quod ſequitur, illa ſententia circumſcribitur; nempe *utrùm liceat ſingulis lupanar ingredi, ad odium peccati ingenerandum meretricibus, etſi metus ſit, & verò etiam veriſimilitudo non parva eos peccaturos, eò quòd malo ſuo ſæpe experti ſint blandis muliercularum ſermonibus & illecebris flecti ſolitos ad libidinem.* En quid Baunius ſentiat cum Baſilio: en quid defendendum habeat Apologiſta: en illam quam negat in ſcholis rejici ſententiam: en quam dicit à Montaltio imperitè rejici. Quid affert igitur ad illius horrorem minuendum? *Fecit,* inquit, *hoc Iuditha: fecit Ambroſius: fecit quidam ſolitarius à D. Andillio in vitis Eremitarum commemoratus.* O projectæ audaciæ, & nullius planè frontis hominem! Itane hoc fecit Ambroſius? Itane in lupanar ingredi non metuit blandis muliercularum ſermonibus

ad

ad libidinem flecti ſolitus? Ecquid non te tantæ in tantum virum contumeliæ pudet? Pudeat ſaltem tam ſupinæ craſſæque inſcitiæ, qui intelligere non potueris hujuſmodi occaſiones Ambroſio, Judithæ, vel illi ſolitario remotiſſimas, imò penè nullas fuiſſe; quia eam caſtitatis gratiam divinitus erant adepti, eos Dei experiebantur inſtinctus, ut non temerè in has ſe occaſiones darent: at tui Caſuiſtæ iis idem permittunt, quibus iſtæ occaſiones verè proximæ ſunt, qui malo ſuo ſæpe experti ſunt blandis ſe muliercularum verbis ad libidinem flecti ſolitos. An hoc eſt mendacia purgare, mendacia mendaciis, fraude, impietate cumulare? Non eſſe hæc in Baunio, mendacium eſt Cauſſini & Pintcrelli: bono ſenſu eſſe, mendacium, fraus, impietas Apologiſtæ.

Nota III.

Retunditur delicata Ieſuitarum querela, qui ſe duriùs habitos dictitant, quòd illos impudentiſſimè mentiri dixerit Montaltius.

Quæ modò dixi de proximo Baunii loco, hæc rogo, lector ad alterum item transferat, de quo diſſident inter ſe ambo Ieſuitæ Briſacerius & Pintercllus, quos item ſimili æquivocatione conciliare fruſtra nititur Apologiſta.

At quod duriùs & inhumaniùs, & præter Gallicam comitatem habitos à Montaltio ſocios ſuos dicat, quòd in illos hoc Patris Valeriani telum, MENTIRIS IMPUDENTISSIME, conjecerit; impudentiſſima mihi viſa eſt iſtorum hominum teneritudo. An cùm Ieſuitæ in catholicos Theologos fanda & infanda congerant; cùm hæreſeos ipſos, imò atheïſmi reos agant; cùm ipſis nefarios errores ſine judicio, ſine ullo veri vel tenuiſſimo colore affingant; cùm quotidie nova crimina, novos rumores pro libito comminiſcantur; an hæc, inquam, tam abſurda ſimul & tam crudelia maledicta vel taceri oportuit, vel ſtudioſè refelli? Scilicet quotidie Ieſuitarum maledicentia hunc laborem bonis viris afferet, ut immanes, ſed communi ſenſu alienas illorum calumnias longis voluminibus retundant? Quanquam quid prodeſt illorum mendacia coarguere, cùm obtritas millies impoſturas eâdem audaciâ primo quoque tempore rurſus occinant? Quid profuit toties illas de lege veteri, de gratiâ impediente, de Eccleſiæ defectu, de Concilio Tridentino, de cæde ſuiipſius, de motu interiore ſequendo, pulcherrimis operibus contriviſſe calumnias? Idcircone minùs illas paſſim decantat Ieſuiticus Apologiſta? Nunquam hoc pacto iſtos homines ad ſilentium adigas; promptior, brevior, expeditior Patris Valeriani via, qui hoc verbulo rem abſolvit, *mentiris impudentiſſimè*. Eandem mihi viam ad refellendas quas plenâ manu congerit Caſuiſtarum Apologiſta calumnias, præcipit Montaltius meus. Certè non aliter refelli merentur tam immanes, tam ſtultæ & abſurdæ. Legat quæſo lector brevem hunc quem hîc illarum inſerimus catalogum, judicetque utrùm quis unquam furioſius ſimul ac mendacius ſcripſerit.

Catalogus calumniarum novi Caſuiſtarum Apologiſtæ.

PAg. 5. ait adverſarios ſuos docere, ad merendum & demerendum non eſſe neceſſariam libertatem & immunitatem à coactione.

Pag. 6. Exteriorum legum nullam ex ipſorum ſententiâ rationem habendam.

Pag. 8. Motus indeliberatos eſſe ex ipſis peccata mortalia.

Ibid. Quandam fœminam, cùm adulteria confiteretur, dicere ſolitam: toties mihi defuit gratia.

Pag. 13. Conſilium Arnaldo eſſe Confeſſionem auricularem abrogare.

Pag. 16. Ab eodem generalius Tridentino Concilium turpiter poſtulari.

Pag. 28. Sub prætextu eleemoſynarum, pecunias ab ipſis adverſus Eccleſiam congeri.

Pag. 38. Fateri ſcriptorem Litterarum eſſe ſe Theologiæ rudem.

Pag. 39. Quinque damnatas propoſitiones ab iis nihilominus defendi.

Pag. 45. Sancti Cygirani Abbatem totius Eccleſiæ emendandæ curam ſibi mandatam divinitus aſſeruiſſe.

Pag 48. Suadere illos ſervis ſuis ut à Confeſſione abſtineant, & ne ſacrum diebus feſtis audiant.

Pag. 57. Judæ illos agi ſpiritu; & ſub pauperum prætextu corrogandis opibus ſtudere meritò & evidentibus de cauſis multos ſuſpicari.

Pag. 73. Multi graviſſimis rationibus adducti conjiciunt conſilium ipſis eſſe abolendæ tum Euchariſtiæ, tum pœnitentiæ.

Pag. 73. Perſpicuè patet ex illorum libris propoſitum ipſis eſſe, Miſſæ ſacrificium & Euchariſtiam abolere.

Pag. 74. Metuendum eſſe ne ſacerdotum cœlibatum Lutheri exemplo velint deſtruere.

Pag. 74. Abhorret Portus Regius à multarum celebratione Miſſarum.

Pag. 76. Mira Janſeniſtarum ſolertia eſt, ad colligendas in ſectæ ſuæ ſumptus pecunias, & Calvini artibus notior: ego privatim ſtupendas illorum calliditates didici.

Pag 76. Nullus in hoc ipſorum Rectore ſolertior, cui ſi pecunia & lautæ cœnæ deeſſent, brevi idem quod Miniſter quidam Calviniſta ſuis ediceret; qui cùm egeret argento, populo denuntiavit ut penſionem ſolverent: ni faciatis, inquit, moriar ſi hìc aſinum agere diutiùs ſuſtineam.

Pag. 80. Scimus à Janſenianis irrideri vota.

Pag 89. Amiciſſimi ſunt Theodori Bezæ.

Pag. 123. Omnes juriſconſultos, Canoniſtas, totamque ſancti Thomæ ſcholam irrident.

Pag. 131. Deiparæ nomen Mariæ relinquunt Janſeniſtæ; ſed omnibus illam prærogativis à ſanctâ Trinitate ipſi conceſſis exuunt: nolunt illam advocatam eſſe, azilum, mediatricem peccatorum.

Ib. Quo non ſupplicio digni ſunt Janſeniſtæ, qui in Epiſtola 9. infamem Satyram adverſus Deiparæ cultum compoſuerint? Quæ ſatis gravis pœna illis infligi bibliopolis poteſt, qui adverſus cæli Reginam blaſphemias excudunt? aut quâ accuſatione crimen ſuum prætexent Pariſienſes illi qui impietates illas cum voluptate legerint? Sæpe Deus matris injurias inuſitatis ſuppliciis ultus eſt; graves jam morbos Lutetia experitur, graviorum fortè prænuncios: unâ viâ illis commodiſſimè occurri poteſt, ſi Virgo his Litteris offenſa, ſolemni diſturbandi Portus Regii voto placetur. Impio autem illi Montaltio meritò timendum, quod olim adverſus famoſorum libellorum ſcriptores Lugduni uſurpabatur: ad pontem enim Rhodani ducebantur, & inde præcipites in flumen dejiciebantur. Væ mundo à

ſcandalis: meliùs eſt ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris.

Pag. 139. Refertem ſingularia ipſorum hypocriſeos argumenta, niſi omnibus nota eſſent.

Pag. 145. Niſi nobis plus charitatis & prudentiæ ineſſet quàm vobis eſt adverſus Caſuiſtas, facile eſſet illud aulæum reducere, quo reducta multa pateſcerent. (Hoc autem loquitur de caſtitate.)

Pag. 152. Docent Janſeniſtæ peccatum mortale ab eo committi, qui in peccati mortalis ſtatu ſacrum audierit.

Pag. 171. Vehemens & juſta ſuſpicio eſt, Montaltium olim à meretricibus duriùs habitum, & turpiter ſpoliatum, qui tam inclementer ipſas lucello ſuo privare contendit.

Pag. 179. Cum perlata eſt in Gallias Innocentii Bulla fœderati Janſeniſtæ per domos curſitabant, ac ſuæ famæ humiles & dejecti rationem haberi rogabant, paululùmque temporis ſibi concedi, ut pernicioſam illam quæ ipſorum animis infœderat doctrinam exuerent.

Pag. 185. Cernunt Epiſcopi plus affectatâ illâ ſeveritate diabolum, quàm Lutheri manifeſtis flagitiis progreſſus eſſe facturum. Cùm Lutherus Religioſam Virginem corrupit, perdiù non auſus eſt palam illam in conjugem aſciſcere, omnibus tantum facinus improbantibus: nunc autem diabolus longè majorem vitiorum eluviem, longè majorem ſtragem meditatur. Nam ni ejus obſiſtatur conſiliis, brevi caſtarum Virginum monaſterium in impudicarum puellarum lupanar commutabit.

Ejuſmodi obſcænis & furioſis calumniis paſſim ſcatet horrendus ille liber, & ipſis Ieſuitis, ſi quod ſanitatis intervallum habent, credo, pudendus: quas omnes ſimul Valeriano telo jubet me depellere Montaltius, & illi nefando ſcriptori omnibuſque adeò Ieſuitis coram orbe Chriſtiano denuntiare, IPSOS IMPUDENTISSIME MENTIRI. Nec recuſare jam poſſunt poſt illam denuntiationem, quin perditi calumniatores habeantur, niſi omnes illas calumnias adſtruant, & aulæum illud retegant, quod ſe retecturos eſſe comminantur.

Agite, Patres, fictam illam exuite modeſtiam, quam infirmitati & maledicentiæ veſtræ obtenditis: vobis hanc veniam largiuntur adverſarii veſtri. Non querentur ſua illa, ſi qua noſtis, flagitia propalari. Prædicate ſuper tecta illa occulta dedecoris: exigunt id omnes à vobis, non modò permittunt. Quod Montaltius alicubi dicit, iterum hîc illius nomine repeto: *Hoc loco qui ſilet*, Patres, *crimen agnoſcit: nec aliud quicquam requiritur ut pleniſſimè convictus habeatur. Nullus jam erit qui non videat, ſilentium veſtrum animi veritatis mole oppreſſi teſtimonium eſſe, non patientis ac moderati.*

Nec vos tuendæ tantùm illorum famæ causâ urgeri credideritis: ut parum illos tangunt calumniæ veſtræ; ſic illa me cura minimùm tangit. Magis me ſollicitat tot ſimplicium & incautè vobis credulorum ſalus, qui calumniæ venenum à vobis hauſtum in alios cum animæ ſuæ exitio diffundunt. Hos tam pernicioſo errore liberari hâc viâ facillimè puto, ſi vos hâc publicâ denuntiatione manifeſtè mendacii convictos viderint.

Poſtremò quicquid demum exiſtimetis, Patres, veſtræ quoque ſaluti

ſaluti maximè conſulo, quibus in hoc calumniæ crimine demerſis, unus ad ſalutem reditus patet, ſi illas publicè recantetis, quod voluntate promptiùs facietis, ſi neceſſitate faciendum eſſe videritis.

EPISTOLA DECIMA-SEXTA.

AD

RR. PATRES JESVITAS.

Pridie Nonas Decembris 1656.

Calumnias veſtras, RR. PP. hâc epiſtolâ proſequi conſtitutum eſt; ac primùm illas quæ ex admonitionibus veſtris reſtant perpurgare. At ut illis cætera veſtrorum ſcripta peræquè referta ſunt; quantùm videbitur in hoc argumento, undique affluente materiâ verſabimur. De illâ igitur fabulâ quam adverſus Iprenſem Epiſcopum toties in libellis veſtris iteratis, paucis hoc dicam: Quibuſdam unius aut alterius Epiſtolæ ab illo ſcriptæ verbis malitioſè vos abuti. Nam cùm ambigua ſint, nec minùs in bonum quàm in malum ſenſum propendeant, bono ſenſu ex benigno Eccleſiæ ſpiritu accipi debent, nec pravo accipi poſſunt, niſi ex Societatis veſtræ malignitate. Cur enim tandem hunc locum: *De nepote tuo nihil eſt quòd labores; ſumptus ego ſuppeditabo quos neceſſe erit, ex eâ pecuniâ quæ mihi in manibus eſt,* ſic interpretamini quaſi hanc pecuniam cujus erat cuſtos, interverteret, non amico commodaret ad tempus, pòſt reſtituendam? Sed quid vobis imprudentius fieri poteſt, qui aliis ejuſdem Epiſcopi litteris in vulgus editis tam certa mendacii veſtri indicia dederitis? Apertè enim illæ demonſtrant, hanc pecuniam à Janſenio mutuam ad breve tempus amico ſuo datam, quam ipſe poſteà reſarciret. Licet hoc perſpici ex Epiſtolâ 30. Julii anni 1619. datâ, ubi ſic loquitur, & vobis pudorem ingerit: *Ne te quæſo ſollicitet quod pro te* IN ANTECESSUM *nepoti tuo damus: nihil ipſi deerit dum apud nos erit.* Tum ex

eâ cui adſcriptus eſt dies 6. Janu. 1620. *Nimis properas*, inquit: *etſi enim rationes ſtatim referendæ eſſent; tamen non tam exigua hîc mihi fides eſt, ut illam pecuniam, ſi opus ſit, non facilè mutuam invenire poßim.*

Patet igitur vos hoc in loco calumniæ convictos: nec minùs id illo patebit ridiculo commento de arcâ ſancti Mederici reſeratâ. Quid enim tandem vobis prodeſſe poteſt quòd hâc ſuſpicione eximius ſacerdos ab uno ex intimis veſtris aſperſus eſt? An reus continuò habendus quiſquis accuſatur? Quaſi verò bonis viris accuſatores deeſſe poſſint, dum non deerunt calumniatores; aut deeſſe calumniatores poſſint, dum erunt Jeſuitæ? Non ergo ex accuſatione, ſed ex judicii exitu de illo ſacerdote exiſtimandum. Atqui ſententiâ judicum 23. Februarii 1656. datâ, pleniſſimè purgatus eſt. Mitto quòd ille qui in hanc litem imprudentiùs ſe demiſerat, à Collegis ſuis ſtatim deſertus, palamque omni autoritate ſpoliatus, poſtremò ipſe deſtitit incepto. At quod eodem loco dicitis, famoſum quemdam animarum rectorem momentò libellis 900000. ſe ſe locupletaſſe, potius quàm refellam, operoſè ad clariſſimos ſancti Rochi ac ſancti Pauli Parochos vos remitto, qui ſemper & illi viro ſummæ in illo negotio gerendo abſtinentiæ teſtimonium reddent, & vobis in illâ calumniâ confingendâ ſummæ malignitatis.

Non pluribus retundenda ſunt tam inſulſa mendacia. Proluſiones illæ Novitiorum veſtrorum, non clara Profeſſorum veſtrorum facinora. Ergo ad illam accedo calumniam, quâ vix ullam magis nefandam peperiſtis. Palam expandenda eſt ſtupenda illa ſcriptorum veſtrorum audacia, qui ſacras Virgines, & earum Rectores negatæ tranſubſtantiationis, ac realis Chriſti in Euchariſtiâ præſentiæ accuſant.

O dignam vobis impoſturam, Patres! O crimen quod ſolus Deus pro merito punire, ſoli poterant Jeſuitæ ſuſcipere; quod nemo patienter ferat, niſi humilibus illis Virginibus

ginibus humilitate par ſit; nemo credat, niſi tam improbis calumniatoribus improbitate non impar! Non hîc conſilium eſt, Patres, infandum illud crimen ab ipſis depellere, non hæret in ipſis iſta ſuſpicio; nec ſi opus ſit, ipſis defenſores longè me nobiliores defuerint. Ergo non illorum innocentiam, ſed veſtrum, Patres, detegam ſcelus. Enitar ut vos ipſos aliquis illius ſubeat horror: efficiam certè ut omnes intelligant nil jam eſſe tam nefandum, quod in Jeſuitas non cadat.

Hîc me ſat ſcio, Regio Portui nomen dediſſe clamitabitis; nam hâc primùm criminatione in invidiam à vobis vocatur quiſquis ſe flagitiis veſtris profitetur infeſtum: quaſi hoc ſolùm in loco reperiantur qui Chriſtianæ diſciplinæ ſanctitatem à corruptelis veſtris vindicare ſtudeant. Non ignoro, Patres, quanta in illis qui Religioſum illum ſeceſſum ſibi delegerant ornamenta ſint, quantùmque eorum ſcriptis tam ſolidis & piis debeat Eccleſia: novi quàm ipſi pietate, quàm eruditione præſtantes ſint: Tametſi enim nunquam in Regio Portu certum mihi domicilium fuerit, mihi tamen quidam illorum familiariter noti ſunt; cæteri quamvis ignoti, ob virtutis meritum chariſſimi. At non in illo Deus numero concluſit quoſcunque ſtatuit veſtris erroribus opponere. Dabo operam, divino fretus auxilio, Patres, ut hoc reipſà ſentiatis, ſervet modò eundem mihi animum Deus quem immiſit, ut quicquid de illo accepi, id totum ad ejus honorem impendam. Sic vos accipiam, Patres; ſic inſequar, ut fortaſſe antiquos illos de Portu Regio adverſarios deſideraturi ſitis. Hoc primum vobis argumentum dabo, quòd dum illi tam nefandâ accuſatione violati, tanti facinoris veniam gemitibus ſuis taciti vobis impetrare contendunt, ego quem hæc injuria non tangit, ad illam vobis in totius Eccleſiæ oculis exprobrandam aggrediar, ut hoc modo Societati veſtræ ſalutaris illa contingat infamia, quæ una ferè indurati vitiis animi veſtri medicina eſt, ex illâ ſcripturæ voce:

 Imple

Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine.

Coërcenda ſeveriùs tam effrænis audacia, quæ etiam in ſanctiſſima loca deſævit. Quis enim à tantâ calùmniandi licentia jam ſe tutum fore ſpondeat? Aut quid jam vobis ad omne facinus reliquiſtis? Vidit urbs Pariſiorum publicè parietibus ſuis affigi juſſu veſtro infamis libelli infamem titulum: *Portus Regii adverſus diviniſſimum ſacramentum cum Genevâ conſenſio.* Vidit Meinierii veſtri nomen infandum in illius fronte præfixum. Vidit in hoc libello apoſtaſiæ inſimulari non modò clariſſimum Abbatem ſancti Cigirani, & inſignem illum Arnaldum; ſed etiam ſororem ejus Agnetem, quondam Regii Portus Abbatiſſam, cæteraſque hujus monaſterii Religioſas Virgines, quarum de Euchariſtia fidem p. 96. *non minùs ſibi ſuſpectam eſſe dicit,* quàm ipſius Arnaldi, *quem certum Calviniſtam p. 4. jam dixerat.*

Omnium hîc, Patres, judicium, omnium fidem appello. In quem tandem minori veri ſpecie tam indigna poterat conferri ſuſpicio? Nam ſi ſanctimoniales illæ, ſi ſacerdotes illis præpoſiti cum Genevâ in Euchariſtiam conſenſiſſent, quod ſine horrore cogitari non poteſt; cur hoc potiſſimum ſacramentum, quod ut nefandum deteſtabantur, ſibi præcipua colendum pietate ſumpſerunt? Cur prioribus inſtitutis novum adjunxerunt illius cultum? Cur huic ſe præcipuè & habitu ſuo, & nomine, & Eccleſiæ ſuæ titulo conſecrarunt? An ſi fidem Eccleſiæ cum Genevâ delere conjuraſſent, tantis egiſſent ſtudiis, ut hæc inſtitutio â Romanâ ſede probaretur, ut ſibi officium Corporis Chriſti, quo fides Eccleſiæ ſic exprimitur, ut clariùs non poſſit, quinta quaque feriâ recitare fas eſſet? Quid quòd volentes ſe huic inſtituto obſtrinxere, ut noctu & interdiu ſacræ illi hoſtiæ Virgines quædam de ſuo cœtu ſemper aſſiſterent, quæ jugi adoratione juge ſacrificium proſequentes, ſic quodammodò hæreſeos in ejus excidium conjuratæ impietatem

pietatem ſuâ pietate penſarent? Dicite, Patres, ſi poteſtis, quid cauſæ fuerit, cur ex tot fidei noſtræ myſteriis omitterent illa quæ credunt, illud quod non credunt eligerent? Aut cur tam plenè huic ſe fidei myſterio devoverent, ſi illud tanquam hæretici pro myſterio iniquitatis haberent?

Quid vos adverſus tam illuſtria teſtimonia muſſitabitis, non verbis modò expreſſa, ſed in factis impreſſa; nec in uno tantùm aut altero facto, ſed in totius vitæ ſerie perpetuæ Chriſti in altaribus reſidentis adorationi conſecratæ? Quid porrò illis ſcriptis quos appellatis *Portus Regii libros*, reſpondebitis, ubi paſſim hujus myſterii vis & natura his effertur vocibus, quibus nullas nec Patres, nec Concilia accuratiores invenere. Horribile ſimul ac ridiculum eſt veſtras hîc cavillationes audire. Arnaldus, (inquit toto ſuo libro veſter Meinerius) ſæpe tranſubſtantiationem commemorat; at quis ſpondeat non ab eo *tranſubſtantiationem quandam figurativam* intelligi? Significat quidem præſentiam ſe realem agnoſcere; at unde liquet ab eo non *veræ ac realis figuræ* præſentiam accipi? Ubinam gentium ſumus, Patres? Aut quæ tandem erit omnium Theologorum conditio, ſi hoc vobis impune fuerit? Quis cùm libuerit, à vobis non pro Calviniſta traducetur, ſi ſic ſanctiſſimas quaſque, & Conciliorum Decretis congruentiſſimas locutiones veſtrâ æquivocorum methodo, & malitioſis iſtis argutiis liceat corrumpere? Quis enim aliis unquam verbis eſt uſus, maximè in ſcriptis ad conformandam Catholicorum pietatem, non ad revincendam hæreticorum perfidiam inſtitutis. Et tamen pro eo quo flagrabant diviniſſimi myſterii amore ac reverentiâ, ſic omnibus locis illius fidem præ ſe ferunt, ſic perſpicuis verbis concipiunt, ut quàmlibet arte valeatis, nullam in iis ambiguitatis ſpeciem, ac ne minimam quidem cum Genevâ conſenſionem deprehendere poſſitis.

Nempe in his capitibus, ut omnibus notum eſt, Calviniana hæreſis poſita eſt, Chriſti corpus in hoc ſacramento

non contineri; nec enim fieri poſſe ut pluribus ſimul in locis ſit præſens: quarè cùm in cœlo ſit, nuſquam alibi eſſe; nuſquam niſi in cœlo adorari debere; adeòque nec in altari: manere ſubſtantiam panis; nec Chriſti corpus in os, in pectus ſubire, ſed ſolâ demum fide tangi ac manducari: hinc fieri ut à malis manducari non poſſit: Miſſam non eſſe ſacrificium, ſed abominationem. Audiamus jam quæ ſit Genevæ ac Portus Regii concordia? In illis, Patres, libris ad veſtrum dedecus iſta legimus: *Sub panis ac vini ſpeciebus carnem ac ſanguinem Chriſti contineri*: Arnaldus Epiſt. 2. pag. 259. *Sanctum ſanctorum in ſanctuario præſentem eſſe, & ibi adorandum*: ibid. pag. 245. *Habitare Chriſtum in peccatoribus Euchariſtiam ſumentibus per* CORPORIS SUI VERAM AC REALEM IN EORUM PECTORE PRÆSENTIAM, *quamvis ſpiritus ejus ab eorum animo longè abſit*: Freq. Comm. p. 3. c. 16. *Sanctorum mortuos cineres ex quodam vitæ ſemine, quod ex vivificæ ac immortalis Chriſti carnis contactu traxerunt, præcipuam ducere dignitatem*, Freq. Com. p. 1. c. 40. *Nullâ naturæ poteſtate, ſed Dei omnipotentia, cui nihil ſubtractum eſt, Chriſti corpus ſub hoſtiâ, imò ſub tenuiſſima quaque hoſtiæ particula cohiberi*: Theol. famil. l. 15. *Divinam præſto eſſe virtutem, ut quæ conſecrationis verbis ſignificantur efficiat*: ibid. *Eundem Chriſtum & in altari ſtratum atque depreſſum eſſe, & in ſolio gloriæ excelſum ſedere: ſua vi, ſua potentia, & quidem propria variis in locis ſimul eſſe, in medio Eccleſiæ triumphantis in patria, in medio militantis in via*: Rat. de ſuſp. corp. Chr. Rat. 21. *Sacramentales ſpecies manere in aëre ſuſpenſas, & contra naturæ ordinem ſubſiſtere nulla materia ſubnixas: ſub iiſdem pariter ſpeciebus ſuſpenſum eſſe corpus Chriſti; nec tamen ab illis pendere eo modo quo ab accidentibus pendent ſubſtantiæ*: Ibid. 23. *Mutari ſubſtantiam panis manentibus accidentibus*: In off. Eccl. diviniſ. ſacram. *Chriſtum in Euchariſtia eadem qua gaudet in cœlo gloria potiri*: Epiſt. Abb. S. Cigir. t. 1. Ep. 93. *Glorioſam ejus humanitatem ſub ſpeciebus panis quibus oculis noſtris abſconditur, in*

Eccleſiâ

Eccleſiâ latere: Sic enim decuiſſe ut hominum tarditas per humanitatem Chriſti uno in loco præſentem ad divinitatis ubique præſentis adorationem perduceretur : Ibid. *Linguâ recipi corpus Chriſti, hancque ex divino contactu trahere ſanctitatem:* Epiſt. 32. *Intrare Chriſtum in ora ſacerdotum*: Epiſt. 72. *Tametſi Chriſtus ſingulari amoris ac clementiæ ſuæ benignitate accedi ad ſe in hoc ſacramento permiſerit, ibidem tamen ab ipſo retineri lumen illud creaturis inacceſſum, quod ab ejus divinâ natura divelli non poteſt. Quamvis enim vi verborum ſolum corpus & ſolus ſanguis adſit, ut in ſcholâ loquuntur; tamen propter neceſſariam conjunctionem, ſimul ibidem totam humanitatem, totam ejus divinitatem reperiri:* In defenſ. opuſc. cui titulus gallicè, le Chapelet du ſaint ſacrem. Denique *Euchariſtiam ſimul & ſacrificium eſſe, & ſacramentum:* Theol. famil. lect. 15. *Ac licet hoc ſacrificium ad renovandam ſacrificii Crucis memoriam ſit inſtitutum, hoc tamen inter utrumque diſcrimen eſſe, quòd Miſſæ ſacrificium pro ſolâ offertur Eccleſiâ, ac fidelibus in ejus communione viventibus : contrà pro omni mundo ſacrificium Crucis oblatum eſſe, ut loquitur ſcriptura*: Ibid. p. 153.

Abundè ſunt iſta, RR. PP. ut facilè omnes intelligant ad impudentiam veſtram nihil addi poſſe. Plùs tamen volo, nempe contra vos à vobis ferri ſententiam. Satin hoc erit? Agite quibus verbis uti decet hominem qui omnem Calviniſmi notam velit effugere. *Si Dominus Arnaldus*, inquit Meinierus veſter, *in hoc adorando myſterio ſub panis & vini ſpeciebus nullam panis remanere ſubſtantiam dixiſſet, ſed tantùm carnem & ſanguinem Chriſti, hâc profeſſione manifeſtè ipſum à Genevæ ſenſibus ſuos ſegregaſſe agnoſcerem.* Agnoſcite igitur ſcelus veſtrum, Patres, & publicam injuriam publica ſatisfactione ſarcite. Quoties hoc in allatis locis vidiſtis? Sed unus ſufficit familiaris Theologiæ libellus, qui à ſancti Cigirani Abbate compoſitus, ab Arnaldo approbatus, utriuſque continet fidem. Conſulite igitur lect. 15. ac ſecundum præſertim articulum, & quæ poſcitis reperie-

tis, etiam ſignificantiùs expreſſa quàm poſcitis. *An panis*, inquit, *remanet in hoſtia, & vinum in calice? Nullo modò. Omnis enim ſubſtantia panis & vini tollitur, ut in illius locum ſubeat corporis ac ſanguinis Chriſti ſubſtantia, quæ ibi tum ſola remanet, panis & vini ſpecie cooperta.*

Etiamne, Patres, illud jactabitis, nihil à Portu Regio doceri, quod non libens Geneva ſuſcipiat: nihil ab Arnaldo tota ſecundâ Epiſtolâ dictum eſſe, quod non idem à Carentonio Miniſtro dici poſſit. Dicat igitur Meſtreſatius quod ait Arnaldus Ep. 2. pag. 237. & ſeq. *Impudentiſſimè mentiri quiſquis ſe negatæ tranſubſtantiationis inſimulet: libros ſuos reali in ſacramento Chriſti præſentiæ Calvinianæ hæreſi oppoſitæ ſuperſtructos: poſtremò felicem ſe ſibi videri, quòd huic monaſterio ſit addictus, ubi ſanctus ſanctorum in ſanctuario reſidens continenter adoratur.* Quod poſtremum magis etiam Calviniano errori adverſatur, quàm ipſum realis præſentiæ dogma, ut teſtatur Cardinalis Richelius in controverſiis pag. 536. *Novi Galliæ Miniſtri*, inquit, *qui ſe Lutheranis conjunxerunt realem præſentiam non negantibus, hoc ipſo declararunt unam ſibi eſſe cauſam cur ſe ab Eccleſia ſuper hoc myſterio ſejungerent, quòd Euchariſtia à Catholicis adoretur.* Subſcribat Geneva locis illis quos ex Portus Regii libris excerpſi; probet non avulſa modò loca, ſed integros libros de hoc myſterio conſcriptos, cujuſmodi ſunt: *Liber de Frequenti communione: Explicatio ceremoniarum Miſſæ: Precationes inter Miſſam habendæ: ſuſpenſionis ſancti ſacramenti rationes: Hymni Eccleſiæ gallicis verſibus redditi.* Poſtremò ſuſcipiat ſynagoga Carentoniana ſanctum hoc inſtitutum, Chriſtum in Euchariſtiâ continenter adorandi. Hoc ſi effeceritis, Patres, divino Eccleſiam beneficio affeceritis. Non jam enim cum Genevâ conſentiet Portus Regius, ſed cum Portu Regio & totâ Eccleſiâ Geneva conſentiet.

Enimverò, Patres, nullum imprudentius crimen in Portum Regium intendi poterat; à nullius enim ſuſpicione longiùs abeſt. Sed eò quid vos perpulerit noſſe operæ pretium;

tium; hoc mihi aperiendum eſt, nec enim ſum artium veſtrarum, ut noſtis, ignarus. Mirum verò ut hoc loco diſciplinæ veſtræ parueritis. Si ſancti Cygirani clariſſimus Abbas, ſi Doctor Arnaldus nihil aliud ſcripſiſſent, niſi quid de hoc myſterio credendum ſit, non quomodò ad illud componendus animus eſſet, Catholici vobis fuiſſent vel optimi; nec ullam ſub verbis *præſentiæ realis ac tranſubſtantiationis* fraudem occultaſſe dicerentur. Sed quoniam omnino neceſſe eſt, ut quiſquis prolapſiones veſtras non probet, hoc ipſo ſit hæreticus, & in eo ipſo capite de quo à vobis diſſentiat; quî poſſet in Euchariſtiæ doctrinâ Arnaldus eſſe Catholicus, qui toto libro de Frequenti Communione violatam corruptelis veſtris hujus ſacramenti ſanctitatem defendit. Itane, Patres, ut impunè dixerit arcendos à communione Corporis Chriſti, qui cùm iiſdem ſemper hæreant flagitiis, nullam futuræ ſpem emendationis oſtendunt; atque ejuſmodi homines ad tempus ab altari removendos, donec ſinceræ pœnitentiæ officiis purgati, ad Euchariſtiam cum fructu poſſint accedere. Magni intereſt, Patres, ut neminem ita loqui patiamini; *non tanta vos pœnitentium multitudo obrueret. Nam*, ut ait veſter Briſacerius, *hanc ſi methodum ſequeremini, nemini à vobis ſanguis Chriſti applicaretur.* Quantò rectius & utilius eſt huic veſtræ Societatis diſciplinæ adhæreſcere, quam Maſcarenhas veſter in libro à Doctoribus veſtris & ab ipſo Generali laudato refert his verbis: *Dico 3. qui habuit pollutionem voluntariam mortaliter peccaminoſam, ſive cum complice, ſive ſine illo,* (id eſt, ut antè præmiſit, *ſive per adulterium, ſive per peccatum contra naturam, ſive quocunque alio modo;*) *ſi habeat debitum illius dolorem, præmiſſa Confeſſione poterit in eadem die communicare; quin in hoc peccet mortaliter, nec etiam venialiter.* Et paulo pòſt n. 285. *Tota hîc dubitatio, utrùm debeat Confeſſarius conſulere his ſic voluntariè & mortaliter pollutis, ut illo die ſe à communione abſtineant, non ex præcepto, ſed ex conſilio? Ordinariè reſpondent Autores affirmativè;*

mativè; nihilominus tamen mihi magis placet opinio Ioannis Santii in ſuis ſelect. diſp. 23. n. 30. aſſerentis hoc non eſſe conſulendum; imò potiùs conſulendum, quòd communicent, dummodò ſint per Confeſſionem ritè diſpoſit, ne ſub velamine reverentiæ erga hoc ſacramentum, illud defraudent excellentiore reverentia, quæ ex tali ſumptione illi accreſcet. Et hinc infero non eſſe validum votum non ſuſcipiendi Eucharistiam die habitæ copulæ fornicariæ, etiam præmiſſa Confeſſione cum vero dolore. Nam tale votum eſt impeditivum majoris boni; & ideò non poteſt habere rationem voti. Et paulò ſupra. *Quamvis Pater Vaſquez credat antiquitus fuiſſe aliquam legem vel univerſalem vel provincialem, qua per aliquas ſaltem horas prohibeatur communio, hoc tamen hodie communi & univerſali Eccleſiæ conſuetudine eſt abrogatum.* En quanti ſit, Patres, per totum orbem diffuſos eſſe Jeſuitas: en qualem conſuetudinem invexerint; qualem defendere contendant. Veſtra nihil intereſt Chriſti menſam nefandis iſtis piaculis pollui, dum baſilicæ veſtræ hominum turba refertæ ſint. Ergo agite, & eos qui vobis audent obluctari, hæreſeos poſtulate; & quidem adverſus Euchariſtiam: prorſus ita vobis faciendum eſt. At quomodo? cum illi fidem ſuam tot illuſtribus monimentis teſtatam reliquerint? Ecquid, nullus eſt vobis aut pudor, aut metus ne quatuor illa ingentia, ut dicitis, argumenta proferam, quibus ſolis accuſatio veſtra nititur? Frontem perdidiſtis, Patres, ſi nullus eſt. Sed non eſt cur vobis hoc remittam dedecus: primum igitur videamus.

Abbas ſancti Cygirani, inquit Meynierus, *cùm de morte matris quendam amicorum ſolaretur*, T. I. *Ep.* 14. *Nullum inquit in illo luctu Deo acceptius ſacrificium offerri poteſt, quàm Chriſtianæ patientiæ. Ergo hic Abbas Calviniſta eſt.* Argutiſſimum argumentum, atque haud ſcio an nulli ejus ratio pateat. Explicet igitur ipſe ſe Meinierus: *quia*, inquit ille controverſiarum ſcientiſſimus, *eo ipſo non credere ſe teſtatur ſacrificium Miſſæ, hoc enim nullum Deo acceptius.* Dicat nunc qui volet, argumentandi non admodum peritos eſſe Jeſuitas.

tas. Enimverò ſic periti ſunt,ut quicquid voluerint, hæreticum poſſint efficere, ipſamque adeò ſcripturam ſacram. An dubiam enim hæreſim protulit Eccleſiaſticus, cùm ait: *Nihil eſt iniquius quàm amare pecuniam*: quaſi non multò plus iniquitatis habeant adulteria, ſtupra, homicidia, idololatria? Eccui autem non accidit ſingulis horis ut iſtiuſmodi aliquid dicat? Verbi gratia: Nil eſſe Deo gratius quàm cordis contriti & humiliati ſacrificium? Non enim in iſtis ſermonibus, Miſſæ ſacrificium cum animi actibus comparatur,cùm alterius planè ſit ordinis, & à rebus creatis immenſùm diſtet; ſed tantùm inter ipſos animi actus alii aliis anteferuntur.

Quid igitur vobis abſurdius, Patres? An etiam ad cumulandam ignominiam veſtram iſtius Epiſtolæ voces afferendæ ſunt, in quibus cæteris omnibus altaris ſacrificium longè præſtantius aſſeritur? *Omnibus*, inquit illle, *diebus, omnibus locis offertur corporis Chriſti ſacrificium, qui nullam hâc oblatione* HONORANDI PATRIS SUI EXCELLENTIOREM VIAM *invenit*. Et infra. *Juſſit Chriſtus ut morientes ſacrificatum ejus corpus ſumeremus, quò noſtri corporis ſacrificium Deo ſit acceptum, ut ipſe morientibus conjunctus roboret infirmitatem; ac præſentiâ ſuâ extremum vitæ noſtræ ſacrificium ſanctificet*. Hæc omnia diſſimulate, RR. PP. & nihilo liberiùs jactate, ut facitis p. 33. unum ex illius conſiliis fuiſſe, etiam in mortis articulo Euchariſtiâ abſtinere; unum ex ipſius dogmatis, Miſſam non eſſe verum ſacrificium. Nihil enim nimis audax videri poteſt iis, qui inſtituto & profeſſione ſuâ calumniantur.

Argumento ſit ſecunda probatio, quâ ſancti Cygirani Abbatem Calviniſtam vultis efficere. Hoc conſilio Petri Aurelii locum profertis (nam hunc ipſi librum adſcribitis) in quo Eccleſiæ diſciplinam erga eos Presbyteros & Epiſcopos quos gradu dejicit, his verbis explicat Aurelius: *Poteſtas Ordinis*, inquit, *remanet in Epiſcopo ſemel conſecrato. Sed hoc per accidens eſt, ob indelebilitatem characteris. Non*

remanet

remanet tamen ex more loquendi Eccleſia, quæ talem poteſtatem non magis agnoſcit, quàm ſi reverà nulla eſſet. Cùmque eam ex animo ſemel ordinati delere non poſſit, facit quod poteſt, delens eam ex ſuo, & omnem ejus memoriam rationemque ita abjiciens, quaſi nunquam fuiſſet. Reſpondeo quòd ſacerdotium ſoluto voto caſtitatis remaneat, inde fit, quia ſacerdotalis caracter eſt divina res, intima, ſpiritualis, ſoli Deo ſubjecta, ab eo ſolo, non ab Eccleſiâ delebilis, ſicut ab eâ deleri & tolli poteſt non unicum ſolum votum, ſed tota eſſentia monachatus.

Hîc quidem, ut videtis Patres, indelebilem eſſe caracterem clarè pronuntiat magnus Aurelius, quem triplex Eccleſiæ Gallicanæ conventus publicè probavit, & ſummis extulit laudibus: vos tamen iſto loco dictum ab Aurelio vultis indelebilem non eſſe ſacerdotii caracterem. Inſignis calumnia; hoc eſt, vobis autoribus, leviculum & veniale peccatum. Nam hic liber de veſtræ Societatis opinione nonnihil detraxerat, confutatis Anglorum Jeſuitarum libris adverſus Epiſcopalem autoritatem, ſed illud ſingularis ſtultitiæ eſt, quod cùm viro clariſſimo hunc errorem tribuiſſetis, *ſacerdotium eſſe delebile*, hinc negatam ab ipſo realem Chriſti in Euchariſtiâ præſentiam efficere voluiſtis.

Ne expectate, Patres, dum vobis ſuper illis ineptiis reſpondeam. Si vos ſic deficit communis ſenſus, non is ſum qui vobis illum impertire poſſim: quibus ille non deerit, ſatis de vobis riſus excitabunt. Nec aliter excipient tertiam probationem veſtram, quam ex hoc Frequentis Communionis loco repetitis 3. part. cap. 11. *Eodem cibo nos Deus in Euchariſtiâ paſcit, quo ſanctos in cœlo; nec aliud intereſt, niſi quòd nobis hîc aſpectum ac ſenſibilem adimens ſuavitatem, utrumque cœlo ſervat.*

Certè, RR. PP. his verbis tam perſpicuè Eccleſiæ doctrina continetur, ut identidem mihi excidat quo pacto vos illa ad calumniam detorqueatis. Id enim unum video, quòd à Concilio Tridentino docetur Seſſ. 13. c. 8. *Panem*

Angelorum modo ſub ſacris velaminibus edi, in cœlo abſque ullo velamine manducatum iri.

Non dicit Arnaldus, nullum aliud eſſe diſcrimen inter ipſum modum quo vel hîc vel in cœlo recipitur Chriſtus: hoc dicit, nullum aliud eſſe diſcrimen inter ipſum qui recipitur Chriſtum: hinc tamen elicitis, omnium reclamante judicio, ex Arnaldi ſenſu corpus Chriſti ore non recipi, ut nec recipietur in cœlo; atque illinc eam quam ipſi objectatis hæreſim conficitis.

Miſeret me veſtri, RR. PP. An ſic tardi eſtis, ut iſta magis etiam vobis explananda ſint? Non intelligitis aliud eſſe divinam hanc eſcam, aliud illum quo recipitur modum? In ipſâ eſcâ unum diſcrimen eſt: in cœlo retecta conſpicitur; in terrâ ſub ſpecierum involucris occultatur. At in eo quo recipitur modo varia inſunt diſcrimina, quorum iſtud præcipuum quod tangit Arnaldus de Freq. Comm. 3. p. c. 16. *Chriſtum in os & pectus tam bonorum quàm malorum intrare*, quod non fit in cœlo.

Jam verò ſi hujus diſcrepantiæ ratio vos lateat, ſic habete, Patres, varium illum modum quo hîc in terrâ, illic in cœlo ſumitur Chriſtus, ex illo pendêre diſcrimine, quod Chriſtianorum ſtatum in hâc vitâ, à beatorum in patriâ ſtatu ſejungit. Status enim Chriſtianorum, ut à Perronio notatur, inter Judæos ac beatos interjectus eſt. Chriſtum beati poſſident nullis figuris, nullis velaminibus obtectum. Judæi contrà non ipſum Chriſtum habuerunt, ſed Chriſti tantùm figuras atque velamina, ut agnum paſchalem, & delapſum cælitus manna: Chriſtiani verò Chriſtum quidem in Euchariſtiâ verè ac realiter poſſident, ſed adhuc ſub figuris & velaminibus occultum. Tria, inquit Eucherius, ſibi Deus tabernacula fecit: Synagogam, quæ umbras habuit ſine veritate; Eccleſiam quæ veritatem & umbras habet; cœlum ubi nullæ ſunt umbræ, ſed nuda veritas.

Ex hoc excederemus ſtatu, id eſt, ex fidei ſtatu, quem tum legi, tum gloriæ Paulus opponit, ſi ſine Chriſto ſolas

figuras

figuras haberemus. Legis enim eſt, umbram habere futurorum, non ipſam ſubſtantiam rerum. Excederemus item, ſi palam Chriſtus nobis illaberetur: fides enim argumentum eſt non apparentium, ait Apoſtolus. Ita cum fidei ſtatu Euchariſtia mirabiliter convenit: verè Chriſtum continet, at velatum tamen. Itaque perinde deſtrueretur hic ſtatus, ſive Chriſtus, ut volunt hæretici, panis & vini ſpeciebus non ſubeſſet; ſive ſe nobis in hoc ſacramento itidem ut in cœlo videndum exhiberet. Sic enim vel ad Judæorum dejiceremur ſortem, vel ad beatorum conditionem extolleremur. Hæc eſt, Patres, divini myſterii divina ratio. Hinc Calviniſtas horremus, qui nos ad Judæorum ſtatum detrudunt: hinc ad beatorum gloriam contendimus, qua Chriſtus plenè & conſpicuè æternùm poſſidetur. Hoc ipſum Arnaldus illuſtribus iſtis verbis expreſſit: *Eorum qui Chriſtum in Euchariſtiâ ſuſcipiunt ſanctitas, non plus à beatorum ſanctitate debet abeſſe, quàm quantùm à clarâ Dei viſione fides abeſt. Ex quâ unâ pendet varius ille modus quo hîc in terrâ, illic in cœlo Chriſtus manducatur.* In his verbis, Patres, divinam illam quam continent doctrinam revereri oportebat; non ex iis pravè detortis hanc hæreſim conflare, quæ nec ibi latet, nec latere poteſt, ex Arnaldi ſententiâ non ore, ſed fide manducari Chriſtum, ut per ſummam calumniam Annatus veſter ac Meinierus mentiuntur.

Nil igitur vobis à probationibus deſertius. Hinc ad aliam artem confugitis, & ut Arnaldus à Tridentinâ ſynodo diſſideat, iſtius ſynodi verba falſatis. Hoc præſtitit veſter Meinierus innumeris libelli ſui locis, & octies vel decies in unâ pag. 54. Ibi enim ad fidem catholicis verbis de Euchariſtiâ profitendam, non ſatis eſſe contendit his verbis uti: *Credo in Euchariſtiâ Chriſti corpus realiter eſſe præſens*; ſed addendum ait, *Credo cum ſynodo Tridentinâ Chriſtum ibi eſſe præſentem præſentiâ locali.* In margine verò Concilium citat ſeſſ. 13. can. 3. 4. 6. Quis cùm Meinierum audiat præſentiæ localis voces è tribus œcumenicæ

Synodi

Synodi canonibus repetentem, has verè in illis canonibus extare non crederet? Fallere poterat hoc artificium, Patres, antequam Epiſtolam decimam-quintam evulgaſſem: nunc autem paucis admodum imponit. Adeunt jam vulgò Concilii loca, & veſtram calumniam deprehendunt. Nuſquam enim ibi hæ voces, *localis præſentia*, *localitas*, *localiter*, ſcriptæ reperiuntur. Addo, Patres, non in illis modò canonibus, ſed nec in ullo alio Concilii loco, nec in ullius Synodi decreto, imò nec in ullo Eccleſiæ Doctore reperiri. Jam quæro, an vobis decretum ſit, quotquot iſtuc verbi non uſurparint, in Calviniſmi ſuſpicionem vocare? Id ſi ita eſt; ſuſpecta Calviniſmi habenda eſt Synodus Tridentina, & omnes Patres, nullo prorſus excepto. Siccine Arnaldum aliter hæreticum efficere non poteſtis, quin tot catholicos ſcriptores, qui vos nullâ in re violaverunt, eodem crimine involvatis, & omnium maximè ſanctum Thomam, clariſſimum Euchariſtiæ defenſorem? Adeò enim ille hâc voce non uſus eſt, ut contrà eam disertè repudiarit 3. p. q. 76. a. 5. ubi ſic loquitur: *Nullo modo corpus Chriſti eſt in hoc Sacramento localiter.* Quid tandem vobis juris eſt, Patres, ut certa præfiniatis verba, quibus fidem concipi oporteat? Quaſi fidei profeſſio à ſummis Pontificibus juſſu Concilii compoſita, à quâ tamen illa vox abeſt, mutila eſſet ac manca; & quandam in catholicorum fide ambiguitatem, à vobis ſolis detectam, relinqueret? Quid confidentius, quàm hujus vocis uſum etiam Doctoribus indicere? Quid mendacius, quàm œcumenicis Conciliis affingere? Quid imperitius, quàm has voces à magnis Eccleſiæ Doctoribus juſtis de cauſis repudiatas, neſcire? Quid æquius igitur, quàm Meinierum veſtrum, juxta mendacem & imperitum, his Scripturæ vocibus increpare: *De mendacio ineruditionis tuæ confundere?*

Deponite ergo, Patres, illam magiſtrorum autoritatem, quæ nec veſtro gradui, nec eruditioni convenit. Ac ſi modeſtiùs vos gerere velitis, & quod vi auferre non po-

teſtis, precibus impetrare, fortaſſe facilem ſe vobis præbebit Arnaldus. Quamvis enim hoc verbum, *præſentia localis*, ſanctus Thomas aſpernatus ſit, quòd Chriſtus in Euchariſtiâ ſolitum corporum ſpatium non impleat: tamen à recentioribus quibuſdam controverſiarum tractatoribus admiſſum eſt bono ſenſu. Nihil enim aliud eo illi intelligunt, niſi verè ſub ſpeciebus contineri Chriſtum, quæ cùm in certo ſint loco, conſequens eſt eòdem loci eſſe corpus Chriſti. Atque hoc ſenſu ultro hanc vocem admittet Arnaldus, quem cum ſancti Cygirani Abbate toties profeſſum vidimus, Chriſtum in Euchariſtiâ certo loco contineri, & multis in locis per divinam potentiam præſentem eſſe. Sic omnes argutiæ veſtræ corruunt. Sic nec minimo tantam accuſationem veri colore prætexere potuiſtis, quam nonniſi invictis munitam argumentis proferre licuiſſet.

Sed quid juvat, Patres, calumnias veſtras oppoſitâ fidei ipſorum integritate revincere? Non enim hos ipſis errores ideò affingitis, quòd ſic illos ſentire, ſed quòd ipſos vobis obeſſe exiſtimetis. Hoc Theologiæ veſtræ ſatis eſt, ut hæc in ipſos crimina ſine crimine jaciatis. Nec ulla vos Religio moratur, quin nullâ præviâ Confeſſione, nullâ pœnitentiâ ad ſacrificandum accedatis, poſtquam in ſacerdotes quotidie ſacrificantes infandam illam contuliſtis calumniam, *meræ idololatriæ loco Miſſæ ſacrificium ab ipſis haberi:* quod tam abominandum foret, ut poſtulatu veſtro ſocius veſter Jarrigius in tabulâ ſuſpenſus ſit, quòd cum Genevâ ſentiens Miſſæ ſacrificium celebraſſet.

Non ergo illud miror, tam ſine ullo conſcientiæ morſu horrenda vos ac falſa crimina adverſariis veſtris intendere: illud miror, tam ſine prudentiâ vos ſic carentia veriſimilitudine crimina confingere. Summa enim in peccata vobis poteſtas eſt; ſed num idem vobis juris eſſe cenſetis in hominum fidem? Equidem, Patres, agi vobiſcum peſſimè rerer, ſi vel in vos, vel in illos Calviniſmi eſſet conferenda

ſuſpicio.

ſuſpicio. Illorum enim non minùs quàm veſtra oratio catholica eſt; ſed vos inſtitutis veſtris fidem negatis, illi ſuis comprobant. Nam ſi vobis itidem ut illis perſuaſum eſt in Chriſti corpus panem verè mutari, cur non etiam cum ipſis poſtulatis, ut eorum quos ad illud epulum admovetis, cor lapideum & peccati duratum frigore, in cor carneum & amoris flammâ mollitum commutetur? Si Chriſtum in hoc ſacramento mortis formam induere voluiſſe creditis, ut qui ad illud accedunt, mundo, peccato, ac demum ſibi mori condiſcant; cur ad hanc menſam illos mittitis, in quibus adhuc vitia vigent, adhuc ſcelerum cupiditates flagrant? Cur illos Angelorum pane dignamini, qui hominum cibis indigni ſunt?

O magnos diviniſſimi myſterii veneratores, quorum zelus illos inſectatur, qui Chriſti corpus tot ſanctis communionibus honorant; illis adulatur, qui tot illud contrà ſacrilegiis dedecorant! Quam dignum eſt iſtis adorandi ſacrificii defenſoribus, inveteratos peccatores è flagitiorum ſuorum cœno prodeuntes, Chriſti menſæ circumfundere; atque in eorum medio locare miſerum Sacerdotem, quem Confeſſarius ab impudicitiæ ſordibus ſine morâ ad altare propellat, ut Chriſti vice, ſanctitatis Deo immaculatam offerat hoſtiam, quam in polluta aſtantium ora pollutis ipſe manibus inferat? Quàm decebat illos iſtius inſtituti per totum orbem ſub ſui Generalis auſpiciis propagatores, Arnaldo Frequentis Communionis Autori, ac dicatis diviniſſimo ſacramento Virginibus, perverſum de hoc ſacramento ſenſum objicere!

Nec tamen in hoc ſaltem malevolentia veſtrâ conquieſcit: non ſat habet, niſi etiam Chriſtum ac baptiſmum ejuraſſe credantur. Non hîc vobis, Patres, fabulas narro veſtris conſimiles: hîc, hîc calumniarum veſtrarum cumulus: hoc veſtri furoris extremum eſt. Omnino tam horrendum mendacium ſuſtinere dignus non erat ille Fillellus, qui primus illud de conſilio veſtro peperit. Ergo hujus

autoritatem in ſe recepit Societas, propalamque modò veſter Meinierius, quaſi *rem exploratiſſimam* prædicavit, Sancti Cygirani Abbate & Iprenſi Epiſcopo ducibus arcanam in Portu Regio coïtionem factam, *ad evertendum Incarnationis myſterium; abrogandam Euangelii, tanquam apocryphæ fabulæ, fidem; delendam Chriſti Religionem, & ſuper ejus ruinis Deiſtarum impietatem extruendam.* Quid reſtat ampliùs, Patres? Satin hoc vobis, ſi tanta ſcelera in inviſos illos vobis homines omnium opinione conferantur? Si non modò propter illam cum Genevâ conſenſionem, cujus à vobis arguuntur, omnibus ſint catholicis horrori; ſed propter illam in Chriſtum conjurationem, omnibus Chriſti cultoribus execrationi ſint? Itane hoc vobis tantùm affirmantibus, non modò ſine ullâ veri ſpecie, ſed cum certiſſimis falſitatis argumentis creditum iri putaſtis, ſacerdotes qui nihil aliud niſi Chriſti gratiam, Euangelii ſanctitatem, baptiſmi vota in ore habent; nihilominus Chriſto, Euangelio, baptiſmo renuntiaſſe?

O ſtultos ſi hæc hominibus perſuaderi poſſe ſperatis! O ſceleſtos, ſive iſta vobis perſuaſiſtis, ſive quod verius reor, aliis quæ falſa noſtis, tamen perſuadere conemini! Quid vobis perditius fieri poteſt, quibus aut probandum abdicatam à Portu Regio Chriſti fidem, aut projectorum calumniatorum fama ſuſcipienda? Ergo narrationi veſtræ, Patres, fidem adſtruite. Dicite quis ille ſit ſpectabilis ſacerdos, qui huic Burgifontano conventui interfuiſſe anno 1621. ac pòſt ad Fillellum veſtrum initum ibi abolendæ Chriſtianæ Religionis conſilium detuliſſe perhibetur. Dicite qui ſint illi ſex viri, qui abominandam iſtam coïtionem fecerint. Dicite quis deſignetur illis Litteris A A, quem vos nunc alium ab Antonio Arnaldo eſſe convicti fatemini, quia tunc temporis novennem ſe tantùm puerum fuiſſe demonſtravit. Hunc vos etiam nunc vivere, Arnaldoque amiciorem eſſe quàm ut ab eo ignorari poſſit, aſſeritis. Vobis igitur notus eſt, Patres. Itaque niſi planè omnem

omnem exuiſtis Religionis ſenſum, nomen illius impii ad Regem, ad ſupremum ſenatum vobis eſt deferendum, ut debitas luat impietatis ſuæ pœnas. Prorſus hîc tacere nefas eſt, & ſcelerati illius nomen edendum; alioquin effugere non poteſtis, quin perditiſſimi calumniatores apud omnes audiatis. Sic, ſic nos docuit bonus Valerianus ejuſmodi impoſtores eſſe *torquendos*, & ad calumniæ ſuæ confeſſionem adigendos. Hoc loco qui ſilet, Patres, crimen agnoſcit: hoc unum ſat eſt ut pleniſſimè convictus habeatur. Nullus jam erit ſic amore veſtri cœcatus, qui non videat ſilentium veſtrum, non patientis ac moderati animi teſtimonium eſſe, ſed mole veritatis oppreſſi. Nullus erit qui non ſtupeat tantùm in vobis veſaniæ ac furoris fuiſſe, ut horrendam illam calumniam, etiam in Religioſas Portus-Regii Virgines conferre auderetis. Factum id à vobis, Patres: diſſimulare non poteſtis; apertè enim Meinierius veſter p. 14. & 95. precationem quandam de diviniſſimo ſacramento ab illarum Virginum unâ compoſitam, *primum eſſe* aſſerit *fœtum initæ adverſus Chriſtum conſenſionis, omnibuſque iſtius monaſterii Virginibus inſtillatas hujus ſcriptiunculæ deteſtandas hæreſes*, quas nihil aliud eſſe dicitis quàm *Deiſtarum inſtitutiones*.

Ac illæ quidem impoſturæ ante multos annos obtritæ ſunt in defenſione Cenſuræ Archiepiſcopi Pariſienſis adverſus Briſacerium veſtrum latæ; nec vobis quod contrà diceretis quicquam ſuperfuit: & tamen ſolito Societatis more, ſolitâ confidentiâ idem mendacium refricare, ac Virginibus ſingularis pietatis laude notiſſimis, totius impietatis extremum tribuere non pudet. Ignavi & crudeles inimici! Itane ut ne remotiſſima quidem Virginum clauſtra ſatis tuta ſint adverſus maledicentiam veſtram perfugia! Dum noctu illæ & interdiu ex ſuæ ſocietatis inſtituto Chriſtum in Euchariſtiâ reſidentem adorant, noctu & interdiu Chriſti in Euchariſtiâ reſidentis, in Patris dexterâ ſedentis ab illis ejuratam fidem eſſe jactatis. Dum occultè

pro vobis, pro totâ Eccleſiâ Deo ſupplicant. Publicè vos ipſas ex Dei Eccleſiâ reſecatis. Nec aures habent illæ quibus calumnias veſtras audiant, nec linguam quâ refellant; at Chriſtus in quo abſconditæ ſunt, quandoque cum ipſo revelandæ, calumnias veſtras & audit & refellit. Auditur, auditur, Patres, ſancta illa & tremenda vox, Eccleſiæ ſolatium, ſtupor naturæ. Quàm vobis timeo, RR. PP. ne qui adverſus divinam illam vocem contumaciter obſurdeſcitis, dum miraculorum ſplendore Dei Majeſtatem oſtentat; ejuſdem vocem aliquando trementes audire cogamini, cùm judicis adverſus ſontes ipſos ſeveritatem exhibebit.

Quam tandem enim rationem tot calumniarum Deo reddetis, quæ defenſio ſuppetet, cùm eas non ex Gandii, Dicaſtilli, vel Pennaloſſæ prolubiis; ſed ex æternâ veritate, & ex ſuæ Eccleſiæ inſtitutis expendet? Illa verò calumniam adeò non excuſat, ut non minùs ſeveras in calumniatores, quàm in voluntarios homicidas conſtituerit pœnas. Primo ac ſecundo Arelatenſi Concilio ut homicidis, ſic calumniatoribus tantùm in fine vitæ dandam communionem eſſe ſancitur. Lateranenſi calumniæ convicti, tametſi correcti, ſtatu Eccleſiaſtico judicantur indigni. Iis qui falſum crimen Epiſcopo, vel Presbytero, vel Diacono affinxiſſent, minantur Pontifices ne in fine quidem vitæ communionem ſeſe daturos. Quin etiam Adrianus, maledici libelli confectores, ſi crimina quæ aliis intendunt probare nequeant, flagellis, RR. PP. cædi decernit. Uſque adeò Eccleſia à flagitioſâ Societatis veſtræ doctrinâ ſemper abhorruit, quæ calumniæ ideò crimen elevat, ut liberiùs calumnietur.

Incredibile eſt quantam hæc veſtra licentia Eccleſiæ perniciem inferret, niſi Dei nutu proviſum eſſet, ut illa veſtra calumniandi doctrina ſecum afferret veneni ſui medicinam. Nam dum calumniam criminibus eximit, detrahit calumniæ fidem. Nil prodeſt mendacium niſi cum

magnâ candidi & veracis animi opinione conjunctum: nec proficit quicquam maledicus, niſi à maledicentiâ putetur alienus. Ergo veſtrum hoc decretum, Patres, vos ipſos & fallit & prodit. Tranquillare conſcientiam veſtram ſtuduiſtis, quæ maledicere geſtiebat, damnari à Deo metuebat, omninoque illorum augere numerum voluiſtis quos Athanaſius pios calumniatores appellat. Hanc itaque ad vitanda inferni ſupplicia ſententiam arripuiſtis, quæ à vobis, ut pollicentur veſtri doctores, æternum defendit exitium: ſed dum retentâ maledicentiâ, maledicentiæ vitium effugere voluiſtis, ſperatum amiſiſtis vobis ex maledicentiâ fructum: adeò ſemper vitia ſecum pugnant, & ſe ipſa perimunt.

Majorem ergo caperetis ex veſtrâ maledicentiâ fructum, ſi Paulinum illud oraculum ſimpliciter cum aliis agnoſceretis: *Maledici regnum Dei non poſsidebunt.* Sic quidem vos propriâ voce ſententiam ferretis: at certè multò faciliùs hominum vobis adjungeretis fidem. Nunc cùm calumniam negatis criminibus accenſendam, nec fidem inveniunt calumniæ veſtræ, nec damnationem effugient. Non enim æternam Dei veritatem, Patres, ſcriptorum veſtrorum temeritas convellet; quàm autem vobis infeſta ſit veritas, certiſſimo argumento eſt quòd ad mendacium confugiſtis. Si veritas à vobis ſtaret, vobis pugnaret ipſa, vobis vinceret, vos ab inimicis veſtris quàmlibet numeroſis *ipſa liberaret*: id enim promiſit ipſamet veritas. Quid ergo ob id unum perfugium in mendacio quæſiiſtis, ut eos quibus ſeculi peccatores delinitis, occultaret errores; ac calumniis quibus Religioſiſſimos viros, at veſtris flagitiis infeſtos laceratis, autoritatem daret. Adverſante enim conſiliis veſtris veritate, locanda fuit in mendacio fiducia. Dixiſtis, ut ait Iſaias 28. *Flagellum inundans cùm tranſierit, non veniet ſuper nos; quia poſuimus mendacium ſpem noſtram, & mendacio protecti ſumus.* At quid ad illas voces refert Deus ad Prophetam? *Pro eo*, inquit cap. 30. *quod ſperaſtis*

in calumniâ & in tumultu, & innixi eſtis ſuper eo, propterea erit vobis iniquitas hæc ſicut interruptio cadens, & requiſita in muro excelſo; quoniam ſubitò dum non ſperatur veniet contritio ejus, & comminuetur ſicut comminuitur lagena ſiguli, contritione pervalidâ; & non invenietur de fragmentis ejus teſta, in quâ portetur igniculus de incendio, aut hauriatur parum aquæ de foveâ. *Pro eo,* inquit Ezechiel, *quod mœrere feciſtis cor juſti mendaciter, quem ego non contriſtavi, & confortaſtis manus impii, ut non reverteretur à viâ ſuâ malâ, & viveret; propterea vana non videbitis, & divinationes non divinabitis ampliùs, & eruam populum meum de manu veſtrâ, & ſcietis quia ego Dominus.*

Magna me ſpes tenet, RR. PP. niſi iſtam exueritis mentem, illos tandem veſtris manibus ereptum iri, qui tot modis à vobis decepti, miſerè pereunt. Non diutiùs patietur Deus tam multorum à vobis foveri flagitia, tam multorum animos calumniis veſtris infici. Alios docebit nil ipſis falſa Caſuiſtarum dogmata adverſus veritatis iram profutura: aliis juſtum timorem incutiet, ne quod vobis vel confingendis calumniis, vel in vulgus ſpargendis accerſitis exitium, idem ſibi pariter accerſant, dum illas vel auribus libenter accipiunt, vel etiam aſſenſu probant. Nemo ſibi fruſtra blandiatur, nemo ſe fallat, Deus non irridetur, nec impunè violari præceptum illud poteſt, quo cunctis in Euangelio Deus indixit, ut ne temerè de fratribus judicent, ac ne quem nocentem credant, niſi quem nocentem certò perſpexerint. Ergo quancumque pietatis ſpeciem obtendant, qui tam faciles mendaciis veſtris aures præbent, prorſus illis metuendum eſt, ne propter hoc unum crimen Dei regno æternùm excidant, quòd vobis tanta ſcelera in ſacerdotes, in Religioſas Virgines conferentibus, nil tamen probationis præter manifeſtas calumnias afferentibus, temerè crediderit. Nam, ut ait Genevenſis Antiſtes; *Vt maledici linguæ diabolus inſidet, ſic auribus maledicum audientis.* Et verè Bernardus ſerm. 24. in Cant. *Ferit,* inquit, *charitatem in omnibus qui ſe audiunt lingua maledica,*

ledica, & quantùm in ſe eſt necat funditus & extinguit. Non ſolùm autem, ſed & in abſentibus univerſis ad quos volans verbum per eos qui præſentes ſunt, venire contigerit, ut brevi ingentem multitudinem animarum velociter currens ſermo tabe malitiæ hujus inficere poſſit.

Nec tam prolixæ eſſe ſolebant Litteræ meæ, RR. PP. nec tam prope aliæ ab aliis abeſſe. Vtrumque brevitate temporis commiſſum eſt: quod enim hæc epiſtola ſit longior, ea cauſa eſt quòd eam breviorem facere non fuit otium. Properationis iſtius cauſa vobis quàm mihi notior eſt. Male cedebant vobis reſponſiones veſtræ. Pulchrum fuit igitur aliam methodum adhibere. Verior tamen ne hoc hominibus parum probetur, neve ſic vulgò exiſtiment Benedictinorum formidine de acie vos deceſſiſſe.

Pervagato undique rumori nimis credulus, honeſto cuidam viro Apologias veſtras tribueram; at hoc ipſum ægerrimè tuliſſe, illaſque à ſe factas conſtantiſſimè negare modò cognovi. Optimè ille quod tam indignum ſibi fœtum obtrudi indignatus eſt; temerè ego qui ſuſpicionem illam incautè hauſerim, incautiùs prompſerim. Quamlibet hic rumor veritatis fiduciam præferret, tamen cogitare debueram non illud ipſi judicium eſſe, ut tam ſtultis poſſet calumniis credere, non illud honoris ſtudium, ut eas in vulgus ſpargere vellet quarum falſitatem ipſe pernoſſet. Omnino iſta flagitia in paucos ſeculi homines cadunt: vobis propria ſunt, & charactere veſtro nimis impreſſa, quàm ut veniam ipſe merear, qui vos in illis non agnoverim. Populari errore ſum abreptus. Idonea quidem hæc vobis excuſatio, mihi non item, qui hoc inſtitutum profitear, nihil unquam niſi certis indiciis exploratum literis prodere. Hoc in cæteris cùm tenuerim, in hoc lapſus ſum: agnoſco culpam, & ut poſſum emendo. Vtinam exemplum de me ſumatis, RR. PP.

IN EPISTOLAM DECIMAM-SEXTAM

NOTA PRIMA.

Furioſa Ieſuitarum in horrendis calumniis contumacia.

Semper quidem mihi videbar bene cognitam habuiſſe Jeſuitarum audaciam; fatebor tamen ingenuè id quod res eſt, hîc me non mediocriter deceptum eſſe. Nam cùm decimâ ſextâ Montaltii Epiſtolâ ipſos in horrendis apertiſque calumniis concluſos & undique conſtrictos vidiſſem, ita putavi fore ut deprehenſi, ſi minus tantum Chriſtianâ confeſſione ſcelus eluerent, ſaltem ut ſuum dedecus pervicaci defenſione non augerent: quam opinionem auxerat, quòd cùm ad Epiſtolam decimam-ſeptimam quandam reſponſionem evulgaſſent, hanc decimam-ſextam ſine reſponſione diu prætermiſerunt. Cæteras igitur ipſorum ſcriptiones uno volumine collectas otioſus & nihil tale cogitans perlegebam. Ecce tibi in fronte apparuit titulus ille: *Reſponſio ad Epiſtolam decimam-ſextam*, quam ego avidus & moræ impatiens totam continuò decurri. Verùm ſi me

ipſe titulus perculerat, longè magis lectio ſtupefecit. Cohorrui, fateor, vehementiùs ad illam humanæ pravitatis imaginem, nec uſquam meliùs intellexi, qualis ille futurus ſit damnatorum adverſus infeſtam ſibi veritatem furor. Vidi hominem pondere veritatis oppreſſum, & undique catenatum; rabidis tamen, at irritis motibus in ſuis vinculis ſe ſe jactantem; ſimulque prodentem & quantùm veritatem odiſſet, & quàm adverſus illam nihil poſſet.

Quid enim affert ille furioſus? An ullâ ex parte labefactat clariſſima illa teſtimonia quibus Montaltius integerrimam Portus-Regii circa Sacramentum Euchariſtiæ vindicat fidem, ſi vindicaſſe dici poteſt, quod nulla unquam vel tenuiſſimâ ſuſpicione aſperſum eſt? Imò fatetur claram & apertam catholicæ fidei confeſſionem in iis contineri. An aliquid adverſus reſponſiones illas muſſitat, quibus indignæ Jeſuitarum circa duo Arnaldi loca cavillationes eliſæ & obtritæ ſunt? Ne verbum quidem audet proloqui. An ſceleratæ illius narrationis adſtruit fidem, quâ Arnaldus novennis tum puer, cum Janſenio, Abbate ſancti Cygirani, Petro Camus Epiſcopo Bellicenſi, Philippo Coſpeano Epiſcopo Lexovienſi, ad delendam Incarnationem anno 1622. dicitur conſenſiſſe, & libri de Frequenti Communione ſcribendi jam tum conſilium iniiſſe? Imò turpiſſimæ calumniæ turpiſſimam diſſimulationem obtendit.

Quid igitur facit? Quo pacto horribili promiſſo ſatisfacit, quo ſtatim in limine ſpondet oſtenſurum ſe *quibus rationibus graves Theologi in eam opinionem adducti ſunt, Regium-Portum, id eſt Ianſeniſtarum ſectam cum Genevâ, non ſolùm adverſus Ieſuitas, ſed etiam adverſus diviniſſimum Euchariſtiæ myſterium conjuraſſe?*

Multis primùm præter propoſitum oſtendit, Jeſuitas hæreticis odio eſſe pariter ut Janſeniſtis: quaſi non hoc vel maximè cum Jeſuitis expoſtulet Eccleſia, quod hæreticos, quos ipſa ad gremium ſuum optat revocatos, opinionum & morum ſuorum perverſitate à ſe abalienent: quaſi non hoc vel maximè dolendum ſit, quòd hæretici totam Eccleſiam ex Jeſuitarum moribus æſtiment, & toti corpori proprios unius Societatis errores adſcribant.

Deinde ad ſolitam de quinque propoſitionibus calumniam, quaſi ad oportunum ſemper hoſpitium divertit. Sed hoc Epiſtolâ 17. & 18. funditus disjicit Montaltius, ut ſuo loco videbimus.

Ad extremum poſt varias calumniarum ad rem nihil attinentium ambages, tandem deletæ Euchariſtiæ Incarnationiſque accuſationes ſic orditur. *Non vos,* inquit, *judicabo ex Fillelli teſtimonio, qui hoc de neſcio quo inaudiſſe teſtatus eſt.* At te, miſerrime calumniator; at Meinierum ſocium tuum tam horrendæ illius calumniæ ſuffragatorem; ac tuam Societatem, quæ illius in ſe autoritatem patrociniumque tranſtulit, ex illo teſtimonio judicabit Deus, & conſtitutis in maledicos & calumniatores, niſi reſipiſcatis, pœnis addicet.

Ignoſco etiam, inquit, *quòd præſentiæ localis verbis uti, tametſi Meinierio flagitante, recuſetis.* At tibi qui ſuperiorem Epiſtolam legerit, multiplicem in his verbis calumniam non ignoſcet. Falſum enim in totum repudiata præſentiæ localis verba, cùm hæc bono ſenſu à quibuſ-

quibuſdam Catholicis admitti fateatur Montaltius. Meritò tamen, Meinierium calumniæ arguit, tum quòd Catholicos Theologos, qui veritatem hujus myſterii ſignificantiſſimis verbis expreſſerunt, hoc uno nomine fraudis & hæreſeos inſimulat, quòd iſtis præſentiæ localis verbis non uſi eſſent, quæ à nullo aut Patre aut Concilio, non dico conſecrata, ſed ne obiter quidem uſurpata ſint. Deinde quòd eadem in quatuor aut quinque Tridentini Concilii canones intruſerit, ubi nunquam fuerunt, ut ſic ab illo Concilio adverſarios ſuos diſſidere probaret.

Poſt illas velitationes ad ipſum tandem congreſſum venit. *Omiſſa*, inquit, *ignoſco, arguo commiſſa. In uno libro de Frequenti Communione, de quo potiſſimum certatur, quinque reperio ſententias honori ac reverentiæ ſancti Sacramenti contrarias, ſaltem ex maximâ parte, quæ rejicit Romana Eccleſia, ſola Genevenſis approbat.*

Videamus igitur quinque illas ſententias honori & reverentiæ ſancti Sacramenti contrarias, quibus ſolis atroces illæ calumniæ negatæ tranſubſtantiationis, & realis Chriſti in Euchariſtiâ præſentiæ nituntur. Duas ex illis jam vidimus ſuperioribus Litteris ſic obtritas, ut nihil contrà Jeſuitæ muſſitarint. Tres tantùm ſupperaddit Apologiſta, quas velim ab omnibus attendi, tanquam incredibilis ſtultitiæ argumentum.

I. *Dixiſtis*, inquit, *Petrum & Paulum eſſe geminum Eccleſiæ verticem, qui unum efficiant.* Quid tum? Ergo negatis Chriſtum in Euchariſtia eſſe.

II. Dixiſtis pag. 623. ejuſdem libri, *rationem qua nunc pœnitentia adminiſtratur, generalem hominum impœnitentiam fovere.* Ergo tranſubſtantiationem negatis.

III. Dixiſtis, *eſſe quaſdam animas, quibus in voto eſſet dilatâ uſque ad finem priſcæ Eccleſiæ more communione teſtificari quantùm offenſam criminibus ſuis Dei Majeſtatem doleant.* Ergo Chriſti corpus panis & vini ſpeciebus in Euchariſtiâ ſubeſſe negatis.

Scio hîc hærere Lectores: ſcio tantam abſurditatem primâ fronte incredibilem viſum iri; & tamen nihil hîc mentior, nihil fingo. Legant relegantque reſponſionem Jeſuitarum pag. 403. videbunt ſententias quas in libro de Frequenti Communione adverſus Euchariſtiam inveniſſe ſe dictitant, non alias eſſe quàm tres illas quas recenſui, & duas illas quas refellit Montaltius. Ex illis probationibus non Arnaldo modò, ſed toti Regii Portus Monaſterio, multiſque aliis viris eruditis & piis negatæ realis præſentiæ & Tranſubſtantiationis crimen palam, apertè, aſſeveranter inſpectante orbe Chriſtiano intendit non unus è multis Jeſuita, ſed ille qui totius Societatis nomine loquitur, cujus ſcripta tota Societas adoptat, & per totam Europam ſuo nomine ſpargit. Humanum mihi videtur in Religioſâ ſocietate inſanire nonnullos; at totam ſic inſanire Societatem, & ad eum non jam dicam ſceleris, ſed dementiæ cumulum veniſſe, incredibile, inuſitatum, horrendum eſt.

Nec tamen hæc ſine ſingulari quâdam in Eccleſiam Dei providentiâ arbitror contigiſſe. Difficiles ſunt illæ de gratiæ myſteriis con-

controverſiæ, & quibus Jeſuitas inter & Auguſtini defenſores jam diu certatur: abhorrent illæ à populari intelligentiâ, nec ægrè imperitis in rebus impeditis illudi poteſt. Clarum & manifeſtum in Eccleſiâ monimentum extare voluit Deus, ut poſſent vel ſimpliciſſimi cognoſcere, penes quos innocentia & veritas eſſet. Aſſerunt Jeſuitæ ab Auguſtinianis quinque propoſitiones defendi. Negant illi, & ſe tantùm vulgarem Thomiſtarum de gratiâ efficaci doctrinam amplecti reponunt. Hærere hîc ſimplices neceſſe eſt, quia fugit illa quæſtio populi captum. Sed iidem Jeſuitæ ab Auguſtinianis negari Euchariſtiæ myſterium, negari tranſubſtantiationem impudenter affirmant. Jam nihil hîc reconditum, nihil abſtruſum; patet & erumpit maledicentia Jeſuitarum. Ergo de occultis ſimplices illi ex apertis ſtatuant; & cùm Jeſuitas teneant tam apertè calumniæ reos, hinc diſcant ipſis nihilo magis eſſe credendum, cùm proſcripta à ſummo Pontifice capita, aut nunc ab adverſariis ſuis defendi, aut aliquando defenſa criminantur.

Nota II.

Hiſtoria precatiunculæ de ſancto Sacramento.

Habent Jeſuitæ communes quoſdam calumniarum locos, ad quos excurrunt quoties in aliquo capite inſtare ſibi vehementer adverſarios ſuos vident. Verùm hæc ipſis methodus nunquam magis neceſſaria fuit, quàm in illo negatæ Tranſubſtantiationis, negatæ Incarnationis crimine, quod horribili cœcitate in laudatiſſimos viros, religioſiſſimumque Monaſterium contulerant. Nihil habebant quod pro ſe, pro Fillello, pro Meinierio ſuo loquerentur. Ergo ad veteres fabulas, ad trita calumniandi ſpatia confugerunt, è quibus eſt illa ſcriptiuncula, cui titulus: *Diviniſſimi Sacramenti arcana precatio*: Gallicè: *Le chapelet ſecret du tres-ſaint Sacrement*; quam notiſſimam omnibus exortæ de eâ lites effecerunt. Ex hoc emblemate maximam propudioſæ illius Epiſtolæ Jeſuita confecit partem, ſingularique abſurditate perpetuam Chriſti Dei & hominis in Sacramento Euchariſtiæ reſidentis adorationem (nihil enim aliud habet iſta precatio) ad evertendam Incarnationis & Euchariſtiæ fidem compoſitam fingit. Ergo ne in re ignotâ Lectores hæreant; gratum me ipſis facturum arbitror, ſi brevem illius concertationis hiſtoriam ex variis libellis eâ de re editis ductam, paucis hoc loco prætexam; nec illos patiar tanta Jeſuitarum fraudari calumnia.

Anno circiter 1628. Virgo Religioſa cui nomen Agnes à ſancto Paulo in Monaſterio Regii Portus pias quaſdam cogitationes, & reſiduas ex rerum cœleſtium meditatione ſcintillas juſſu Patris de Gondren Presbyterorum Oratorii Præpoſiti Generalis tribus aut quatuor paginis conſignarat. Hæ ad Epiſcopum Lingonenſem qui tùm Religioſam illam domum regebat ſecretò tranſmiſſæ, multùmque ab eo probatæ, tandem neſcio quo modo in aliorum manus venerunt, inſciente prorſus illa Virgine quæ primùm eas conſcripſerat.

Notat ſapienter Cardinalis Bellarminus in lib. de Scrip. Eccl. id iis qui de myſtica Theologia ſcribunt, accidere ſolere, ut eorum dicta ab aliis reprehendantur, ab aliis laudentur; quia non eodem modo ab omnibus accipiuntur. Hoc & Taulero contigiſſe narrat, quem ut ſuſpectum in fide contempſit Joan Ekius; egregiè defendit Ludovicus Bloſius; & Joanni Rusbroxio, quem carpſit Ioannes Gerſon, defendit Dionyſius Carthuſianus. Idem prorſus myſticæ illi precatiunculæ accidit. Nam cùm in Archiepiſcopi N. manus veniſſet, inter quem & Epiſcopum Lingonenſem occultæ quædam ſimultates intercedebant, celſiorem ille iſtius ſcriptiunculæ doctrinam ad peſſimos ſenſus detorſit, & ut ab octo Sorbonæ Doctoribus damnaretur effecit, tacito nomine Virginis illius Religioſæ unde manatat; ne de ipſa Scriptione magis ex notiſſimâ illius virtute, quàm ex ipſâ verborum ſpecie judicarent, ut poſtmodum queſtus eſt Hallerius doctor Sorbonicus ſatis notus, & alii quidam ex Cenſorum numero, qui ſe deceptos eſſe non obſcurè præ ſe tulerunt.

Hæc ubi Cenſura manavit in publicum, Epiſcopus Lingonenſis pro ſe quoque contraria Doctorum ſuffragia quæſivit & invenit tum Pariſiis, tum etiam Lovanii. Pariſienſium approbationes typis non expreſſæ ſunt. Extant Lovanienſium duæ, nempe Cornelii Janſenii & Liberti Fromundi, quas hîc attexere non pigebit, quia inſigni eloquentiâ ſplendent.

Hæc deſideria animæ, inquit Fromundus, *divino amore ebriæ, & in Chriſtum transformatæ, nihil immodicum continere videntur, ſi quis linguam amoris intelligat, & quas habere eam cogitationes deceat, quæ ſibi feliciter elapſa, in abyſſo divinitatis natat. Lovanii poſtridie Idus Iulias* 1633.

Janſenii autem approbatio ſic habet. *Sicut amor*, inquit, *in agendo liberrimus eſt, ita & loquendo. Verborum* ἐκλείψεις *negligit, quia non tam ore quàm corde loquitur, ubi conſcientia ſui ſecura, amantis omniáque penetrantis perſpicacia ſuppleri novit, quicquid ſignorum anguſtia & balbuties linguæ præpedit, ne fervor amoris ſimul profundat. Friget ei apicum interpretatio, quando abſente calumniæ metu, tam amanti quàm redamanti citra ſignorum ſubſidium nexus veritatum patet. Oſtendit hæc peroportunè paraphraſtica iſta declaratio, juxta quàm verè dixeris nihil in iſtis ardentibus animæ religioſæ votis contineri quod à fidei Chriſtianæ regula deflectat. Lovanii decimo Kalendas Auguſti* 1633.

Brevi itaque tota Sorbona in partes diſtracta, cùm alii huic ſcriptioni faverent, alii in eam iniquiores eſſent. Hinc factum ut ejus adverſarii non auſi rem Facultatis arbitrio permittere, propitiamque ſibi magis putantes fore Romanam Curiam, eò precationem Cenſurâ, uti ſperabant, inurendam miſerint. Verùm prudentiſſimo judicio ſummus Pontifex nullâ eam ignominiâ notandam cenſuit, tantùm ad rudiorum offenſionem vitandam comprimi mandavit.

Dum hæc Romæ geruntur, interim graviùs Pariſiis contentiones exarſerant. Erat tum in hâc urbe inſignis ille ſancti Cygirani Abbas, quem tum virtus & eruditio ſingularis, tum atrox in illum Jeſuitarum nobilitavit furor. Ad hunc ut totus litteris erat immerſus,

tardè admodum iſtarum turbarum fama pervenit, ſed pervenit tamen. Nunquam ille Religioſam illam Virginem viderat, aut cum eâ locutus erat: tamen ut tum illam myſticam ſcriptionem, tum vulgatæ adverſus illam octo Doctorum Cenſuræ iniquitatem perſpexit, indignatus vehementiùs, incognitæ ſibi Virginis innocentiæ ſubveniendum decrevit. Itaque ſic Cenſuram illam, ſic Patris, ut ajunt, Bineti Jeſuitæ libellum adverſus illam precationem editum diſpunxit, eo robore criminationes ejus diſcuſſit, & quæ impeditiora in iſtâ precatione videbantur, eo lumine illuſtravit, ut prorſus exarmaſſe adverſarios videretur.

Totam hanc lucubrationem ſublimi & recondita, quâ illuſtris ille Theologus abundabat, eruditione pleniſſimam, hoc ſolido fundamento ſuperſtruit: *Vt intelligatur,* inquit, *iſta doctrina, hoc primùm ſupponendum eſt: Cùm Religioſæ huic Virgini Chriſtum ſupra creaturas extollere propoſitum fuiſſet, ſemper illa Chriſtum ſpectat & affatur quatenus Deum & in propriâ Dei natura, non quatenùs formam ſervi pro nobis accepit: contrà in hominibus attendit non felicem illum in quo conditi ſunt ſtatum, ſed miſerum illum, in quem peccando delapſi ſunt. Sic Dei magnitudinem extollens, & propter ipſam divinæ naturæ præſtantiam, & propter ſummam naturæ humanæ peccato corruptæ indignitatem, quò illuſtrior fieret ejus bonitas, qui tot in homines quàmlibet indignos beneficia effuderit. Sic Chriſtum tantùm ex divinæ naturæ dotibus extollens, quantum ſe in Euchariſtiæ ſacramento humilitate depreſſit, charitatem Chriſti ſuâ quodammodo charitate repenſans.*

Ad hunc modum eruditiſſimus ille ſcriptor quæcunque octo illis Doctoribus diſplicuerant, tam ſano & catholico ſenſu interpretatur, ut ille qui invictæ illi reſponſioni auſus eſt infirmiſſimam ſcriptionem reponere, cùm fateretur orthodoxo quidem & maximè catholico ſenſu Religioſæ Virginis locutiones expoſitas, id unum contenderit, hunc ſenſum non obvium eſſe, ſed aliquatenus violentum. Quas iterum cavillationes ſic penitus obtrivit Abbas ſancti Cygirani, ut nulla planè in totâ hâc materia difficultatis umbra ſupereſſet. Rari ſunt admodum illi libri, quos extulit iſta contentio, mihique multo labore comparati; ſed inprimis digni qui prælo iterentur. Clariſſimi enim illius Abbatis ingenium ſemper ſuſpexi; tamen in iſtius argumenti ſalebris mihi præcipuè viſum eſt eminere. Incredibile eſt enim quo lumine res implicatiſſimas expediat, quo robore adverſarium verſet, & nullo in loco conſiſtere patiatur.

Atque hæc de illa hiſtoriuncula ad populariuın meorum utilitatem interponere libuit, ne Jeſuitarum calumniis abripiantur. In qua ut videre eſt, triplicem fallaciam innectunt. 1. enim precatiunculam illam nunc ab ipſo ſancti Cygirani Abbate compoſitam, nunc ejus conſilio ſcriptam mendaciter aſſerunt, quamvis ille Religioſam illam Virginem ne noſſet quidem, & ipſam precatiunculum nonniſi quadriennio pòſt viderit.

2. ipſius precatiunculæ verba in blaſphemos ſenſus & alieniſſimos ab illius Virginis mente detorquent, ut latè duobus illis quæ dudum indicavi voluminibus comprobatum eſt.

3. Poſtremò

3. Poſtremò per ſummam injuriam blaſphemias illas, quas ex detortis eliciunt iſtius precatiunculæ verbis ejus defenſoribus attribuunt. Nam quicunque tandem illius à qua ſcripta ſunt Virginis ſenſus extiterit, certe à ratione alienum eſt his blaſphemias illas aſſignare, qui cùm propalam illas execrarentur, in iſta tamen ſcriptione contineri negabant, eamque benigniùs interpretabantur.

NOTA III.

Brevis narratio Miraculorum quæ per vivificam ſpinam in Portus Regii monaſterio Pariſiis edita ſunt.

In tota hac Epiſtola, nihil incitatione majori fertur, nihil majori eloquentia ſplendet, quàm hic locus: *Ecquid vos pudet, Patres, tam crudeliter eas* (Regii Portus Virgines) *probris & maledictis onerare, quæ nec aures habent quibus calumnias veſtras audiant; nec linguam habent, qua refellant. At Chriſtus, in quo nunc abſconditæ ſunt, quandoque cum ipſo revelandæ, calumnias veſtras & audit & refellit. Auditur, auditur, Patres, ſancta illa & tremenda vox, Eccleſiæ ſolatium, ſtupor naturæ: Quam vereor, Patres, ne qui adverſus divinam illam Chriſti vocem contumaciter obſurdeſcitis, dum miraculorum ſplendore Dei majeſtatem oſtendat, ejuſdem vocem aliquando trementes audire cogamini, cum judicis adverſus ſontes ſeveritatem exhibebit.*

Ne hujus loci à noſtris ignoretur elegantia, inſtituenda mihi narratio inſignium miraculorum quibus Deus Portus regienſe monaſterium, crudeliſſimè à Jeſuitis omni calumniarum genere vexatum, his poſtremis annis nobilitavit; ut Jeſuiticæ genti quàcunque diffuſæ, & quàcunque diffuſa eſt calumnianti, omnibus etiam locis veritas, præli beneficio multiplex, ad eorum calumnias retundendas occurrat.

Diu eſt cùm Portus-Regii monaſterium omnibus modis oppugnant Jeſuitæ. Cauſæ odii variæ; ſed illæ præcipuæ, quòd illud à ſororibus Arnaldi Angelica & Agnete diu gubernatum eſt; quòd ſex Arnaldi ſorores cum ipſiuſmet matre, & totidem Andillii fratris tota Gallia notiſſimi filiæ, ſacrum ibi velamen acceperunt: poſtremò quod ipſe Arnaldus diu in hoc Monaſterio ſacerdotis & Confeſſarii obiit partes, opportunum hîc ſtudiis ſuis ſeceſſum nactus. Ergo huic cænobio tot ſibi rationibus inviſo peſtem machinari multis abhinc annis Ieſuitæ non ceſſant. Sed anno 1656. pene facti ſunt votorum ſuorum compotes, ita multas & graves huic religioſæ domui calamitates intulerunt. Sed ut modum cupiditas & odium neſcit, quò plus nocuerant, eò diligentiùs omnes nocendi aditus pertentabant. Præſertim autem eò illorum incumbebat malevolentia, ut magnus puellarum numerus, è quibus nonnulla ſunt primæ nobilitatis, ab hoc monaſterio ubi educantur, abſtraheretur.

Jamque adeò crebreſcebant minæ & tantæ cladis prænuntii rumores; nec tamen ſacris Virginibus, quibus chariſſimas alumnas ereptum ibat inimicorum iniquitas, certa de divinâ ope fiducia deceſſerat, quàmvis nulla ex hominibus ſpes affulgeret. Hîc verò

Deus,

Deus, qui famulis ſuis hominum violentiâ preſſis gaudet nonnunquam inuſitatâ ratione ſubvenire, admirandum edidit ſuæ in illam familiam benevolentiæ ſignum.

Erat inter alumnas iſtius monaſterii quædam puella nobilis, nomine Margareta Perier, jam inde à tribus annis periculoſa & fætidâ ægylope laborans. Fruſtra in eâ curanda Pariſienſes chirurgi celebratiſſimi omnem ſuam induſtriam exhauſerant vincebat medicorum peritiam morbi gravitas. Jam enim ipſum os narium computruerat, & purulentus humor ſibi ex oculis in guttur foramen terebraverat, duplicique alveo hinc in palatum, inde in faciem defluebat. Is erat puellulæ aſpectus, ut horrerent omnes; is fætor, ut vix patientiſſimi tolerarent. Itaque ad extrema remedia feſtinabant chirurgi, tempuſque jam ad admovendum ignem conſtitutum; evocatus ad triſte ſpectaculum parens: cùm ſingulari prodigio Deus & hujus adoleſcentulæ morbis, & totius familiæ periculo ſubvênit.

Eſt quidam Pariſiis ſacerdos cui nomen De la Poterie, nobilitate pariter & virtute præſtans, præcipua verò quadam in ſanctorum Reliquias pietate, quarum, & quidem probatiſſimarum tantum in ſacello ſuo numerum corrogavit, quantum vix ullus alius in Europa privatus. Hic unam de Chriſti corona ſpinam, non ita pridem comparatam, ad varia Lutetiæ monaſteria Religioſarum Virginum rogatu, venerandam miſerat. Quod ubi reſciverunt Sanctimoniales Portus-Regii, ſimili pietatis affectu, idem ab ipſo beneficium & popoſcerunt & impetrarunt. Ergo illa ſtatim omnibus ad venerandum expoſita die 24. Martii anno *1656.* Mox ſingulæ ordine Religioſæ ad illam catholico ritu honorandam acceſſerunt. Quæ tum illius puellulæ curam gerebat forte in illam oculos conjecit, ejuſque faciem ſanie defluente turpatam, & præter ſolitum horribilem aſpexit: ergo miſericordia vehementiùs commota, monuit ut in ſalutationis officio oculum ſuum ad vivificam ſpinam admoveret: paruit puella, & nihil aliud cogitans, quod monebatur implevit. Incredibile dictu hoc momento totum illud vitium abſceſſit: obſtructum illud foramen; os ipſum carie jam exeſum in integrum reſtitutum: ne cicatrix quidem tanti vulneris ſuperfuit. Non multò pòſt advocati complures tum medici tum chirurgi, qui ad curationem adhibiti fuerant; vix oculis ipſi credebant ſuis, vix illum ægrum ab alio internoſcebant, ita plenam ille & integram ſanitatem receperat.

Tanti miraculi fama à Religioſis compreſſa Virginibus, ab ipſis chirurgis & medicis palam diſſipata eſt. Ex templo omnes ad monaſterium illud confluere, quò ſacram illam ſpinam venerarentur. Tum ego Pariſiis verſabar externus, nec mediocrem cum clariſſimo viro D. Paſcal omnibus Europæ Mathematicis notiſſimo uſum contraxeram, propter illorum in quibus aliquando gravioribus fatigatus acquieſco, ſtudiorum ſocietatem. Is erat iſtius puellæ avunculus; idem & tanti miraculi teſtis omni exceptione major. Hujus cauſa ipſe quoque cum cæteris Portum Regium petii; commonſtrari mihi puellam curavi: at ſicut tum illi integerrimæ

fidei

fidei viro, tum ſpectatiſſimis medicis & chirurgis de morbo crediderām, de ſanitate mihi credidi. Poſtremò ne quid ad faciendam fidem deeſſet, ipſa quoque Eccleſiæ acceſſit autoritas. Totâ re à Vicariis Archiepiſcopi Pariſienſis cum graviſſimis Theologis diligenter diſcuſſa, haud dubium divinæ potentiæ miraculum in illa curatione interveniſſe communi omnium conſenſu pronuntiatum eſt undecimo Kal. Nov. 1656.

Jam verò ſponte omnes in eam opinionem venerunt, hoc divino teſtimonio omnibus Deum oſtendere voluiſſe, quàm iniquis calumniis hoc monaſterium à Jeſuitis vexaretur. Nulli enim veriſimile viſum, hunc potiſſimùm locum ad exercendam benignitatem ſuam à Chriſto electum, ubi jacta novæ hæreſeos ſemina Jeſuitæ prædicabant. Itaque frementibus illis licet, ingruentis procellæ mitigata tantiſper aſperitas: tota urbs Pariſiorum ſuis veluti ſedibus convulſa, ad hoc monaſterium in extremo ſuburbio ſitum, ſingula quaque ſexta feria ventitabat, & etiamnum ut audio ventitat; & cùm Jeſuitæ omnibus modis ab illo pietatis officio populum deterrerent, tamen illorum monitus nihil morati Pariſienſes, hæc Religionis officia magis in dies frequentarunt, præcipuè cùm hæc ſibi grata eſſe & accepta Deus novis ſubinde prodigiis, novis curationibus teſtaretur. Multas recenſet vir eloquens, qui hâc de re egregiam edidit ſcriptionem: multæ quoque poſt meum ex hac urbe digreſſum ad me perlatæ ſunt, multæ quotidie perferuntur; & inprimis duæ inſigniores, quarum alteram certum eſſe miraculum Senonenſis Eccleſia poſt diligens examen declaravit die 14. Decembris anno 1656. alteram iterum Pariſienſis die 29. Auguſti anno 1657.

Et quod magis etiam animadvertendum eſt, extrema illa miracula poſt exortam de miraculis contentionem, poſt Alexandri Pontificis Conſtitutionem edita ſunt, poſtquam denique varii ſcriptores non obſcurè tota Gallia prædicaſſent, his miraculis Regii Portus vindicari fidem, & Jeſuitarum calumnias divina authoritate revinci. Nec alius fuit totius penè Galliæ, & præcipuè Pariſienſium ſenſus, quibus fruſtra Jeſuitæ perſuadere conati ſunt ab hæreticis nonnunquam edi, Deo ſinente, miracula. Ipſe enim chriſtianæ pietatis ſenſus omnibus impreſſus hanc opinionem reſpuebat, ut populorum eam Eccleſiam frequentantium pietatem, quam periculoſam & noxiam Ieſuitæ aſſerebant, inuſitatis Deus curationibus remuneraretur; & quod gravius eſt, hominibus qui palam iſtis miraculis abuterentur ad erroris confirmationem, novis ſubinde miraculis fidem & autoritatem daret. Multò magis etiam hanc opinionem graves Theologi repudiarunt, quorum certa & conſtans ſententia eſt, illo circumſtantiarum concurſu nunquam à Deo patrari miracula, quò populi in errorem induci poſſint; multumque adeò Ieſuitis ſuccenſuerunt, quòd tantùm privatis offenſionibus indulgerent, ut dum inviſam ſibi domum miraculorum præſidio exarmare ſtudent, inſignem hanc etiam Eccleſiæ dotem eriperent, & cum hæreticis communicarent.

Atque hæc de inſignibus illis miraculis, quibus & Catholicam

 Eccle-

Eccleſiam, & hoc monaſterium illuſtravit Deus, ſumma diligentia exquiſita ad bonorum ſolatium hîc attexenda cenſui, neſcio quorum moroſitatem nihil moratus, quos ipſa miraculorum offendit mentio. Hoc autem in hac clauſula libet admonere, ut potiùs quàm aliorum credulitatem reprehendant, hanc à certis miraculis alienationem, ex gloriolæ potiùs ſtudio quàm ex judicii firmitate profectam ipſimet deponant. Fabuloſas enim miraculorum narrationes avidè conſectari, certiſque & exceptione majoribus teſtibus confirmatas præfractè rejicere, diſſimilis vitii, ſed æqualis tamen: illud levitatis argumentum, hoc impietatis indicium. Horum vitiorum alterum mihi vitare ſtudium fuit, ne quid imprudenter rumoribus crederem: alterum lectoribus vitandum eſt, ne divinæ potentiæ diffidant, nec Domini manum hoc tempore contractam exiſtiment, & divinam virtutem ex humanæ imbecillitatis modulo metiantur.

EPISTOLA DECIMA SEPTIMA.

AD

R.P. ANNATVM, IESVITAM.

Decimo Kal. Feb. 1657.

Credideram, R. P. Societatem tuam contentionis tandem pertæſam ad quietem animum appuliſſe. Eam mihi opinionem attulerat ſodalium tuorum non obſcura concurſatio, quò utrique parti autoritate regiâ ſcriptis interdiceretur. Itaque ad otium converſus, quidvis jam aliud quàm pugnam cogitabam. Cùm repentè paucis diebus magnus libellorum numerus in lucem emiſſus, nihil eâ pace fragilius oſtendit, quæ ex Jeſuitarum ſilentio pendet. Neſcio an ex uſu Societatis tuæ illa belli integratio futura ſit. Illud interim gaudeo, oportunum ſic mihi locum dari obterendæ vulgaris calumniæ, quâ me paſſim hæreticum confidenter appellatis.

Scilicet illa ſemel comprimenda audacia eſt, quâ mihi petulantiùs in dies hæretici nomen imponitis. Tam apertè id, tam inſolenter in poſtremo libello tuo facis, ut jam nec ferri poſſis, nec debeas. Tandem enim in ſuſpicionem

veni-

veniret fides mea, ni ejuſmodi crimen pro ipſius gravitate graviter vehementerque retunderem. Nam in Sodalium quidem tuorum ſcriptis utcunque poteram illud contemnere, cum multis aliis ridiculis calumniis quas illi promiſcuè congerunt, confuſum atque permixtum. Satis illis eſſe poterat Epiſtolæ xv. generalis reſponſio. Nunc aliâ longè ratione idem mihi crimen intendis. Præcipuum in eo cauſæ tuæ firmamentum ſeriò collocas: non aliam fermè jam adhibes defenſionem; nec vereris palam prædicare, quindecim Litteras meas ſatis idoneâ exceptione repulſas, ſi me manifeſtum hæreticum, & eâ re omni prorſus indignum fide quindecies occinatur. Poſtremò ita tibi non dubia eſt mea ab Eccleſiâ defectio, ut illam quaſi conceſſam ſumas, & ſuper eâ quaſi ſolido fundamento reliquam orationem extruas. Itane igitur, mi Pater, ſeriò me hæreticum dicis? Seriam igitur accipe reſponſionem.

Intolerandæ temeritatis reum eſſe qui tantum hoc crimen in alterum ſine probatione conferat, ſatis intelligis. Quæro igitur ex te, mi Pater, quid afferas quo me hæreticum probes? Quis me unquam Carentonii cum Calviniſtis vidit? Quandonam vel Miſſæ non affui, vel cæteris Catholicorum officiis defui? Ecquod meum factum afferre potes, quo me hæreticis adjunxerim, ab Eccleſia disjunxerim? Eccui Concilio refragatus ſum? Ecquod ſummorum Pontificum decretum violavi? Reſpondendum eſt, Pater, aut jam Valeriani Patris intorquebo telum. Scis quid loquar. Quid igitur refers? Velim hoc diligenter ab omnibus adverti. Sumis primùm, *Epiſtolarum Provincialium ſcriptorem è Portu-Regio eſſe.* Addis; *Regium-Portum hæreſeos damnatum.* Hinc ſyllogiſticè efficis, *Epiſtolarum ſcriptorem hæreticum eſſe.* Non igitur me nominatim petit accuſatio tua, mi Pater, ex Portu tantùm Regio in me reſilit. Quod me inter Portus Regii ſcriptores recenſeas, ô crimen depulſu facile! imò jam depulſum. Dudum enim tibi denuntiavi, iterúmq; denuntio, è Portu Regio me

 non

non eſſe : quod te docere potuerant litteræ meæ, in quibus diſertis verbis ſolum me eſſe dixi, è Portu-Regio eſſe negavi, uti videre potuiſti in Epiſtolâ XVI. quæ ſcriptiunculam tuam anteceſſit.

Alia igitur argumenta conquiras oportet, ſi me velis hæreticum probare; alioquin imbellis apud omnes calumniator audies. Efficiendum tibi eſt ex ſcriptis meis Innocentii Conſtitutionem à me repudiatam: non magno illa numero ſunt: ſexdecim tantùm excutiendæ ſunt Litteræ, in quibus ſi tu, ſi quiſquam alius aliquid repererit quod ab illâ Conſtitutione diſſideat, nullam à me infamiam deprecor; ſed neminem id præſtiturum fidenter ſpondeo.

Ego verò, mi Pater, facilè ex his Litteris demonſtrabo, Pontificiæ Conſtitutionis doctrinam mihi probari. Recognoſce enim hanc Epiſtolæ XIV. periodum: *Qui ex Ieſuitarum decretis fratres ſuos à crimine recentes interficiunt, hi tartaro demittunt illos pro quibus Chriſtus mortuus eſt.* Parumne hîc apertè profeſſus ſum pro illis damnatis mortuum eſſe Chriſtum, ac proinde non pro ſolis prædeſtinatis mortuum eſſe, quod in quintâ Propoſitione meritò proſcribitur?

Certum eſt igitur, mi Pater, nihil à me dictum, quo quinque illa impia & mihi deteſtata capita defenderem; & quamvis Regius-Portus illis teneretur erroribus, nihil tamen inde adverſus me elici poſſe fidenter prædico. In nullorum enim hominum ſenſus juravi: uni demum in terris Catholicæ, Apoſtolicæ & Romanæ Eccleſiæ addictus, in quâ vivere & mori mihi propoſitum eſt, cum Romano Pontifice totius Eccleſiæ capite communione conjunctum, extra quam mihi certum eſt nulli aditum ad ſalutem patere.

Quid jam molieris, mi Pater, adverſus hominem tam apertâ fidei ſuæ profeſſione omnes ſuſpiciones amolientem? Aut quâ me tandem viâ adorieris, quando objectandæ mihi hæreſeos cauſam aut colorem nec ſcripta nec

ver-

verba ſuppeditant, & adverſus minas veſtras circumfuſa me caligo defendit? Ferit vos manus nulli conſpicua, quæ cunctis doctrinæ veſtræ labes conſpicuas facit. Fruſtra pro me alios impetitis, quibuſcum me putatis eſſe conjunctum; nec mihi impetum veſtrum timeo, nec ulli: nec enim vel ſocietati, vel privato cuiquam aſtrictus hæreo. Sic in me Societatis gratia tota marceſcit. Nec ſpero quicquam in terrâ, nec metuo, nec volo. Nullius bonis egeo, nullius autoritate. Ergo, mi Pater, undique petitionibus veſtris elabor; nec ullâ me ex parte poteſt Societas tua prehendere. Regium vobis Portum vexare facile eſt; me verò non item. Pulſi Sorbonico domicilio nonnulli; ego interim quietus in domo manſi, & maneo. Adverſus doctores, adverſus ſacerdotes vis parari à vobis poteſt: adverſum me non poteſt, nec doctorem, nec ſacerdotem. Itaque cum nullo vobis fortè congredi contigit vel adverſus aſſultus veſtros tutiore, vel ad errores veſtros impugnandos paratiore. Liber, ſolutus, expeditus ſum: nulli devinctus, cum nemine implicatus, negotiis vacuus, Jeſuiticæ doctrinæ non ignarus, certus illam inſequi, quandiu id à me Deum poſcere arbitrabor; nec ulla me humana ratio ab hoc incepto vel retrahet, vel retardabit.

Quid juvat igitur aut te aut ſodales tuos, cùm nihil adverſum me poſſitis, tot calumniis onerare homines à noſtris contentionibus alienos? Siccine putatis his mihi effugiis eripi? Non ita, mi Pater. Veritatis quam vobis oppono pondus ferendum eſt, invitis licet. Totam chriſtianam morum diſciplinam funditus à vobis everſam objicio, quòd deleto amandi Dei præcepto virtutem à charitate disjunxeritis: vos neſcio quem Meſterum, hominem mihi penitus ignotum, qui ſibi ante quindecim annos vel inſaniâ vel deſperatione mortem ipſe conſcivit, objicitis; quaſi ad hoc facinus gratuitæ prædeſtinationis illum doctrina induxerit, cujus tamen ipſum tam ignarum fuiſſe conſtat, quàm recentium Caſuiſtarum præceptis imbu-

tum. Cædem ob pomum ereptum à ſcriptoribus veſtris, cum id ignominioſum putatur, permiſſam exprobro: vos arculam ſancti Mederici à ſacerdote quodam recluſam reponitis. Quorſum etiam toties mihi ex libro de ſanctâ virginitate à Presbytero Congregationis Oratorii compoſito crimen conflatis, cùm nec illum ſcriptorem, nec illum libellum unquam viderim? Te miror, mi Pater; miror Societatem tuam, quæ omnes adverſarios ſuos tanquam unum hominem ſpectat, illaſque odio ſuo in unum quaſi conflat & colligit reproborum corpus, cujus ſingulis membris univerſorum facta præſtanda ſint.

Falleris vehementer, mi Pater, ſi de Jeſuitarum adverſariis itidem ut de Jeſuitis exiſtimandum putas; nihil enim diſſimilius. Unum verè conſtituitis corpus, unius præpoſiti mente devinctum: prætereà inſtitutis & conſtitutionibus veſtris vobis edicitur, ne quid præpoſitorum injuſſu in vulgus emittatis: ipſi ſingulorum errores præſtare jubentur; nec illis cauſari licet errores illos ſibi minùs animadverſos, cùm illos animadvertere debuerit. Hoc Conſtitutionibus veſtris, hoc generalium præpoſitorum Aquavivę & Witeleſchi litteris nominatim decernitur. Ergo non injuriâ vobis illi exprobrantur errores, qui in libris, Præpoſitorum veſtrorum juſſu, & Theologorum aſſenſu editis offenduntur. Aliter de me ſtatuendum eſt. Nunquam libro de ſanctâ virginitate ſubſcripſi: omnes licet Lutetiæ arculæ recludantur, nihilominùs Catholicus ero. Poſtremò clarè & apertè à nemine meas præſtari Litteras profiteor, nec quicquam præter meas Litteras à me præſtari.

Poteram non ultra progredi, mi Pater, & illorum defenſionem omittere in quos hæreſeos crimen confertis, ut eodem involvar. At quia huic calumniæ veſtræ locum quodammodò dedit noſtra contentio, non omittendum hunc locum eſſe judicavi, ut illorum famam à tanto crimine defendam. Tria enim hinc ad rationes meas opportuniſſima conſequar. Primùm, quod magni referre mihi videtur,

tur,

tur, clarorum virorum innocentiam indigna criminatione vexatam tuebor. Deinde, quod inſtituto meo mirè congruit, magis magiſque Politicæ veſtræ calliditatis in illa accuſatione concinnanda artes aperiam. Poſtremò, quod ego vel præcipuum puto, omnibus oſtendam quam falsò cum gravi populi chriſtiani offenſione paſſim à vobis diſſipetur hic rumor, nova hæreſi Eccleſiam in partes trahi. Et quia innumeros hoc pernicioſo errore inficitis, in iſta controverſia fidem agi, hanc opinionem ex illorum animis evelli, totamque controverſiæ ſummam dilucidè atque diſtinctè explanari, graviſſimi eſſe momenti puto, ut ſimul nullos eſſe in Eccleſia hæreticos clareat.

Age igitur, mi Pater; ſi quis roget ubinam illorum quos Janſeniſtas vos appellatis, ſita ſit hæreſis, ecquid non continuò veſtri ſubjicient, in eo poſitam eſſe, *quòd Dei mandata eſſe impoſſibilia: Gratiæ reſiſti non poſſe: Ereptam nobis bene & malè agendi libertatem: Chriſtum non eſſe pro omnibus mortuum, ſed tantùm pro prædeſtinatis: Poſtremò quòd illas ab Innocentio X. proſcriptas propoſitiones pertinaciter defendant?* Quid aliud obtenditis cauſæ, cur illos tam violenter inſequamini? Quid aliud loquuntur libri veſtri, ſermones, conciones, catecheſes? Exemplo ſit illa quam vos Pariſiis altera poſt Dominicam Nativitatem feria habuiſtis, in qua ſic puellulam paſtorali indutam habitu Jeſuita ſcenicus interrogavit: *Potin' es dicere mea tu, pro quibus venerit Chriſtus?* Illa autem: *Pro omnibus*, inquit, *hominibus venit, mi Pater. Non tu ergo*, inquit Jeſuita, *ex illorum nuperorum hæreticorum numero es, qui Chriſtum ajunt ſolis demum prædeſtinatis veniſſe?* His pueri & puellæ fidem adhibent, & alii plerique. Nam ſimilibus fabulis imperitam plebem ducitis. Noſti, mi Annate, quid nuper Craſſeto ſodali contigerit, cui Epiſcopus Aurelianenſis ſacris concionibus interdixit. Nec diffitebor in eorum me fuiſſe numero quibus aliquando impoſuiſtis. Fuit illud tempus cùm vobis autoribus erat mihi ſuſpecta aliquantillùm adverſariorum

veſtrorum fides. Itaque cùm illos ſuper iſtis propoſitionibus urgere cœpiſtis, quo pacto reſponderent diligenter obſervabam; ſtabatque ab illorum familiaritate recedere, ſiquid in his manifeſtis doctrinæ piaculis rejiciendis vacillaſſent. Verùm illi nemini ullam dubitandi cauſam reliquerunt, ita clarè & apertè impia illa dogmata damnarunt.

In primis Doctor Sanbovius regius in Sorbonâ profeſſor, in publicis prælectionibus multò ante ſummum Pontificem propoſitiones illas ſigillatim cenſurâ inuſſit. Cæteri Auguſtiniani doctores variis idem ſcriptis præſtiterunt, & præſertim autor libri de Gratiâ victrice ſub hæc tempora editi, ubi propoſitiones iſtas tanquam à ſe alienas & ſimul hæreticas proſcribit. *Propoſitiones illæ*, inquit, *hæreticæ ſunt, Lutheranæ, ad libitum confictæ; nec in Ianſenio, nec in ullis ejus defenſoribus extant.* Hæc illius verba ſunt,& eam ob rem graviter cum Jeſuitis expoſtulat, quòd tam impias Auguſtinianis ſententias affingerent; iiſdemque adverſus illos utitur verbis quibus Proſper, inter Auguſtini diſcipulos princeps, adverſus Semipelagianos uſus eſt, qui ſimili fraude fictis ad arbitrium ſententiis Auguſtino invidiam quærebant. *Quidam*, inquit ille in præfatione reſponſionis ad capitula objectionum Vincentianarum, *chriſtianæ ac fraternæ charitatis obliti, in tantum exiſtimationem noſtram quoquo modo ſtudent lædere, ut ſuam ſe evertere nocendi cupiditate non videant. Contexunt enim,& qualibus poſſunt ſententiis comprehendunt, ineptiſſimarum quarundam blaſphemiarum prodigioſa mendacia; eáque oſtendenda & ingerenda multis publicè privatimque circumferunt: aſſerentes talia in noſtro eſſe ſenſu, qualia diabolico continentur indiculo. Vnde ne hujus querelæ inveniretur occaſio, neceſſarium convenienſque credidimus, ut ſive ad calumniantium animos mitigandos, ſive ad eos quorùm auribus tale aliquid inſonuit inſtruendos, quantùm adjuvante Domino fieri potuit, plenè lucidéque pandamus quid de perverſis definitionibus judicemus: ut qui paululùm*

ſe

ſe ad legenda hæc dignati fuerint occupare, evidenter agnoſcant impiarum profanarumque opinionum nullum cordibus noſtris inhæſiſſe veſtigium; & blaſphemias quas perſpexerint noſtrâ profeſſione damnari, in earundem repertoribus cenſeant debere puniri.

Certè, mi Pater, cùm hæc ex ipſis ante Conſtitutionem audivi: cùm ſinceram ipſorum erga Conſtitutionem in Gallias allatam animi reverentiam perſpexi; cùm paratos illos eſſe cognovi ad obſequium ſuum ſubſcriptione ſuâ teſtandum: cùm hoc Arnaldus totâ ſecundâ Epiſtolâ iis verbis profeſſus eſſet, quibus nihil cogitari poſſit ſignificantius aut clarius; ipſe me profectò iniquiſſimæ ſuſpicionis damnaſſem, ſi qua mihi adhuc de illorum fide dubitatio reſidua manſiſſet. Itaque illi ipſi qui amicis Arnaldi ante ejus Epiſtolam abſolutionem denegarant, poſt illam ingenuè profeſſi ſunt nil jam cauſæ eſſe cur de illius fide dubitaretur, cùm tam apertè ille impoſitos ſibi damnaſſet errores. Longè alia, mi Pater, ſodalium tuorum ratio fuit, ex eoque meritò mihi ſuſpecti odii & iniquitatis eſſe cæperunt.

Conſtitutionis ſubſcriptionem tum minitabantur, cùm adverſarios ſuos à ſubſcriptione alienos ſperarent: at ut in illis nihil moræ futurum eſſe cognoverunt, continuò exigendæ ſubſcriptionis conſilium abjecerunt. Hîc ſi quid ipſis æquitatis ſtudium fuiſſet, nonne ſatisfacere debuerat Auguſtinianorum tam promptum adverſus ſummum Pontificem obſequium? Et tamen non ſegniùs illos ut hæreticos inſectari perſtiterunt; animum ipſorum à linguâ diſſidere, & foris catholicos, mentem ipſos hæreticam recondere cauſantes. Quibus ipſe verbis, mi Pater, uſus es in reſponſione ad aliquas interrogationes pag. 27. & 47.

Mirum quàm abhorrens ab æquitate hæc veſtra ratio mihi viſa eſt! Quis enim non iſto modo hæreſeos ſuſpicione poſſit aſpergi, aut quæ non turbæ hâc ſpecie com-

moveri poſſint? *Si credi*, inquit S. Gregorius Regiſt. lib. 5. cap. 15. *Fideliter confitenti deſpicitur, cunctorum in dubium fides adducitur.* Timui igitur, mi Pater, ut in ſimili cauſâ loquitur idem Gregorius Epiſt. 16. *ne eos facere hæreticos volueritis. Nam veraciter confitenti non credere, non eſt hæreſim purgare, ſed facere.*

Tum verò mihi nullos in Eccleſiâ hæreticos eſſe certum fuit, cùm ad frigidam facti quæſtionem quæ fidem attingere non poteſt, rem totam rediiſſe cognovi, in quâ vos ab illis vehementiùs contendebatis, ut quinque propoſitiones ſingulares, individuas, *totidem verbis in Ianſenio contineri faterentur*; ut tu ipſe, mi Pater, ſyllabatim habes in Cavillis pag. 39.

Exinde hujus contentionis æquus & otioſus ſpectator fui. Cùm de veritate aut falſitate ipſarum propoſitionum pugnari putarem, quia res ad fidem pertinebat, attentè ac ſollicitè diſputationes veſtras audiebam: at poſtquam intellexi de eo tantùm inter vos concertari, utrùm propoſitiones totidem verbis in Janſenio extent, ut jam hoc Eccleſiæ nihil intererat, mea quoque nil intereſſe ſum arbitratus. Ac tibi quidem, mi Pater, magna veriſimilitudo favebat. Quis enim unquam certam ſententiam totidem verbis in aliquo libro reperiri diceret, niſi ita res eſſet; aut quæ poteſt in re tam apertâ erroris aut fraudis ſubeſſe ſuſpicio? Itaque non temerè tam multi & Romæ & in Galliâ tam minimè ſuſpectæ aſſeverationi tuæ reverà propoſitiones in Janſenio totidem, ut aſſerebas, verbis extare crediderunt. Quamobrem non levis me admiratio ſubiit, cùm hoc ipſum facti caput, quod tu tam fidenter ut longè certiſſimum protuleras, falſum eſſe ex eo cognovi, quòd tibi adverſarii tui palam denuntiarint, judicari à te non poſſe quâ paginâ extarent illa totidem verba quæ tu in Janſenio reperiſſe ajebas, nec tu id præſtare potueris.

Totam hanc ſeriem referre placuit, quòd ex illâ mirè pelluceat tuæ Societatis ingenium: nec mediocriter, credo,

do, ſtupebunt homines, tantum in vobis pervicaciæ fuiſſe, ut tam apertè mendacii convicti, nihilominus Auguſtinianos ut hæreticos inſectari non deſtiteritis, mutatâ ſolum pro tempore ipſorum hæreſi. Vt enim illi unam depulerant, aliam continuò ſufficiebant tui ſodales, ne vel puncto temporis hæreſi vacarent. Ergo anno 1653. propter ipſas propoſitiones quas ab illis defendi aſſerebatis, hæretici à vobis dicebantur: mox in *totidem illis verbis* hæreſis locata eſt: pòſt illa in corde ab ore diſſentiente retruſa: nunc autem omnes illæ hæreſes evanuerunt; una reſtat, quòd ſubſcriptione ſuâ profiteri renuant, *ſenſum doctrinæ Ianſenii in ſenſu quinque propoſitionum contineri.*

Hoc nunc contentionis veſtræ caput. Non ſufficit vobis quinque propoſitiones damnari, & quicquid demum in Janſenio reperiri poterit quod cum his propoſitionibus ſenſu congruat, ab Auguſtini ſenſu diſcrepet: hoc enim illi cumulatè præſtant. Itaque non hoc nunc agitur, utrùm Chriſtus pro ſolis prædeſtinatis mortuus ſit; ut vos, ſic illi hoc dogma rejiciunt: ſed utrùm ita ſentiat Janſenius, nec ne: de quo iterum profiteor, mi Pater, incredibile eſſe quàm parum me hujus controverſiæ cura tangat, quando tam parum attingat Eccleſiam. Quamquam enim Doctoris nomine non cenſeor, ut nec tu, mi Pater, ſatis tamen intelligo nullam hîc de fide verti quæſtionem, cùm hoc tantùm quæratur, qualis Janſenii ſit ſenſus: cujus doctrinam illi ſi germano & accurato dictarum propoſitionum ſenſui conſentaneam arbitrarentur, ſine morâ proſcriberent: at quia disjunctiſſimam putant, ideò proſcribere refugiunt. Dem tibi malè ab ipſis Janſenium intelligi, injurium tamen & abſurdum eſt proptereà illos hæreticos dicere, cùm ſenſum orthodoxum & catholicum in Janſenio defendant.

Juvat rem exemplo illuſtrare, mi Pater. De Dionyſii Alexandrini Epiſcopi ſcriptis non levis inter magnum Athanaſium & Baſilium magnum ſenſuum diſtractio fuit.

Hæc

Hæc enim ut catholica defendit Athanaſius, cùm illa ad Eccleſiæ ſenſum inflecteret: contrà Baſilius Arrianorum in eis ſenſum legere ſibi viſus, acriter eadem impugnavit. Dic ſodes, mi Pater: an ideò jure à Baſilio Athanaſium hæreticum dici potuiſſe exiſtimas, quòd ea ſcripta quæ ille ut Arrianâ hæreſi infecta deteſtabatur, iſte tuebatur catholica? Iniquus, mi Pater, vel te ipſo fatente fuiſſet Baſilius, ſi ita ſe geſſiſſet. Neque enim Arrianum errorem defendebat Athanaſius, quem ab his ſcriptis abeſſe cenſebat; ſed catholicam fidem quam in iis ineſſe arbitrabatur. Certè ſi ſancti illi viri de vero Dionyſii ſenſu idem ſenſiſſent, & utrique in illis Arrianorum hæreſim deprehendiſſent, tum ſanè ab Athanaſio non potuiſſent ſine hæreſi defendi. At cùm de ipſo ſenſu diſſiderent, catholicus erat Athanaſius, vel ſi in illorum intellectu erraſſet. Erraſſet enim in merâ facti quæſtione, cùm in illis Dionyſii ſcriptis nihil aliud quàm catholicam fidem defenderet.

Hoc exemplum ad propoſitum noſtrum facilè transfero. Si quis ſit Janſenii ſenſus, inter te, mi Pater, & adverſarios conſtaret tuos, ac tibi v. gr. darent illi, gratiæ ex Janſenio reſiſti non poſſe; tunc ſanè quiſquis Janſenium damnare refugeret, quin is pro hæretico haberetur, nihil impedio. At cùm de ſenſu ejus litigetis, pugnentque Janſenii defenſores, ex ipſo gratiæ reſiſti poſſe; quæcunque in Janſenium conferatur hæreſis, ejus certè infamiâ immeritiſſimò aſpergerentur qui eum defendunt. Quem enim vos in Janſenio intelligitis ſenſum, ipſi damnant; quem ipſi intelligunt, damnare non audetis. Ergò ſi ipſos tantopere ſtudes hæreticos facere, doce hæreticum eſſe illum quem Janſenio tribuunt ſenſum; tunc enim & ipſi hæretici erunt. At id quo pacto poſſes efficere, cùm illum à ſummo Pontifice minimè damnatum ipſemet fateare?

Hoc ut tibi ipſi liquidò probem, id ſumam quod tu pluribus locis vi veritatis evictus ſponte conceſſiſti, *Gratiæ efficacis doctrinam à Thomiſtis defenſam, Pontificiâ Conſtitutio-*

ne nullâ in re violatam. Et certè cùm has propoſitiones excutiendas mandavit Innocentius, gratiæ efficacis doctrinæ nominatim cavit, eamque ab omni notâ intactam ſervari præcepit; quod inter alia teſtantur ipſa Conſultorum, quos Pontifex adhibuit, vota ſive ſuffragia. Horum ego exempla in manibus habeo: habent multi mecum Pariſiis, è quibus eſt Epiſcopus Montiſpeſſuli, qui ea Româ rediens ſecum detulit. Ex his perſpici licet non unam omnium Conſultorum fuiſſe ſententiam. Nam præcipui ex ipſis, nempe Magiſter ſacri Palatii, Commiſſarius ſancti Officii, Generalis Auguſtinianorum aliique cùm has propoſitiones in ſenſu gratiæ efficacis accipi poſſe exiſtimarent, etiam nullâ triſtiori notâ dignas cenſuerunt. Alii contrà, uno aut altero ſuperiores, cum paſſim profiterentur propoſitiones illas ad ſenſum gratiæ efficacis revocatas, nullam mereri cenſuram, damnandas tamen ideò cenſuerunt, quòd germanus illarum ſenſus à gratiæ efficacis doctrinâ disjunctiſſimus eſſet. His aſſenſus eſt ſummus Pontifex, cujus judicium libenter omnes amplexi ſunt.

Certum eſt igitur, R. P. efficacis gratiæ doctrinam ne minimùm quidem Romæ attentatam fuiſſe. Nec mirum: tam apertè enim ab Auguſtino tradita, à ſancto Thoma & omni ejus familiâ, à tot Conciliis, ac ſummis Pontificibus, à totâ denique Traditione defenſa eſt, ut hæreſeos accuſari ſine impietate non poſſit. Atqui omnes illi qui à vobis dicuntur hæretici, nil aliud in Janſenio reperire ſe, quàm hanc de gratiâ efficaci doctrinam profitentur, nec aliud quidquam Romæ defenſitarunt, ut tu ipſe agnoſcis in Cavillis pag. 35. *Nam cùm dicturi eſſent,* inquis, *de quinque propoſitionibus, effuſa eſt in commendationem ſancti Auguſtini & gratiæ per ſe ipſam efficacis oratio,* DE QUIBUS NULLA ERAT CONTROVERSIA: *& poſt longa quatuor circa horarum faſtidia, compertum eſt nondum cæpiſſe dicere de tribus capellis.*

Ergo ſeu verum illi Janſenii ſenſum aſſecuti ſunt, ſive ab

eo

eo aberrarunt, certum eſt ſaltem illum quem Janſenianum exiſtimant ſenſum, omni erroris labe carere; atque adeò ipſos omnis prorſus erroris expertes eſſe. Nam ut verbo rem conficiam, aut nihil habet Janſenius circa quinque propoſitiones præter gratiæ efficacis doctrinam, & ſic caret errore: aut aliquid aliud habet, & ſic defenſoribus caret. Ergo huc omnis redit quæſtio; utrùm aliquid aliud Janſenius, quàm vulgarem gratiæ efficacis doctrinam de iſtis propoſitionibus habeat: hoc ſi ita eſſe conſtiterit, manebit Societati meliùs intellecti Janſenii gloria; ſed ab adverſariis veſtris fidei erroribus adulteratæ aberit infamia.

Communiter igitur, mi Pater, Deo gratias agamus, quòd nulla in Eccleſiâ ſit hæreſis. Diſceptatur enim tantùm facti quæſtio, ex quâ hæreſis conflari nequit. Nam de fidei quidem capitibus divinâ autoritate Eccleſia decernit, & decretis ſuis refragantes è corpore reſecat ſuo: verùm aliter multò ſe in facti quæſtionibus gerit. Ratio in promptu eſt. Ex revelatâ fide, traditione ad nos tranſmiſſâ pendet Chriſtianorum ſalus; ex ſingulis verò factis minimè à Deo revelatis non pendet. Itaque præcepta Dei impoſſibilia dicere aut ſentire non licet: quis hâc de re Janſenio fuerit ſenſus prorſus ignorare nefas non eſt. Eam ob rem in diſceptandis fidei controverſiis infallibili Dei ſpiritu regitur Eccleſia: at in facti quæſtionibus, ſenſibus & rationi humanæ permittitur, penes quæ naturâ monſtrante ejuſmodi rerum arbitrium eſt. Fidei enim cognitionem ſolus hominibus impertire potuit Deus: at utrùm propoſitiones ſint in Janſenio, quivis diligenter evoluto Janſenii libro poteſt pernoſcere. Hinc qui decreti fidei renititur, hæreticus eſt, quod infallibili Dei ſpiritui imbecillam hominis rationem opponat: at qui factis quibuſdam ſingularibus, tametſi ab Eccleſiâ definitis, fidem derogat, hæreſeos nequaquam reus, ſed ad ſummum temeritatis. Non enim jam ampliùs divinæ, ſed humanæ tantùm nec ab errandi periculo immuni autoritati humanam rationem opponit,

ponit, quæ cùm evidens eſſe poſſit, certa etiam eſſe poteſt, & ideò quâvis humanâ autoritate certior, & ad faciendam fidem potior.

Theologus non ſit qui de hoc ambigat. Hinc Cardinalis Bellarminus ſocius olim veſter, ex communi omnium ſententiâ, *Generale Concilium,* inquit de Summ. Pontif. lib. 4. cap. 11. *legitimum, non poteſt errare, ut neque erravit hoc ſextum, in dogmatibus fidei definiendis: tamen errare poteſt in quæſtionibus de facto.* Et cap. 2. *Conveniunt omnes catholici poſſe Pontificem, etiam ut Pontificem, & cum ſuo cœtu Conſiliariorum, vel cum generali Concilio, errare in controverſiis facti particularibus, quæ ex informatione teſtimoniiſque hominum præcipuè pendent.* Et Cardinalis Baronius ad an. 681. n. 39. *In iis,* inquit, *quæ ad perſonas pertinent & ſcripta ipſarum, non tam rigidè reperitur cuſtodita cenſura. In his enim quæ facti ſunt, unumquemque contingere poſſe falli; nemini dubium eſt; & tunc illud Pauli ad Corinthios uſurpari poßit: Non enim poſſumus aliquid adverſus veritatem, ſed pro veritate.*

Eapropter Archiepiſcopus Tholoſanus hanc ex Leone & Pelagio 2. regulam deſcripſit: *ſpecialem ſynodalium Conciliorum cauſam eſſe fidem: quidquid ergo præter fidem agitur, nihil obſtare ſi ad judicium revocetur. Quæſtiones verò dogmatum univerſalis ſynodi judicio ſemel ſopitas, iterum excitari non debere: regula enim fidei, inquit Tertullianus, una omnino eſt, ſola immobilis & irreformabilis.* Itaque nunquam in fidei decretis generalia & legitima Concilia inter ſe diſſident: *Quia,* ut ait idem Tholoſanus Antiſtes, *ſemel ſopitæ univerſalis ſynodi judicio quæſtiones, excitari non debent.*

At non rarò eadem Concilia in facti quæſtionibus, ut in interpretando ſcriptorum ſenſu, à ſe invicem diſſentiunt: quia, ut ait idem Tholoſanus poſt laudatos ab ipſo Pontifices, *quicquid præter fidem agitur, nihil obſtat ſi ad judicium revocetur.* Sic IV. & V. Concilium in eorumdem ſcriptorum explicandâ ſententiâ videntur inter ſe pugnare; idemque opinionum diſſidium apparet inter duos Pontifi-

ces

ces Pontifices Hormiſdam & Joannem II. de quâdam monachorum Scytharum periodo, quam Hormiſdas malo ſenſu acceptam damnaverat; ſed eandem qui ei proximè ſucceſſit Joannes II. rurſus excutiens, benignius & meliùs intellectam, catholicam eſſe pronuntiavit. An tu proptereà alterutrum ex iſtis Pontificibus hæreticum dixeris? Non opinor. Concedas igitur neceſſe eſt, modò damnetur ſenſus hæreticus, quem ſummus Pontifex in aliquo ſcripto intellectum proſcripſerit, hæreticum non eſſe qui idem ſcriptum eo ſenſu intellectum quem conſtet non eſſe damnatum, damnare reformidet; alioquin jam ex duobus iſtis Pontificibus alteruter hæreſeos reus peragendus eſt.

Te verò, mi Pater, his catholicorum inter ſe de quæſtionibus facti, ac de ſenſu alicujus ſcriptoris diſſidentium, exemplis conſuefaciendum exiſtimavi, ut poſtquam ſuper iſtiuſmodi rebus Patrem Patri, Pontificem Pontifici, Concilium Concilio adverſari videris, ad alia te exempla deducerem, ubi eadem quidem pugna, ſed multùm diſpar pugnantium dignitas. Hinc enim Concilia ſummoſque Pontifices animadvertes; illinc cum utriſque certantes Jeſuitas, & perperam acceptum nonnullorum ſcriptorum ſenſum ipſis objicientes, quos tamen proptereà nec hæreſeos, nec temeritatis accuſas.

Origenis ſcripta, mi Pater, à multis Conciliis & multis ſummis Pontificibus; imò, quod gravius, à quintâ ſynodo œcumenicâ eſſe damnata non ignoras, ut multis hæreſibus ſcatentia; atque inter alia erroneo illo dogmate de dæmonibus in ſupremo judicio per Chriſtum liberandis. An tu igitur neminem catholicum habebis, niſi qui his infectum erroribus Origenem fateatur; aut illos hæreticos dices qui cùm omnes illos errores vulgò Origeni tributos rejiciant, tamen eos Origenis eſſe non agnoſcant? Id ſi ita eſt, quid fiet Halloixio ſodali tuo? Quid multis aliis catholicis Theologis, ut Pico Mirandulano, & Genebrardo Sorbonico Doctori, qui omnes fidem Origenis ab impo-

ſitis

ſitis erroribus vindicare ſtuduerunt? Ab eodem Concilio Theodoreti in Cyrillum ſcripta tanquam impia, à verâ fide abhorrentia, Neſtorianæ hæreſeos manifeſta damnantur: hæc tamen non ſegniùs in vitâ Theodoreti Sirmundus veſter Neſtoriano veneno penitus carere defendit.

Cernis opinor, R. P. quandocunque ab Eccleſiâ ſcripta damnantur, duo quædam ab ipſâ præſtari. Nam & erroneum aliquod dogma in iis contineri judicat; & iſtud dogma rejicit & damnat. Tunc autem ut errorem illum damnatum credamus fides jubet: at ut iſtis ſcriptis haberi exiſtimemus, omnino non jubet. Multis iſtud docuimus. Itaque unum modò adjungam Honorii Pontificis exemplum, cujus hiſtoria paſſim celebrata ſic habet.

Ineunte ſexto ſeculo, cum Eccleſiam turbaret Monothelitarum hæreſis, ad iſtud diſſidium componendum, decretum emiſit Honorius. Hoc cùm hæreticis in ſpeciem faveret, multorum offenſionem movit; & tamen dum Eccleſiam ille regeret, non magnæ inde turbæ coortæ ſunt. At quinquaginta poſt annos ad ſextam ſynodum œcumenicam, cui præerat Agatho Romanus Pontifex per legatos, defertur illud Honorii decretum, ibique lectum & excuſſum, poſtremò tanquam Monothelitarum hæreſi infectum damnatur, & cum aliis iſtorum hæreticorum ſcriptis in mediâ ſynodo palam crematur. Atque hæc ſextæ ſynodi ſanctio tanto conſenſu per totam Eccleſiam recepta eſt, ut à duobus deinde Conciliis œcumenicis, itemque à Leone II. & Adriano II. poſt annos ducentos firmata ſit; nec conſtanti illi Eccleſiæ ſenſui per ſeptem aut octo ſecula quiſquam qui refragari auderet inventus eſt: donec nonnulli hujus ævi ſcriptores, præſertimque Bellarminus adverſus tot Concilia, totque Pontifices aſſerere non dubitavit, Honorii decretum illius erroris expers eſſe, propter quem tot Eccleſiæ judiciis damnatum eſt. *Quamvis enim*, inquit ille lib. 4. de ſum. Pontif. cap. 11. *generale Concilium legitimum non poſſit errare, ut neque erravit hoc ſextum*

in dogmatibus fidei definiendis: tamen errare poteſt in quæſtionibus de facto. Itaque tutò dicere poſſumus hos Patres deceptos ex falſis rumoribus, & non intellectis Honorii Epiſtolis, immeritò cum hæreticis commemoraſſe Honorium. Diſce, mi Pater, exemplo Bellarmini, hæreticum non eſſe qui Honorium pro hæretico non habeat, tametſi à pluribus Conciliis Pontificibuſque hæreſeos damnatum, idque re diligenter excuſsâ.

Nunc ad noſtram controverſiam redeo, in quâ per me licet ut cauſam tuam quàm poteris maximè plauſibilem facias. Quid affers igitur, mi Pater, ut adverſarios tuos hæreticos eſſe doceas? Nempe quod ſoles. Declaravit, inquis, Innocentius X. quinque Propoſitionum errores in Janſenio eſſe. Perge mi Pater, & quid inde conficias expedi. Ergo, inquis, hæreticus eſt quiſquis iſtos errores in Janſenio eſſe non agnoſcit. Eja, mi Pater, ſatiſne attendis quid loquare? An non hæc mera facti quæſtio ab iſtis ſuperiùs allatis exemplis nullâ in re diſcrepans? Declaravit ſummus Pontifex quinque propoſitionum hæreſes in Janſenio eſſe, declararunt item ejus deceſſores Neſtorianórum & Monothelitarum errores in Theodoreti & Honorii ſcriptis eſſe. Quid verò ibi ſodales tui? Hos quidem, ajunt, damnamus errores; at in ſcriptis vel Theodoreti vel Honorii eſſe non damus. Eadem adverſariorum tuorum prorſus oratio: Damnamus, ajunt, quinque propoſitiones; at eas in Janſenii ſcriptis detegere non poſſumus. An tu quicquam, mi Pater, audiſti ſimilius? Nam ſi quid inter utramque cauſam diſtat, id totum adverſariorum tuorum cauſam ſublevat, propter non paucas περιστάσεις quas referri nihil neceſſe eſt, cùm per ſe ſatis appareant. Age igitur, mi Pater, tam difficilem illum nodum nobis evolve. Dic cur in eâdem cauſâ catholici ſunt tui ſodales, adverſarii tui hæretici ſunt. Dic quâ inuſitatæ exceptionis lege, quam reliquis fidelibus veniam concedis, eam adverſariis tuis ſtudes eripere?

Quid

Quid ad hæc referes, mi Pater? Firmatam novo diplomate Conſtitutionem? At ego viciſſim repono confirmatam item à duobus Conciliis, duobuſque ſummis Pontificibus latam in Honorium à ſextâ ſynodo ſententiam. Verùm quid tandem ex novi diplomatis verbis elicis, quibus teſtatur Pontifex Janſenii doctrinam in quinque propoſitionibus à ſe damnatam? Quid hoc Conſtitutioni ſuperaddit; aut quid aliud ſequitur, niſi quemadmodum ſexta ſynodus cùm eundem Honorii & Monothelitarum ſenſum eſſe crederet, Honorii doctrinam tanquam hæreticam damnavit; ſic item Janſenii doctrinam ab Innocentio eſſe damnatam, quia eandem illam eſſe putavit ac quinque propoſitionum hæreſim? Cur non putaret autem, mi Pater? Nihil aliud habet in ore tota Societas: tu ipſe qui eas totidem verbis in Janſenio extare dictitabas, nempe cùm iſtud negotium agitaretur, Romæ eras: nam in te, mi Pater, nuſpiam non incurro. An porrò ſummus Pontifex tot gravium Religioſorum vel ſcientiæ vel fidei diffideret; aut tibi quinque propoſitiones totidem verbis in Janſenio eſſe conſtanter affirmanti non crederet? Quamobrem ſi Janſenius ab his erroribus probetur alienus, non jam ut toties in allatis exemplis ſodales tuos loquentes audivimus in facto, ſummus Pontifex erraſſe dicendus eſt: nam hoc palam prædicare catholicis Religioſis ſemper ſubmoleſtum eſt: at ſodales tuos ſummo Pontifici impoſuiſſe dicemus, quæ res omnibus jam notâ Jeſuitarum maledicentiâ offenſione caret.

Mirum, mi Pater, quàm tota hæc materia ab hæreſi disjuncta ſit: tu tamen, cui hæreſim quoquomodò procudere propoſitum eſt, à facto ad jus quæſtionem abducere niteris, callido hujus rationis contextu: *Declarat ſummus Pontifex doctrinam Ianſenii in quinque propoſitionibus eſſe proſcriptam. Ergo fide conſtat hæreticam eſſe Ianſenii doctrinam, qualiſcunque ſit.* Novum, mi Pater, & ante hunc diem inauditum catholicæ fidei caput, aliquam doctrinam hæreticam

eſſe qualiſcunque ſit. Quid ſi igitur gratiæ ex Janſenio reſiſti poſſit? Quid ſi ex ipſo falſum ſit pro ſolis prædeſtinatis mortuum Chriſtum? An hoc quoque Pontificio anathemati ſubjiciemus, quod ita ſentiat Janſenius? An porrò in Pontificis Conſtitutione verum erit, boni & mali libertatem hominibus ineſſe, idem in Janſenio falſum? Aut tam miſerum erit illius fatum, ut ipſa veritas in hæreſim mutetur, quòd in ejus libro conſignata ſit?

Fatearis igitur neceſſe eſt, mi Pater, vel invitus, nullum in Janſenio errorem eſſe, ſi nihil ſit cum damnatis illis erroribus ſenſu congruum. Pro normâ deligenda eſt Pontificia Conſtitutio: ad hanc exigatur Janſenius; ac perinde de eo ſtatuatur, prout cum illâ normâ conſentiet, vel ab eâ diſſentiet. Quamobrem, ut patet, illa quæſtio, Utrùm Janſenii doctrina ſit hæretica, ex merâ facti quæſtione pendet, utrùm illa cum naturali & germano propoſitionum ſenſu congruat. Hæretica eſt procul dubio, ſi congruit; catholica, ſi non congruit. Nam cum ſummus Pontifex propoſitiones in ſenſu germano & ſimplici damnaverit, fieri nullomodò poteſt ut in iis ſenſum Janſenii damnarit, niſi idem ſit naturalis propoſitionum qui Janſenii ſenſus. Ergo affixa facto ſemper remanet quæſtio, nec inde ad jus ullâ ratione transferri poteſt.

Itaque fruſtra hinc hæreſim ſperes exſculpere, mi Pater: at non difficilè quæſitâ inde exigendarum ſubſcriptionum cauſâ adverſariis tuis vexationes conficeres, niſi ſpes ſubeſſet neminem fore ita Jeſuiticis utilitatibus cœco obſequio famulantem, qui catholicis Theologis hanc tam injuſtam, at vobis expetitam legem velit indicere, ut propoſitiones in ſenſu Ianſenii damnent, antequam quid ſit ille Ianſenii ſenſus clarè & dilucidè ſit explanatum. Pauci ita animo parati ſunt, ut vacuæ fidei profeſſioni velint ſubſcribere: quod certè faceret, qui ſenſum Ianſenii damnet in genere; poſt enim in veſtro arbitrio poſitum erit, illum Ianſenii non expoſitum ſenſum, prout viſum vobis fuerit, exponere.

exponere. Explanetur igitur ante omnia, alioquin rurſus aliquid hîc nobis ſimile naſcetur proximæ illius poteſtatis quæ abſtrahit ab omni ſenſu. Noſti non bellè iſta procedere. Omnibus odio eſt inſidioſa ambiguitas, præſertim in fide: quid enim juſtius, quàm ut quiſque quod improbare cogitur, non ignoret.

Jam verò quî poſſent adduci illi Doctores, quibus perſuaſum eſt nihil aliud docêre Ianſenium de quinque propoſitionibus, quàm vulgarem de gratiâ efficaci doctrinam, ut Ianſenii ſenſum ſine exceptione damnarent? Quid enim hoc aliud eſſet, quàm ipſam gratiæ efficacis damnare doctrinam, quam nemo ſine piaculo damnet? Aut quid iſtâ tyrannide crudelius, quæ tam miſerâ illos neceſſitate conſtringeret, ut alterutrum vitare non poſſint, quin vel apud Deum proditæ injuſta ſubſcriptione conſcientiæ crimine ſe innectant; aut apud homines famam & nomen hæreticorum repudiata ſubſcriptione ſuſcipiant?

Cæterùm hoc totum altis quibuſdam conſiliis gubernatur: nullum figunt Ieſuitæ veſtigium politicæ calliditatis expers. Exponam, mi Pater, cur hunc Ianſenii ſenſum exponere refugiatis. Vnum enim mihi propoſitum eſt, technas veſtras ſcribendo retegere, retegendo fruſtrari. Diſcant igitur ex me qui res iſtas minùs noverunt, id vos præcipuè in his diſputationibus ſequi; ut ſufficientem Molinæ gratiam extollatis; efficacem verò gratiam, Moliniſticæ planè contrariam, deprimatis: at ut illa & Romæ & apud omnes eruditos magna nunc autoritate floret, veriti ipſam apertè laceſſere & ad occultas molitiones converſi, latenter eandem ſub Ianſenianæ doctrinæ nomine adorti eſtis.

Hujus conſilii ratio poſcebat, ut non explicatus Janſenii ſenſus damnaretur: quod ut impetraretur, neceſſe fuit ad tempus palam prædicare, *nil eſſe disjunctius quàm ſenſum Ianſenii & gratiæ efficacis doctrinam*, ut alterum ſine alterâ rejici poſſe, quivis ſibi perſuaderet. Hanç etiamnum

opinionem illis inſtillatis, quibus minùs familiaris eſt Ianſenius: hoc tu ipſe callido ſyllogiſmo colligis ad hunc modum in Cavillis pag. 27, *Iterum argumentor. Qui vult damnare quinque Propoſitiones in ſenſu Ianſeniano, & non vult definire controverſiam de Gratiâ per ſe ipſam efficaci aliàs diſceptatam, ſupponit eſſe differentes controverſias. Sed Innocentius X. vult damnare quinque Propoſitiones in ſenſu Ianſeniano, & non vult definire controverſiam de Gratiâ per ſe ipſam efficaci aliàs diſputatam. Ergo Innocentius X. ſupponit differentes eſſe controverſias, de Gratiâ per ſe ipſam efficaci diſputatam aliàs, & de quinque Propoſitionibus. Major per ſe ipſam manifeſta eſt: minoris pars prima ſuperiùs demonſtrata eſt: ſecunda conceditur ultro à Ianſenianis: conſequentia negari non poteſt.*

Hæc ſi ratio valeat, in hæreſeos crimine non ipſum modò Honorium tenere facile eſt, ſed omnes etiam qui ipſum hæreticum non fuiſſe ſentiunt. Recurrit enim argumentum iſtud: Doctrinam Honorii damnavit ſexta ſynodus œcumenica: non damnavit autem ſenſum Eccleſiæ: ergo doctrina Honorii à ſenſu Eccleſiæ aliena eſt: ergo quotquot illum tuentur hæretici ſunt. Vt hoc argumentum de Honorio fluxum & imbelle eſt; ſic illud tuum de Ianſenio: ſolam enim quinqe propoſitionum doctrinam damnavit Innocentius, quam eandem monentibus Ieſuitis Ianſenii eſſe credidit.

Sed veſtra quid refert iſtius rationis infirmitas? Non enim ad longum tempus eâ vobis opus eſt, temporarium ex illâ quærentibus fructum, ad quem efferendum ſatis durabit. Id unum conſequi vultis, ut quibus gratiam efficacem proſcribere religio ſit, Ianſenium ſine religione proſcribant. Hoc perfecto evaneſcet ſyllogiſmus tuus, & oblivione delebitur; manentibuſque ad perpetuum damnati Ianſenii monumentum ſubſcriptionibus, ipſam gratiam efficacem pro re natâ hoc longè validiore argumento adoriemini: *Doctrina Ianſenii totius Eccleſiæ ſubſcriptionibus damnata eſt. Atqui nihil habet Ianſenius præter gratiæ efficacis*

doctri-

doctrinam: quod vos facilè omnibus probabitis. *Ergo gratiæ efficacis doctrina, fatentibus etiam ejus patronis, à ſummo Pontifice damnata eſt.*

Et nimirum hoc eſt cur tam obnixè contenditis ut Ianſenii doctrina damnetur; ut eadem explicetur tam pertinaciter recuſatis. Hunc vos fructum ex ſubſcriptionibus illis ſperatis; quas ſi reſpuant adverſarii veſtri, in alium incident laqueum, quem illis veſtra paravit aſtutia. Nam cùm callidè facti juriſque quæſtiones permiſcueritis, nec abjungi alteram ab altera, nec alteri ſubſcribi patiamini, quin alteri quoque ſubſcribatur, juri eos & facto refragari paſſim jactabitis, quia utrique conjunctim ſubſcribere non poſſunt. Itaque quamvis ipſas propoſitiones libentiſſimè damnent, id unum verò non agnoſcant, eas in Ianſenio eſſe, in quo nulla hæreſeos ſuſpicio eſt, fidenter prædicabitis ipſas propoſitiones ab ipſis defendi, ac propterea hæreticos eſſe. Hanc vobis utilitatem afferet poſtulatæ ſubſcriptionis detrectatio, qua non major ex ipſa ſubſcriptione capi poſſet. Subſcriptiones ergo ſi exigantur, effugere non poſſunt illi quin in Ieſuitarum incidant caſſes, ſive pareant, ſive non pareant: utrumque perinde rationibus veſtris opportunum; tantum in vobis verſutiæ fuit ad res eum in ſtatum adducendas, ut quòcunque cederent, veſtræ cederent utilitati.

Quam tu mihi, R. P. bene notus es! Quàm te doleo ſic à Deo eſſe deſertum, ut te in infeliciſſimis conſiliis tam felicibus eventis uti ſinat! Nihil iſta tua felicitate miſerius; nec invideri ipſi poteſt, niſi ab eo qui veram felicitatem ignoret. Nullum magis in te charitatis officium eſt, quàm tuorum cœptorum curſum interturbare. Uno enim mendacio niteris, uni mendacio ſervis, totus in eo, ut ex duobus æque falſis alterutrum perſuadeas; vel gratiam efficacem anathemate ab Innocentio X. percuſſam; vel à gratiæ efficacis defenſoribus damnatas etiam ab Innocentio propoſitiones defendi. Magni igitur intereſt, mi Pater,

omnes doceri, nec gratiam efficacem, ut tu ipſe fateris, eſſe damnatam; nec ab ullo illos quinque propoſitionum errores defendi, ne quis ambigat eos qui veſtris formulis ſubſcribere renuant, ob ſolam facti quæſtionem id renuere: adeòque cùm ad ipſas quinque propoſitiones ſuâ ſubſcriptione damnandas paratiſſimi ſint, hæreticos eſſe non poſſe, tametſi facto ſubſcribere defugiant. Nam ut quod non ſemel dictum eſt, ſemel in clauſula repetam, has propoſitiones hæreticas eſſe fides docet; in Ianſenio eſſe fides non docet. Ergo, mi Pater, adverſarii tui omni prorſus errore vacant. Nil ultra poſtulo. De Ianſenio fortè benigniùs ſentiunt; ſed vos fortè etiam iniquiùs. Non placet hanc contentionem ingredi. Hoc unum ſcio, licere vobis ex decretis veſtris Ianſenium pro hæretico traducere, tametſi hoc falſum eſſe noveritis: ipſis contrà ex ſuis non licere catholicum dicere Ianſenium, ni catholicum eſſe ſentiant. Plus igitur in illis ſinceritatis, quam in vobis eſt; plùs diligentiæ ad excutiendum Ianſenium: non minùs acuminis ad illius ſenſum pervidendum; non minùs ergo fidei ad perſuadendum eſt. Sed ut ut ſe habeat facti quæſtio, certiſſimè catholici ſunt. Nec enim ut ſis catholicus, neceſſe eſt alium pro catholico non habeas, nec ut aliis hæreſeos inferas crimen, dummodò à te omnem hæreſeos ſuſpicionem auferas. Vale.

Epistola Decima-Octava.

A D

R.P. ANNATVM JESVITAM.

Nono Kal. April. 1658.

Perdiu eſt, mi Pater, cum in hoc tua deſudat induſtria ut aliquem in adverſariis tuis errorem invenias: dabis tamen ad extremum, nihil eſſe difficilius quàm illos hæreticos facere, qui hæreſim non modò nullam habent, ſed nihil æque fugiunt quàm hæreſim. Quot errores in eos alium poſt alium contuleris, quia nullus ſuppetebat in quo conſtanter permaneres, ſuperioribus Litteris expoſuimus. Itaque id unum modò ſupererat, inde ipſis crimen hæreſeos conflare; quòd ſenſum Janſenii damnare recuſarent, quem vos damnari ab omnibus, explicari à nemine vultis. Certè magna hæreſeum quas ipſis objiceretis penuria vos habebat, quos tam frivolas objicere non puduit. Quis enim ejuſmodi unquam vel audivit vel cogitavit hæreſim, quæ à nemine exprimi poſſet. Ergo vos illi hâc ratione facilè repulerunt, aut damnandum non eſſe Janſenium, ſi erroribus vacat; aut explicandos illos errores, ſi non vacat; ut noverit ſaltem quiſque quod damnare compellitur. Nunquam tamen id à vobis potuit impetrari, tantùm cauſam veſtram munire voluiſtis ejuſmodi decretis quæ ad rem nihil omnino pertinerent, ut quæ Janſenianum illum ſenſum qui quinque propoſitionibus dicitur contineri, qualis eſſet ne judicarent quidem. Hâc viâ, mi Pater, nunquam ad exitum perducentur contentiones veſtræ. Utrinque ſi conſtaret quis ſit iſte Janſenii ſenſus, & de eo ſolum litigaretur, utrùm ille hæreticus eſſet an ne, tunc ſanè quæſtionem attingerent illa decreta, quibus hæreticus pronuntiaretur Janſenii ſenſus: at cùm tota in eo ſit, quis ſit ille Janſenii ſenſus, cùm in Janſenio quidam nihil aliud ſe videre dicant, quàm

vulgarem ſancti Auguſtini & ſancti Thomæ de gratiâ efficaci doctrinam, alii contra neſcio quem in eo hæreticum ſenſum latêre aſſerunt, nec explicant tamen; perſpicuum eſt ejuſmodi Bullam quæ iſtud contentionis caput ne verbulo quidem delibat, ſed tantùm in genere ſenſum Janſenianum proſcribit, nihil prorſus ad controverſiam pertinere.

Centies igitur vobis iteratum eſt, cùm de hoc tantùm pugnetur, nullum pugnandi finem fore quin priùs quid Janſeniani ſenſus nomine intelligatis explanatum fuerit. Pertinaciùs autem abnuentibus vobis, tandem in ſuperioribus Litteris acriùs inſtiti, monuique Lectores, non ſine alto quodam concilio tantopere vos conniti ut Janſenii ſenſus non patefactus damnetur: id vobis ſcilicet eſſe propoſitum, vagam illam Cenſuram in gratiam efficacem aliquando convertere, tandemque quod nullius negotii eſt, nihil ſentire Janſenium à vulgari gratiæ efficacis doctrinâ diverſum demonſtrare. Hîc vobis neceſſariò abjicienda fuit ſuſcepta prudenter de Janſenii ſenſu taciturnitas. Nam ſi adhuc illum exponere detrectaretis, quis tam hebes qui non intelligeret, gratiam efficacem à vobis impeti, quo nullum majus vobis dedecus poſſit accidere: tantam hæc ſanctiſſima doctrina in Eccleſiâ autoritatem ac venerationem obtinet.

Ergo cùm nulla jam tergiverſandi cauſa ſupereſſet, tandem Epiſtolæ meæ reſpondiſti, mi Pater, in quâ hoc brevi vos argumento conſtrinxeram: *Si quid Ianſenius ſuper iſtis propoſitionibus à gratiâ efficaci diverſum ſentit, defenſoribus caret; ſin autem nihil, caret erroribus.* Horum nihil cùm diffiteri poſſes, mi Pater, iſtiuſmodi diſtinctionem adhibuiſti: *Ad purgandum Ianſenium non ſufficit illud afferre, ſolam gratiæ efficacis doctrinam ab ipſo defendi. Duplici enim modo efficax gratia defendi poteſt; quorum unus hæreticus & Calvinianus eſt, ut ſi quis ita dicat voluntatem à gratiâ efficaci moveri, ut poteſtatem reſiſtendi non habeat: alius catholicus,*

Tho-

Thomiſticæ & Sorbonicæ ſcholæ conſentaneus, petitis ex Conciliórum autoritate principiis nixus; ita ſcilicet à gratiâ efficaci regi voluntatem, ut reſiſtendi poteſtas ipſi non auferatur. Totum id tibi libenter omnes concedimus. Tu verò ad extremum adjungis, *catholicum fore Ianſenium, ſi Thomiſticè gratiam efficacem defenderet: at hæreticum ideò eſſe, quòd eo modo defendat, qui à Thomiſtarum ſententiâ abhorreat, ſoli Calvino placeat, nec obſcurè diſſentiendi à gratiâ vim eripiat.*

Non placet, mi Pater, hanc facti quæſtionem ingredi, an reverà Janſenius cum Calvino ſentiat: ad cauſam meam ſatis eſt tibi ita videri. Ergo apertè profiteris, nihil aliud à te Janſeniani ſenſus nomine intelligi, quàm pervulgatum illud Calvini dogma de erepta diſſentiendi libertate. Sat habeo. Hoccine igitur erat quod tandiu minabare? Hunccine Calvini errorem ſub. Janſenii ſenſus nomine impetebas? Hem prædiceres! Næ te, mi Pater, multis negotiis excoluiſſes! Nihil opus fuiſſet tot Conſtitutionibus, tot Romanis diplomatis. Omnes miro conſenſu hunc tecum errorem damnaviſſent. Quantas opportunitates habet iſta Ianſeniani ſenſus expoſitio! Quot tenebras fugat, quot difficultates expedit! Quid ſibi voluiſſent & Summus Pontifex & Epiſcopi Galliæ in damnando Ianſenii ſenſu neſciebamus. Caligabat tota Eccleſia in hujus judicii tenebris. Nemo erat qui Ianſenianum ſenſum evolvere laboraret. Exortus es, mi Pater, qui quod alii non audebant, ipſe præſtares: tu Moliniſtarum partium caput & rector: tu conciliorum illorum non particeps modò, ſed princeps: tu arcanarum quibus hoc negotium gubernatum eſt, artium conſcius: tu nos docere tandem dignatus es, non alium eſſe illum Ianſenii ſenſum à Pontifice damnatum, quàm Calvini errorem à Tridentinâ Synodo percuſſum. Quot ſubitò dubitationes evaneſcunt! Novimus jam, mi Pater, beneficio quidem tuo, errorem illum quem in Conſtitutionibus ſuis Innocentius & Alexander proſcribere voluerunt, illum eſſe notiſſimum Calvini ſenſum. At-

que

que adeò pleniſſimè illorum decretis à nobis obtemperatur, cùm ſenſum illum Calvinianum, quem anathemati ſubjiciunt, toto animo deteſtemur. Nec jam mirum nobis ut anteà videtur cur duo illi Pontifices cum nonnullis Epiſcopis tam acriter in ſenſum illum Janſenianum efferbuerint. An mitiùs enim ac remiſſiùs agerent, qui vobis eundem Janſenii & Calvini eſſe ſenſum, paſſim aſſerentibus fidem habebant?

Tibi igitur, mi Pater, denuntio nihil jam eſſe in quo adverſarios tuos incuſes: planè quod tu deteſtaris, illi deteſtantur. Unum miror, tam parum adhuc cognitam tibi illorum ſententiam eſſe potuiſſe, cùm eam tot ſcriptorum ſuorum locis teſtatam reliquerint. Hanc, mi Pater, ſi diligentiùs animoq; à contentionis æſtu liberiore indagaſſes, tam ſanctam Chriſtianamque doctrinam cœco & præcipiti impetu à te imprudente oppugnatam fortè doluiſſes. Non enim ita modò gratiis illis infirmioribus, quæ tum inefficaces, tum excitantes vulgò dicuntur, actu ac reipſà reſiſti ſentiunt, ut illud ipſum bonum opus ad quod impellunt prætermittatur; ſed etiam non minùs acriter adverſus Calviniſtas diſſentiendi à gratiâ etiam efficace, etiam victrice, poteſtatem voluntati aſſerunt, quàm gratiæ efficaci ſummum in voluntatem imperium adverſus Moliniſtas vindicant, utriuſque dogmatis peræquè tenaces. Norunt enim peccandi abjiciendæque gratiæ poteſtatem hominibus innatam ab illâ quam peccatum inſevit labe immenſùm augeri: ſed ſummum pariter Dei in voluntates noſtras imperium norunt; quo fit ut quotquot Deus miſericordi gratiâ tetigerit, ii quicquid ipſe voluerit, & prout voluerit, ſemper exequantur, ita temperatâ cum libertate gratiâ, ut nec gratiæ libertas, nec libertati quicquam detrahat certa & immutabilis Dei voluntas. Miris enim modis Deus hanc mutationem in cordibus operatur, quibus, ut divinè explicat Auguſtinus, abiguntur fictitiæ illæ diſcordiæ, quas inter ſupremum gratiæ in voluntatem dominatum,

natum, & indivulſam à voluntate diſſentiendi à gratiâ potentiam Moliniſtæ comminiſcuntur. Nam, ut docet ille, quem nobis in gratiæ doctrinâ ducem ac normam Pontifices & Eccleſia tota præſtituit, Deus cor hominis infuſâ cœleſti ſuavitate, carnis delectationem ſuperante ad ſe convertit. Hâc perfuſus animus, hinc mortalem ſe & omnibus malis ac vitiis oppreſſum, ac pene nihil eſſe intelligens: hinc contrà Dei magnitudinem & æternitatem cogitans, incipit caducas peccatorum voluptates faſtidire, & ſuam in Deo voluptatem gaudiumque locare. Sic affectus ad Deum fertur, infallibili & nihilominus libero, & voluntario amore, ut jam à Deo divelli grande foret ipſi ſupplicium. Poteſt quidem ille Deum cùm voluerit relinquere: verùm id quî vellet, cùm voluntatem, ut ait Auguſtinus, ſecundum id quod ampliùs delectat operari neceſſe ſit: nihil autem voluntatem, quam gratia efficax movet, æque delectet, ac ſummum illud & unum bonum, cætera in ſe bona complexum.

Sic Deus liberam hominis voluntatem pro arbitrio regit, & quò vult ſine neceſſitate rapit. Sic libera voluntas, quæ gratiæ reſiſtere ſemper poteſt, ſed non ſemper vult, efficaci gratiæ allecta dulcedine, liberrimo, at infallibili motu ad Deum ſe convertit. Hæc catholicæ de gratiâ doctrinæ principia, ab Auguſtino & Thoma conſtituta; ex quibus conſtat, contrà quàm Calvinus ſenſit, etiam efficaci gratiæ reſiſti poſſe. Et nihilominus, ut ait Clemens VIII. in ſcripto ad conſtitutam à ſe de Auxiliis congregationem miſſo, art. 5. & 6. *Deum agere in cordibus hominum motum voluntatis eorum, faciendo ex nolentibus volentes, ex repugnantibus conſentientes, ex oppugnantibus amantes, per gratiam quæ habet ſuam efficaciam ab omnipotentiâ Dei, & à dominio quod ſumma divina majeſtas habet in voluntates hominum, ſicut in cætera omnia quæ ſub cœlo ſunt, ſecundum Divum Auguſtinum.*

Ex iiſdem conſtat, nec inertem manere voluntatem;
ſed

ſed verè cum gratiâ ſimul agere: adeòque propria nobis, quod negat Calvinus, eſſe merita; & tamen à Deo actus ipſos voluntatis tanquam à principe cauſa proficiſci, *Qui nos aptat in omni bono, & facit nobis quod placeat coram ſe*, ſicut ait Paulus, ut ex Tridentinæ Synodi decreto, *Dei dona ſint, quæ merita noſtra ſunt.*

Ex his evertitur anathemate percuſſa ab eâdem Synodo Lutheri impietas, qui non magis nos quam res inanimas ad ſalutem noſtram conferre aſſerebat. Et impium pariter Molinæ dogma ſubruitur, qui negat à gratiâ proficiſci voluntatis gratiæ obtemperantis aſſenſum; ac ſic certiſſimum illud catholicæ fidei caput à Paulo traditum delet, *Deum eſſe qui in nobis & velle & perficere operatur pro bonâ voluntate.*

Sic conciliantur inter ſe varia & illa Scripturæ loca, quæ minùs intelligentibus ſibi invicem videntur adverſari: *Convertere ad Dominum: Deus converte nos. Projicite à vobis iniquitates veſtras: remiſiſti iniquitatem plebis tuæ. Facite fructus dignos pœnitentiæ: omnia opera noſtra operatus eſt nobis. Facite vobis cor novum & ſpiritum novum: dabo vobis cor novum, & ſpiritum novum ponam in medio veſtri.*

Horum locorum, quæ virtutis opera nunc Deo, nunc nobis tribuunt, apparens diſſenſio hâc tantum viâ commodè conciliari poteſt, ſi utrumque cum Auguſtino fateamur: bona opera & noſtra eſſe, quòd ex libero prodeant arbitrio; & Dei eſſe, quòd ejus impulſu liberum ea efferat arbitrium; ſive *quòd à Deo fiat ut velint homines quod & nolle potuiſſent.*

Itaque, mi Pater, nullum adverſariorum tuorum cum Thomiſtis diſſidium eſt, ne cum recentioribus quidem. Illi enim & in voluntate vim reſiſtendi gratiæ etiam efficaci, & in efficaci gratiâ flectendæ infallibiliter voluntatis virtutem agnoſcunt: atque hoc poſtremum dogma omnibus locis tanquam præcipuum Thomiſticæ Theologiæ caput urgent omnes Thomiſtæ; imprimiſque Alvarez in illâ

illâ familiâ non poſtremus, ſexcenties illud in diſputationibus ſuis iterat, & ſic exprimit diſp. 72. lib. 8. n. 4. *Quando motio Dei*, inquit, *eſt efficax, infallibiliter liberum arbitrium conſentiet: etenim hoc operatur gratia in libero arbitrio fortiter & ſuaviter, quod cùm poßit diſſentire, non diſſentiat. Cujus ratio eſt, quam aßignat S. Thomas 1. 2. quæſt. 112. art. 3. in corp. Nam intentio Dei deficere non poteſt. Vnde ſi ex intentione Dei moventis eſt, quòd homo cujus cor movet, conſentiat & conſequatur gratiam, infallibiliter eam conſequitur, & neceſſariò neceßitate infallibilitatis, non autem ex neceßitate abſolutâ, ut idem docet 2. 2. quæſt. 24. art. 11. in corp.* Cujuſmodi neceſſitate non efficit gratia ut voluntas ipſi reſiſtere non poſſit, ſed tantùm ut nolit, ut bene explicat Petavius veſter Tom. 1. Theol. dogm. l. 9. c. 7. p. 602. *Illud quod per Chriſti merita tribuitur donum, non ſolùm dat poſſe ſi velint, ſed etiam velle quod poſſunt: & eſt tale, ut eo dato nonniſi perſeverantes ſint, id eſt, ut certò, & quod in ſcholis dicitur, infallibiliter perſeverent, tametſi liberè gratiæ illi donoque conſentiant, non neceſſariò; ſed ita ut diſſentire poßint ſi velint, quod Tridentina ſciſcit Synodus, quamvis ut non diſſentire velint, eodem illo perſeverantiæ dono perficitur.*

Certa hæc, mi Pater, Auguſtini, Proſperi, ac cæterorum deinceps Patrum: certa Conciliorum, ſancti Thomæ, omniumque generatim Thomiſtarum ſententia eſt. Eadem quoque, quod neſciebas, adverſariorum tuorum doctrina eſt, quam tu his verbis commendare dignatus es: *Gratiæ efficacis doctrina quæ reſiſtendi potentiam non excludit: orthodoxa eſt, ex Conciliis petita, à Thomiſtis & Sorboniſtis defenſa.*

Age, mi Pater, ne diſſimula; ſi hanc eſſe adverſariorum tuorum ſententiam ſciſſes, fortè ut eam ſic publicè laudares non ſiviſſet illa quâ regeris tuæ Societatis utilitas: at quia ipſos longè ab illâ abeſſe credidiſti, eâdem ductus Societatis utilitate, eam ornare doctrinam non veritus es, à qua ipſos abhorrere cenſebas. Hoc felici errore factum

eſt,

eſt, ut ipſorum de gratiâ ſenſus, quem everſum volebas, à te vel maxime ſtabilitus eſt, & efficacis gratiæ cauſam egerint Molinæ defenſores: adeò ad veritatis gloriam, mirabili Dei providentiâ moderante, cuncta concurrunt.

Diſcant igitur ex profeſſione tuâ cuncti, hanc diviniſſimam gratiæ efficacis ad omnes pietatis actus neceſſariæ doctrinam, Eccleſiæ inprimis charam tanquam pretium ſanguinis ſponſi ſui, ita certò catholicam eſſe, ut nullus ſit catholicus, ne Jeſuita quidem, qui non eam orthodoxam fateatur. Diſcant pariter ex eâdem tuâ confeſſione, in iis quos hæreſeos tandiu inſimulas, ne tenuiſſimam quidem hærere ſuſpicionem erroris. Nam cùm ignotas quaſdam ipſis intenderetis hæreſes, eaſque explanare renueretis, quàm vobis ſic ipſos criminari promptum erat, tam illis arduum fuit hæc à ſe crimina depellere. Hinc poſtquam te ipſo palam profitente cuncti didicerunt non alium ipſis exprobrari errorem, quàm illum Calvinianum, quo ipſos teneri falſò putabas, nulli jam illorum innocentia dubia eſt, cùm ab illo uno cujus arguebantur errore tam longè abſint, eumque tum voce, tum ſcriptis, & quibuſcunque poſſunt modis deteſtati ſint, eâdem prorſus ratione atque Thomiſtæ, quos & tu ut catholicos amplecteris, & nullus unquam in erroris ſuſpicionem vocavit.

Quid jam, mi Pater, adverſus illos muſſitabis? An illud fortè, (quid enim aliud diceres) alienos quidem ipſos eſſe à Calvini ſenſu, ſed tamen hæreticos eſſe, quòd eundem Janſenii & Calvini ſenſum eſſe non agnoſcant. Quæſo, mi Pater, tu ne hoc in hæreſeos loco numerare audeas? An diffiteri potes meram hanc facti quæſtionem eſſe, ab hæreſi longiſſimè disjunctam? Hæreſis eſt diſſentiendi poteſtatem detrahere voluntati: at utrùm ita ſenſerit Janſenius dubitare, obſecro an hæreſim dixeris? An hoc revelatum divinitus dogma? An hoc catholicæ fidei caput, de quo ſine ſalutis pernicie ambigi non poſſit? An non contrà apertiſſima & ſimpliciſſima facti controverſia,

propter

propter quam quemquam hæreticum dici ridiculum & abſurdum eſt?

Deſine igitur illos, mi Pater, hæreticos vocare: ſelige convitia contentioni veſtræ accommodatiora: dic illos bardos & ſtupidos, qui Janſenium non capiant: ut à veritate abſint illa maledicta, ab ipſius certè cauſæ naturâ non abhorrebunt: at eos ut hæreticos voces, nulla ratio ſinit. Et quoniam unam hanc ab ipſis contumeliam ſtudeo depellere, bene ab ipſis Janſenium intelligi multis docere non laborabo. Hoc tantùm de Janſenio dicam, vix fieri poſſe, ut qui de illo ex conſtitutis à te ad ipſum excutiendum regulis ſtatuat, non illum catholicum judicet. Recognoſce enim, mi Pater, voces tuas.

Ut noris, inquis, utrùm Janſenius errore careat, expendendum eſt an gratiam efficacem Calviniano more defendat, & ipſi neget reſiſti poſſe; tum enim certus hæreticus fuerit: an verò Thomiſtarum ſenſu, qui illam diſſentiendi potentiam cum gratiâ efficaci componunt; tunc enim certò catholicus erit. Ergo tu ipſe, mi Pater, precor, expende an hanc diſſentiendi potentiam admittat abnuatve Janſenius, qui integris capitibus, præſertimque T. 3. lib. 8. c. 20. ita loquatur: *Homo recipiens inſpirationem, illam abjicere poteſt; & liberum arbitrium à Deo motum poteſt diſſentire ſi velit; & quantùmcumque vehementi atque efficaci gratiæ delectatione præventum atque determinatum ad faciendum bonum, adhuc tamen poteſt bonum non tantùm non facere, ſed etiam malum. Verum eſt enim iſtud, non quidem in ſenſu compoſito, ut vulgò dici ſolet, ſed in ſenſu diviſo.* Vide etiam an Calvino diſſentiat, qui ita loquatur cap. 21. *Calvinus docet gratiam ita movere hominem, ut non ſit ei liberum reſiſtere. Sic enim loquitur: Voluntatem Dominus movet, non qualiter multis ſeculis traditum eſt & creditum, ut noſtræ poſteà ſit electionis motioni aut obtemperare aut refragari. Auguſtino verò Dominus ita movet voluntatem, ut quamvis infallibiliter convertatur & operetur, poſſit tamen motioni Dei refragari aut obtemperare;*

ſeu, ut Concilium Tridentinum loquitur, illi diſſentire ſi velit. Poſtremò illud excute, an non cum Thomiſtis Janſenio non conveniat, qui hoc profiteatur: *Quicquid phyſicæ prædeterminationis defenſores pro ſuâ ſententiâ protulerunt, ut liberum arbitrium ſub eâ ſalvum eſſe perſuadeant: quicquid etiam ad diſſolvenda oppugnantium argumenta, telaque repercutienda moliti ſunt, pro hâc ſententiâ dictum puta.*

Hæc Janſenii de omnibus illis capitibus verba ſunt, quibus adductus diſſentiendi potentiam à Janſenio agnoſci, ſenſumque ipſius à Calvino disjunctum, Thomiſtis planè conſentientem eſſe crediderim: hæc enim omnia diſertis ipſe verbis profitetur. Ex quo ſequitur ipſum ex poſitis à te principiis nullius eſſe erroris affinem. At tu ſi de ſcriptorum ſenſibus aliunde quàm ex ipſorum verbis judicas: ſi nullo Janſenii prolato loco, adverſus apertam Janſenii profeſſionem, nihilominùs reſiſtendi potentiam ab ipſo negari contendas, ac ſenſum ejus Calvino conſonum, à Thomiſticâ ſcholâ diſſonum eſſe, noli metuere ne te propterea hæreſeos arceſſam. Vnum dicam, quòd mihi videris Janſenii ſenſum minùs intelligere; cæteroquin nihilominùs te ejuſdem mecum Eccleſiæ filium exiſtimabo.

Quid ſibi vult igitur, mi Pater, tanta tua in tam exili cauſâ violentia? Aut cur tanquam crudeliſſimos hoſtes, tanquam peſtilentiſſimos hæreticos eos inſectaris, quibus nihil aliud objicis, quàm quòd Janſenii mentem aliter quàm tu interpretantur? Nam quæ tandem eſt veſtræ contentionis ſumma, niſi quis ſit iſte Janſenii ſenſus? Hunc tu ab ipſis damnari vis; illi priùs explicari poſtulant quid his vocibus ſubjiciatur. Calvini errorem ſubjici reſpondes: ipſi continuò hunc Calvini ſenſum à ſe damnari profitentur. Ergo ſi non de ſyllabis, ſed de ſubjecto ſyllabis ſenſu delitigas, quid ampliùs ab ipſis petas nihil habes. Nam quòd de ſenſu Janſenii damnando tibi non aſſentiuntur, inde ſolùm eſt, quòd ſub illis vocibus ſancti Thomæ doctrinam intelligunt. Itaque mirum inter vos quàm voces illæ

ambiguæ ſint. In ore veſtro Janſenii ſenſus ipſa Calvini hæreſis eſt: in illorum orthodoxa Thomiſtarum ſententia. Quamobrem cùm veſtra jurgia ex diverſa quâ iſtud verbum uſurpatis notione naſcantur, ſi judex inter vos ſederem, utriſque hâc voce interdicerem. Ita fieret ut ipſa pro voce notione ab utriſque ſuppoſitâ, nihil in re vos ab invicem diſſidere ad oculum pateret; vobis Calviniani erroris excidium poſtulantibus, in quo ipſas aſſentientes habebitis; ipſis ſoli Auguſtini doctrinæ vindicandæ ſtudentibus, in quo vos item non repugnantes habituri ſunt.

De me autem hoc profiteor, R. P. catholicos ipſos ſemper à me exiſtimatum iri, ſeu Janſenium damnent, cùm in ipſo aliquos errores invenerint; ſeu damnare detrectent, quòd nihil aliud in ipſo reperiant, quàm quod catholicum eſſe tu ipſe fateare. Semper itaque his ipſos Hieronymi verbis ad Joannem Hieroſolymitanum, octo Origenis errorum ſuſpectum compellabo: *Aut nega hoc dixiſſe eum qui arguitur; aut ſi locutus eſt talia, eum damna qui dixerit.*

Hæc, mi Pater, eorum ratio eſt, qui errores non perſonas impugnant: at vobis, quorum malevolentia perſonas magis impetit quàm errores, parum eſt damnari errores, niſi etiam perſonæ damnentur. Quàm hoc tuum inſtitutum, mi Pater, abſurdum, iniquum, violentum eſt! ſed quàm idem parum idoneum, ut quod cupis tibi conficiat. Et dixi jam, & iterum dico: Nihil in veritatem violentia, in violentiam veritas valet. Nunquam atrocioribus maledictis adverſarios veſtros conſcidiſtis; nunquam ipſorum innocentia notior & illuſtrior fuit. Nunquam efficax gratia majori arte oppugnata eſt; nunquam illa firmior ac munitior fuit. Nunquam magis laboraſtis ut de fide certare putemini; nunquam hominibus magis perſuaſum fuit, totam in leviculâ facti quæſtione contentionem ſitam. Poſtremò nunquam magis omnia miſcuiſtis, ut quod de hâc facti quæſtione contenditis verum exiſtimetur; nunquam tamen de hoc ipſo magis omnium animi fluctuarunt.

Nec hujus rei rationem pervidere difficile eſt. Non arripit Societas tua genuinas illas & directas vias, quibus facti capita perſuadentur. Ad hoc enim illa verba quæ in Janſenio eſſe dicuntur, ſenſibus ingeri oportuerat. Sed tam devios contrâ, & ab hâc ſimplicitate alienos calles ingreditur, ut fraudis ſuſpicionem etiam tardiſſimis quibuſque moveat. Quin vos eam inibatis viam, quam ego in aperiendis ſcriptorum veſtrorum corruptelis inii? Singula ego loca unde has deprompſeram, diligenter annotavi. Idem fecerunt Parochi Pariſienſes: nec unquam fidem non facit iſta ſimplicitas. Sed qui hominum ſermo, quæ cogitationes fuiſſent, ſi Parochi cùm hanc vobis Amici veſtri ſententiam exprobrarunt: *Licet Clerico vel Religioſo calumniatorem gravia crimina de ſe vel de ſuâ Religione ſpargere minantem occidere*, locum ubi extat non indicaſſent; imo ſi rogati, pervicaciter renuiſſent; ſed ſolùm Romam miſiſſent ad impetrandum à Romanâ Curiâ diploma, quo omnes hanc Amici doctrinam eſſe credere juberemur. Quis non hinc ipſos ſummo Pontifici obrepſiſſe judicaret; nec ob aliud inuſitatam & deviam rationem amplexos eſſe, niſi quia certis illis & germanis probationibus deficerentur, quas iſtæ facti quæſtiones iis penes quos jus & veritas eſt, ſemper ſuppeditant. Itaque nil aliud fecerunt Parochi, niſi indicarunt locum illum Amici haberi t. 5. diſp. 36. n. 118. p. 544. editionis Duacenſis, quem quotquot conſulere ſtuduêre, ita ſe rem habere perſpexerunt, nec de hoc ullus ultra potuit ambigere. Promptè ſic & expeditè illæ facti diſſolvuntur quæſtiones, in quibus veritas à nobis facit.

Cur igitur, mi Pater, tam diverſam rationem ſequeris. *Dixiſti* in Cavillis, *quinque propoſitiones* INDIVIDUAS ET SINGULARES TOTIDEM VERBIS IN JANSENIO ESSE. Falſum id eſſe reſponſum eſt. Hîc nonne alterutrum faciendum fuerat, ut aut paginam in quâ quinque propoſitiones videras, ſi modò videras, indicares; aut te deceptum eſſe ingenuè fatercre. Tibi tamen neutrum

trum horum facere libuit. Sed cùm ſatis perciperes, longè à totidem illis verbis & individuis propoſitionibus quas promiſeras, abeſſe illa loca quæ vos interdum ad eludendos imperitos profertis, pro ipſis Janſenii propoſitionibus Conſtitutiones nobis offers, quæ nullis ejus locis allatis, ipſas tamen propoſitiones in Janſenio eſſe definiunt.

Non ſum neſcius, mi Pater, quanta Apoſtolicæ ſedi reverentia debeatur; palamque adverſarii tui nunquam ſuo adverſus ſummum Pontificem officio defuturos ſe ſpondent & profitentur. Sed tu noli ita putare, irreverentiùs acturum qui eâ demiſſione quâ filios adverſus patrem, membra adverſus caput uti decet, tamen ipſum liberè commoneat, in hâc facti controverſiâ fucum ipſi fieri potuiſſe: rem ab ipſo Pontifice minimè excuſſam: deceſſorem autem ejus Innocentium id unum exquiri juſſiſſe, an propoſitiones ipſæ eſſent hæreticæ nec ne, utrùm autem ex Janſenio excerptæ eſſent, neutiquam inquiſiiſſe. Quod luculenter & ingenuè teſtatur in ſuffragio ſuo Commiſſarius ſancti Officii, è primariis Conſultoribus unus, his verbis: *Hæc propoſitio non eſt qualificabilis ratione proferentis: quia propoſita fuit in abſtracto, ut præſcindit ab omni proferente: eſt qualificabilis ſecundum ſenſum communem & uſitatum, faventem hæreticis in modo loquendi recepto ab ipſis, & damnato ab Eccleſiâ catholicâ; & eſt temeraria, ſcandaloſa, male ſonans. Oportet formare priùs ſenſum legitimum iſtius propoſitionis antequam qualificetur ratione rei ſignificatæ, quia non apparet ex quo appareat iſta impoſſibilitas.* Prætereà Janſenii librum à ſexaginta Doctoribus, multiſque aliis viris eruditis & piis ſtudioſè perlectum, qui nedum ut quinque illas propoſitiones invenerint, etiam planè contrarias à ſe repertas teſtantur. Porrò valde veriſimile eſſe, eos qui Summo Pontifici hanc opinionem inſtillarant, eâ quâ apud ipſum pollebant fide abuſos eſſe: vehementer enim è re illorum fuiſſet erroris notari Janſenium, qui pluſquam quinquaginta errorum reum Molinam peregerat, præſertim hanc

veniam concedente conſtantiſſimo ipſorum Theologiæ decreto, quo licere aſſerunt *detrahentis autoritatem ſibi noxiam falſo crimine elidere*: adeòque cùm iſtorum in Janſenium teſtimonium tot de cauſis infirmum atque ſuſpectum ſit, contrà aliorum pro Janſenio tanti ſit ponderis, ſatis eſſe cauſæ cur humiliter ac demiſsè ipſi ſupplicetur, ut de hoc facto coram utriuſque partis Doctoribus inquiri jubeat; ac ſic illam contentionem ſolemni, legitimo, ratóque judicio dirimat. *Congregentur*, inquit in re ſimili Baſilius Epiſt. 75. *ſelectiores ac probatiores. Dicat cum fiduciâ ac liberè qui volet; ut examen ſit quod agitur, non convitium. In conſpectum ac publicum producantur, ſi qua ſunt malitiæ meæ occulta facinora.*

Nec tu, mi Pater, eos qui ita ſe adverſus Summum Pontificem geſſerint, arrogantiæ aut temeritatis accuſaris. Multùm ab eo abſunt ipſi Pontifices, ut Chriſtianos impotenti illo dominatu premere velint, quod quidam ſub illorum nomine ſibi arrogant. *Sancta Eccleſia*, inquit S. Gregorius in Job lib. 8. cap. 1. *ex magiſterio humilitatis inſtituta, recta quæ errantibus dicit, non quaſi ex autoritate præcipit, ſed ex ratione perſuadet.* Porrò adeò non infamiæ ducunt ablata à ſe per fraudem decreta ac judicia reſcindere, ut de hoc etiam teſte Bernardo glorientur. *Hoc ſolet habere*, inquit Epiſt. 180. *præcipuum Apoſtolica ſedes, ut non pigeat revocare quod à ſe fortè deprehenderit fraude elicitum, non veritate promeritum. Res plena æquitate & laude digna, ut de mendacio nemo lucretur, præſertim apud ſanctam & ſummam ſedem.*

En quæ ſummis Pontificibus inſuſurrari præcepta deceat, cùm id inter omnes catholicos conſtet, ipſos in ejuſmodi cauſis ſummos Pontifices falli poſſe, ac nedum ut illos ab errandi periculo ſuprema dignitas eximat, ut propter illam quam affert negotiorum molem, erroribus ac fraudibus magis exponat. Quâ ratione eos qui fucum ſummo Pontifici factum mirabantur, ſanctus Gregorius compeſcit;

Quid

Quid miraris, inquit dialog. lib. 1. cap. 4. *quia fallimur, qui homines ſumus? An mente excidit quod David qui prophetiæ ſpiritum habere conſueverat, contra innocentem Ionathæ filium ſententiam dedit, cùm verba pueri mentientis audivit? Quod tamen quia per David factum eſt, & occulto Dei judicio juſtum credimus, & tamen humanâ ratione qualiter juſtum fuerit non videmus. Quid ergo mirum ſi ore mentientium aliquando in aliud ducimur, qui prophetæ non ſumus? Multum verò eſt, quòd unius cujuſque Præſulis mentem curarum denſitas vaſtat; cùmque animus dividitur ad multa, fit minor ad ſingula; tantòque ei in unâ quâlibet re ſubripitur, quantò latiùs in multis occupatur.*

Ego verò ſic exiſtimo, decipi poſſint necne ſummi Pontifices, meliùs ipſos noſſe quàm te, mi Pater. Ergo cùm ipſimet profiteantur Romanos Præſules & maximos Reges fraudibus & fallaciis magis patêre, quàm quorum vita à paucioribus, à minoribus negotiis diſtringitur, ſic affirmantibus ipſis cur non crederemus? Porrò non difficile intelligitur quâ viâ ad ipſos fallacia obrepat. Hanc enim Bernardus jam diu deſcripſit in Epiſtola 327. ad Innocentium II. *Nec mirum*, inquit, *nec novum eſt, humanum animum poſſe falli & fallere. Monachi venerunt ad vos in ſpiritu mendacii & ſpiritu erroris, adverſus Dominum & adverſus Chriſtum ejus. Verbum iniquum conſtituerunt adverſus Epiſcopum, cujus converſationis & vitæ bonus odor fuit hactenus in omni loco. Qui ſunt iſti qui ut canes mordent, qui dicunt bonum malum, qui ponunt lucem tenebras? Qui ſunt iſti qui contra legem maledicunt ſurdo, & coram cœco ponunt offendiculum? Quare Domine iraſceris in filium tuum? Quare lætificaſti inimicos ejus. Vbi eſt illud Apoſtoli: Nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus ſi ex Deo ſunt? In Domino confide, quia diſſipabitur conſilium eorum; & cùm apparuerit quod verum eſt, evacuabitur quod ex falſo eſt, ut mentita ſit iniquitas ſibi.*

Vides, mi Pater, non inacceſſum eſſe fallaciis Romanorum Pontificum faſtigium, nec eo fieri ut errare non poſ-

ſint, ſed ut graviùs & periculoſiùs errent. Cujus rei Eugenium admonet idem Bernardus de Conſid. lib. 2. cap. ultimo. *Eſt item vitium*, inquit, *cujus ſi te immunem ſentis, inter omnes quos novi ex his qui cathedras aſcenderunt, ſedebis me judice ſolitarius: quia veraciter ſingulariterque levaſti te ſupra te, juxta Prophetam. Facilitas credulitatis hæc eſt, cujus callidiſſimæ vulpeculæ magnorum neminem comperi ſatis caviſſe verſutias. Inde eis ipſis* PRO NIHILO *iræ multæ, inde innocentium frequens addictio, inde præjudicia in abſentes.*

Jam tibi etiam, credo, mi Pater, probabile ſit, eam eſſe Summorum Pontificum conditionem ut falli poſſint. Sed ut hoc tibi penitus probem, redigam tibi in memoriam nonnullorum tum Pontificum, tum Imperatorum exempla, quibus, ut ipſemet narras, hæretici reipſâ impoſuerunt. Nam ab Apollinario Damaſum, à Celeſtio Zozimum deceptum eſſe commemoras. Imperatorem verò Heraclium à neſcio quo Athanaſio circumventum, & ad vexandos catholicos incitatum. Poſtremò Honorium ipſum refers ad edendum illud decretum in ſexta pòſt ſynodo crematum à Sergii Patriarchæ Conſtantinopolitani demiſſis in ipſum obſequiis impulſum eſſe.

Ergo, mi Pater, ut ipſemet agnoſcis, non rarò Reges ſummique Pontifices, eorum qui ſe hoc modo ipſis inſinuant artibus circumventi, dum hæreſibus occurrere putant, veritatis defenſores inſequuntur. Quod genus fraudis cùm vel maximè horrerent Romani Pontifices, quandam Alexandri III. Epiſtolam in Eccleſiæ legem & juris canonici formulam conſecrarunt, quâ Pontificia diplomata non exequi permittitur, cùm obreptum eſſe ſummo Pontifici ſuſpicio eſt. *Si quando*, inquit ille Pontifex, ad Archiepiſcopum Ravennatenſem ſcribens, cap. 5. extr. de Reſcrip. *Aliqua tuæ fraternitati dirigimus, quæ animum exaſperare videntur, turbari non debes. Qualitatem negotii pro quo tibi ſcribitur diligenter conſiderans, aut mandatum noſtrum reverenter adimpleas, aut per litteras tuas quare adimplere non*

poſſis

poſſis rationabilem cauſam prætendas. Quia patienter ſuſtinebimus ſi non feceris quod prava nobis fuerit inſinuatione ſuggeſtum. Hæc ſemper fuit eorum Pontificum ratio, quibus ſtudium fuit Chriſtianorum controverſias penitus cognoſcere, cognitaſque componere; non eorum cupiditatibus obſequi, qui nihil aliud quàm turbas & diſcordias quærunt. Non illi dominationem ſibi in Eccleſiâ vendicarunt, quod poſt Chriſtum Petrus & Paulus tam diſtrictè prohibent: ſed in Eccleſiâ gubernandâ veritatem ſemper pacemque ſecuti ſunt; & eam ob rem in omnibus eorum decretis aut exprimitur aut intelligitur hæc exceptio: *Si preces veritate nitantur.* Ex quo conſequens eſt, cùm tantùm valere ſua decreta Pontifices jubeant, quantùm ſibi ritè facta expoſita ſunt; non ideò factum aliquod pro vero habendum, quod aliquo ſummi Pontificis decreto confirmetur; ſed potius è Canoniſtis ipſa Pontificia decreta pro ratis ac validis tum demum habenda, cùm factorum veritate nituntur.

Undenam igitur factorum petenda cognitio? Ex oculis, mi Pater, & ſenſibus, quorum eſt de ejuſmodi rebus judicare, ut de iis quæ intellectu percipiuntur, nec naturæ fines excedunt, judicat ratio; de revelatis cœlitus myſteriis judicat fides. Nam quando in eum me ſermonem pertrahis, ſic habeto, mi Pater, ex Auguſtini & Thomæ placitis tres illos perceptionum noſtrarum fontes, ſenſus, rationem, & fidem, in ſeparatis quoſque materiis verſari, & intra ſuos fines firmam veritatis fidem facere. Atq; ut per ſenſus in animos illabi fidem voluit Deus, *fides enim ex auditu*, inquit Scriptura, nedum quicquam detrahat ſenſibus fides, ut fidem potiùs deſtruat, qui quod nobis bene adhibiti ſenſus renuntiant, dubium putet. Unde nominatim ſanctus Thomas providiſſe Deum notat, ut in ipſâ Euchariſtiâ ſenſibilium accidentium formæ permaneant, *ut ſenſus à deceptione reddantur immunes.*

Quamobrem quicquid demum nobis excutiendum detur, primùm ſpectabimus cuinam illorum quæ diximus

principiorum ſubſit. Si res agitur ſupra naturam, nec ſenſibus eam nec ratione metiemur; ſed Scripturæ & Eccleſiæ decretis. Sin autem aliquid nobis nec divinitus revelatum, nec rationis ſuperans captum proponitur, hoc rationis arbitrio permittemus. Poſtremò ſi de facto controverſia ſit, ſenſus judices adhibebimus, quibus iſtorum cognitio ac judicium à naturâ ipſâ arbitrium eſt.

Porrò tam latè patet iſtud præceptum, ut ex Auguſtino & Thoma, quoties in aliquem incurrimus Scripturæ locum cujus obvia ſententia perſpicuæ ſenſuum ac rationis perceptioni adverſatur, tum nobis vim adhibere nil neceſſe ſit, quo ſenſus reluctantes refragantemq; rationem illi ſponte ſe offerenti ſenſui mancipemus; ſed potiùs alia hujus loci quærenda ſententia, quæ à ratione ſenſibuſq; non diſſident. Nam cùm in ipſis etiam factis, Scripturæ omnis erroris expertes ſint; & rationi item ac ſenſibus ſuus ſit orbis, intra quem res objectas certò comprehendant; ut veritas veritati non pugnat, ſic nec Scripturæ ſenſibus pugnant. Quamobrem ut varias Scripturæ ſententias admittunt, contrà nonniſi unum nobis nuntiant ſenſus, ea demum vera putanda eſt Scripturæ ſententia, quæ fideli ſenſuum perceptioni non refragetur. *Sicut Auguſtinus docet*, inquit S. Thomas 1. p. q. 68. a. 1. *in hujuſmodi quæſtionibus duo ſunt obſervanda: primò quidem ut veritas Scripturæ inconcuſſè teneatur: ſecundò, cùm Scriptura divina multipliciter exponi poſſit, quod nulli expoſitioni aliquis ita præciſè inhæreat, ut ſi certâ ratione conſtiterit hoc eſſe falſum, id aliquis ſenſum Scripturæ eſſe aſſerere præſumat.*

Atque id ex quodam Geneſeos loco probant, ubi ſcriptum eſt: *Fecit Deus duo luminaria magna: luminare majus, ut præeſſet diei; & luminare minus, ut præeſſet nocti; & ſtellas.* Quo loco videtur aſſerere Scriptura lunam ſtellis majorem eſſe. At quia contrarium neceſſariis argumentis evincitur, imprudentiæ ſit ſenſum hunc litteralem pertinaciter amplecti, aliuſque prorſus exquirendus, qui cum hâc facti veritate

ritate conſentiat: ut ſi quis dicat his verbis, *luminare majus*, non lunaris corporis molem, ſed lucis à luna ad nos pertinentis vim ac magnitudinem ſignificari. Qui aliter ſe gerat, non ille Scripturæ majorem reverentiam conciliabit, ſed eam contrà in infidelium contemptum adduxerit. *Cùm enim*, inquit Auguſtinus de Gen. ad litt. lib. 1. c. 19. *quemdam de numero Chriſtianorum in eâ re quam optimè norunt, errare deprehenderint, & vanam ſententiam ſuam de noſtris libris aſſerere, quo pacto illis libris credituri ſunt de reſurrectione mortuorum, & de ſpe vitæ æternæ, regnoque cœlorum; quando de his rebus quas jam experiri vel indubitatis numeris percipere potuerunt, fallaciter putaverint eſſe conſcriptos. Sicque*, inquit, ſanctus Thomas loco ſupra citato, *Scriptura ex hoc verbo ab infidelibus deridetur, & eis via credendi præcluditur.*

Hæreticos verò, mi Pater, quid magis abalienaret ab Eccleſiâ? Quid majorem ipſis Summi Pontificis contemptum afferret, quàm ſi pro catholicis non haberi videant, qui nonnulla verba in aliquo libro, ubi reverà non extant, extare non credant, quòd id circumventus Pontifex definierit? Utrùm aliquid in aliquo libro reperiatur necne, mi Pater, uno demum modo cognoſci poteſt, ſi ille liber diligenter excutiatur. Senſuum eſt ejuſmodi controverſias diſceptare. Ergo ſi quòd contendis verum eſt, doce, convince: ſin minùs, nemini moleſtus ſis; fruſtra enim hic tibi ſuſcipietur labor. Nulla tanta in mundo autoritas eſt, ut aliquod facti caput ſuo pondere planè perſuadeat. Nullius enim potentiâ quod factum eſt, infectum eſſe poteſt.

Nam ut à domeſticis exemplis non abeam, fruſtra Leo IX. poſtulantibus Ratisbonenſibus Monachis ſolemni decreto definivit, ſancti Dionyſii Epiſcopi Pariſienſis, quem plerique Areopagitam illum Dionyſium fuiſſe cenſent, corpus è Galliâ raptum, & in cognominem Eccleſiam Ratisbonæ collatum: nihilominus ſanctum hoc corpus & ſemper fuit, & etiamnunc eſt in celeberrimâ illâ Abbatiâ, cui

cui à Dionyſio nomen eſt; ubi, niſi multa me fallunt, non multos hæc Leonis Bulla haberet aſſenſores, tametſi rem à ſe diligentiſſimè quæſitam eſſe teſtetur, & Gallis omnibus *diſtrictè præcipiat*, ut Dionyſii corpus non jam apud ſuos eſſe fateantur. At noſtri qui errorem Pontificis oculis tenebant, & aperto Dionyſii Lipſanodochio integras, ut teſtantur illius ætatis Scriptores, reliquias repererant, & tunc & deinceps ſemper crediderunt quod credi vetuerat Pontifex, cùm etiam prophetas & ſanctos ejuſmodi fraudibus decipi pernoſcerent.

Fruſtra item vos adverſus Galilei ſyſtema neſcio quod decretum abſtuliſtis, quo ejus de terrâ in gyrum circumactâ ſententia proſcribitur. Hoc decreto telluris quies, mihi crede, non bellè demonſtratur; quin ſi certis obſervationibus moveri ipſam oſtendi poſſet, non efficient conjunctæ omnium inter ſe hominum vires, vel ut ipſa non moveatur, vel ut non cum ipſâ ipſi moveantur.

Nec tu, mi Pater, iracundis illis Zachariæ Summi Pontificis ad Bonifacium litteris, quibus anathemati ſanctum Virgilium ſubjicit, *quod alios ſub terrâ homines, id eſt antipodas eſſe diceret*, novum hunc orbem in nihilum redactum eſſe credideris. Quanquam enim hanc Virgilii ſententiam pernicioſum in fide errorem Pontifex ille pronuntiarit; tamen Hiſpaniarum Regi non malè ceſſit, quòd Chriſtophoro Columbo ex illo orbe redeunti plùs crediderit, quàm Zachariæ qui certè nunquam hæc adierat loca: nec levem quoque indidem Eccleſia cepit fructum, perlato ad tot gentes Euangelio, quæ ſi paulò magis Zachariæ aſſenſum foret, in infidelitate periiſſent.

Cernis, mi Pater, opinor, iſtæ facti quæſtiones cujuſmodi ſint, & undenam illarum judicium petendum ſit. Ex quo ad propoſitum noſtrum colligi facile eſt, ſi quinque propoſitiones Janſenii non ſint, fieri non poſſe ut ex ejus libro excerptæ fuerint; & proinde ut hoc rectè & dijudicetur, & perſuadeatur hominibus, unam eſſe viam, ſi legiti-

mâ collatione inſtitutâ, Janſenii liber coram omnibus expendatur, quod jam diu fruſtra flagitant adverſarii tui. Hoc priuſquam conceſſum fuerit, nullus vobis ſuppetet color, cur illis pervicaciam objiciatis. Prorſus enim in facti capite culpâ carent, ut in juris quæſtionibus carent erroribus. In jure catholici, in facto æqui, utrobique innoxii ſunt.

Quis igitur non miretur adverſus tam ſpectatam innocentiam, tam atroces ac violentas criminationes intendi! Quis vos unquam de facti quæſtiunculâ litigare exiſtimarit, in quâ vobis nihil probationis afferentibus aſſentiri homines vultis! Aut cui poſſit in mentem venire, tot turbas in Eccleſiâ commoveri DE NIHILO, ut modò loquentem Bernardum audivimus. Sed hoc ipſum callidiſſimè à vobis comparatur, ut homines omnia in re quæ nihili eſt, eſſe putent; quò viri Principes, qui vobis aures ſuas incautiùs dedunt, in iſtis contentionibus graviſſima catholicæ fidei adverſus Calviniſtas dogmata verti arbitrantes, omni ſuâ potentiâ adverſarios veſtros oppugnent, quaſi ex illorum excidio penderet catholicæ Religionis ſalus: qui ſi ſatis de leviculâ tantùm facti quæſtione certari intelligerent, omnes illas contentiones æquo animo in poſterum ſpectarent; nec mediocriter credo dolerent, in re quæ Eccleſiam nihil attingat, tot labores fruſtra cepiſſe, ut privatis Societatis veſtræ cupiditatibus obſequerentur.

Nam, ut omnia in deterius accipiantur, ſit ita ſanè ut propoſitiones illas reverà Janſenius tradiderit: ſed quod tantum incommodum eſt, ſi nonnulli de hoc addubitent, modò ipſas propoſitiones propalam deteſtentur, ut faciunt? Non ſatis, illas ab omnibus nemine excepto damnari, & eo quidem ſenſu quo illas damnari voluiſtis? An magis in illis hærebit cenſura, ſi eidem ſubjiciatur ipſe Janſenius. Quò pertinet igitur iſtas ſubſcriptiones exigi, niſi ad infamandum catholicum Epiſcopum, in Eccleſiæ catholicæ vitâ functum? An porrò tantum in eâ re boni, ut illud tot

turbis

turbis redimi expediat? Quid hoc Reipublicæ intereſt; quid Summi Pontificis, quid Epiſcoporum, quid Doctorum, quid Eccleſiæ? Nihil prorſus, mi Pater: ſolius demum Societatis tuæ intereſt, infamiâ aſpergi Janſenium, qui ipſi nonnihil obfuit. Omnia tamen videmus commoveri, quòd omnia periclitari vobis malè creduli homines putent. Arcana hæc tantos motus ratio ciet, qui repentè concident, ubi vetus contentionum veſtrarum ſtatus innotuerit. Atque ut inde pendebat Eccleſiæ tranquillitas, magni retulit hoc aperiri; quò retectis atque diſcuſſis veſtris artibus, nullum in accuſationibus veſtris veri colorem, nullum in adverſariis veſtris errorem, nullam in Eccleſiâ hæreſim eſſe pateſceret.

Hanc, mi Pater, utilitatem in hâc Epiſtolâ ſecutus ſum, quam tanti ad totam Religionem eſſe momenti reor, vix ut intelligam quomodò in hâc cauſâ ſileant adverſarii veſtri, quibus tantas ſufficitis loquendi cauſas. Si nullum ipſi capiunt ex ſuis injuriis dolorem, videndum tamen fuerat an Eccleſiæ tam graviter à Jeſuitis violatæ perinde diſſimulari injuriæ debuerint. Nec mihi ſatis certum eſt, an Eccleſiaſticis liceat famam ſuam calumniis hominum, præſertim in iis quæ fidem attingant, lacerandam permittere. Et tamen illi taciti vos ſinunt impunè bacchari. Ac ni caſu hanc mihi occaſionem obtuliſſetis, maledicentiam fortè veſtram hos rumores ubique diſſipantem nullus omnino repreſſiſſet. Quamobrem illorum patientiam majorem in modum ſtupeo, eò magis quòd nec ignaviæ mihi, nec infirmitatis ſuſpecta eſt. Novi enim quàm non illi ad depellendas à ſe criminationes veſtras rationibus egeant, uti nec ad tuendam veritatem ſtudio & ardore. Et tamen ipſos in ſilendi propoſito ita video religioſos, ut verear ne in hanc partem nimio plùs incubuerint. Ego verò, mi Pater, ſilere mihi fas eſſe non puto. Deſine Eccleſiam ſollicitare, nec jam te aut Societatem tuam ſollicitabo. At quandiu id unum ages, ut contentiones ac turbas in Eccleſiâ

cleſiâ foveas, defuturos ne credideris pacis filios, qui ad tranquillitatem in Eccleſiâ retinendam vires omnes ſuas conatuſque conferant. Vale.

WILLELMI WENDROCKII

DIALOGUS,

EPISTOLÆ DECIMÆ-OCTAVÆ

illuſtrandæ ſerviens.

Cùm nihil Jeſuitæ in hanc Epiſtolam decimam-octavam muſſitarint, vi veritatis, ut apparet, convicti, atque conſtricti, me quoque reſpondendi labore ſolutum intelligo, nec illibenter. Quamvis enim de ſummi Pontificis autoritate ea demum ſcripſerit Montaltius, quæ inter omnes catholicos conſtant: tamen omnes ejuſmodi quæſtiones per ſe odioſæ ſunt, nec niſi neceſſariò pertractandæ. Quamobrem nec Janſenianæ me controverſiæ admiſceo; nec illos, quos in facto refert Montaltius, Summorum Pontificum errores, multis quod poteram ex omni catholicorum Theologorum genere petitis exemplis locupleto. Tantùm ad operis calcem attexere viſum eſt habitam mihi cum viro erudito, at in Moliniſtas propenſiore, diſputationem; nec inamœnam per ſe, & cum hujus Epiſtolæ argumento cohærentem, imò ex illâ ipſâ Epiſtolâ natam.

Nam cùm eam huic meo familiari legendam dediſſem, repoſcens de more quæſivi qualis ipſi viſus fuiſſet in illâ Montaltius meus? Tum ille: Felicior, inquit, in caſtigandâ Annati temeritate, quàm in ſuâ ſententiâ ſtabilienda prudentior. Ego autem: Tuum verò, inquam, faſtidium aliquantulùm miror, judicium requiro. Quid enim, ut cætera omittam, clarius, ſplendidius, verius, quàm quod de gratiâ efficaci diſputat, quæ voluntatem flectit, vim diſſentiendi non eripit? Hoc illud eſt, inquit, pace tuâ dixero,

ro,

ro, quod mihi in hâc Epiſtolâ & infirmum viſum eſt, nec ſatis Montaltio dignum. Scio ita nugari Thomiſtas: credo etiam quoniam ita vult Montaltius, ita nugatum eſſe Janſenium. At Montaltio ſic nugari per me non licet. Debuerat iſtas ineptias ad Scholaſticos amandare, non minùs ab ipſius ingenio, quam à veritate abhorrentes. Vin dicam ſimpliciter quod ſentio? Planè mihi perſuaſit ſe eſſe Thomiſtam, ſed ſimul nonnihil inficetum eſſe perſuaſit. Quid enim, obſecro te, ineptius ſomnolentâ illa & inerti diſſentiendi potentia, ex qua nullus unquam actus prodierit, aut proditurus ſit. Dicis, à gratia efficaci poſſe diſſentiri? Audio; ſed unde hoc noſti, quando nullus unquam actu diſſentit? Iſto modo circulatores argui mendacii non poterunt, qui in quovis ſuo medicamine, cujuslibet morbi ſugandi vim eſſe dictitant. Nam ſi quis objiciat nunquam ex illo talem effectum extitiſſe, Thomiſticè dicent eſſe quidem in actu primo ejuſmodi potentiam, ſed nunquam in actum ſecundum prorumpere.

Hæc cùm ille declamitaret, ſivi animum ut jocando expleret ſuum. Mox ut conticuit: Aliàs, inquam, de hoc audies, & fortaſſis aliquid de tuâ in hanc opinionem iniquitate remittes. Satis eſt mihi quòd Montaltium cum Thomiſtis conjungis, quorum ſubſidio facilè cauſam ſuam adverſum te tuebitur: tu vide ut Molinam tuum non minùs fortiter adverſus ipſum tueare: interim tamen orthodoxum illum fatearis neceſſe eſt, qui Thomiſtam fateris. Sic eſt, inquit; & orthodoxus eſt Montaltius, & Thomiſta; & quod tu boni conſulas velim, nugator elegans quidem, at nugator tamen. Videbimus, inquam; ſed tu cave ne iſti joci in te redeant. Interim levem, rogo, mihi operam præſtes. Quam, inquit? Nihil eſt quod à me tute expectare non debeas, modò ne me Thomiſtam fieri poſtules. Non hoc, inquam; ſed aliud longè diverſum volo, nempe ut hinc per feneſtram in altum ſubvoles. Eho, inquit, ſatin' ſanus es qui me iſtud roges? Quid ni rogem, inquam,

cùm

cùm tute modò omnia te facturum eſſe receperis meâ cauſâ. Omnia quidem, inquit, ſed quæ poſſem modò: at hoc quàm non poſſim ipſe perſpicis. Age igitur, inquam, ſi altum times, & vereris cœlo te credere; ſaltem hoc mihi da, ut te deorſum ex feneſtrâ præcipitem des. Tum ille: Abi, inquit, cum tuâ hâc poſtulatione. Ego autem: Age, age, inquam, prolixè: quid ſi aliquid gravius peterem? Ille verò ſubiratus: Quorſum, inquit, has ineptias? Scies, inquam; ad aliquid iſtæ ſerium tendunt: tu, rogo, ut mihi reſpondeas quaſi ſeriò interroganti.

Iterum igitur peto ut te hinc deorſum præcipites: jam enim, ut modò, cauſari nequis te id non poſſe. Certè, inquit, poſſum; ſed nolo. Bene eſt, inquam; places, & te ita incolumitatis tuæ lætor ſtudioſum. At illud numnam impetrabo, ut tibi naſum amputes, oculos effodiás, manus trunces, linguam abſcindas? Nam hæc quoque te poſſe non negabis. Tum ille: Non nego me poſſe, inquit. Si quidem hoc potes, inquam, fac igitur. Ille autem: Poſſum utique, ſed nolo. Velis igitur. Imò, inquit, nolo velle. Quid ſi hoc, inquam, libertatis tuæ velis experimentum præſtare? Præclarè enim hoc te poſſe probaveris, ſi feceris. Apage, inquit, iſta experimenta: non tanti eſt ſic experiri libertatem meam.

Tum ego: Video te quidem in tuendis oculis tuis obſtinatum; ſed putaſne à me in hâc urbe inveniri poſſe, qui quò mihi gratificetur, oculos ſibi velit eruere? Certe, inquit, nullum invenies. Quid in totâ Germania? Nec in tota, inquit, Germania. Quid in reliquo orbe? Nec in reliquo, inquit, orbe; niſi fortè in iis locis ubi concluduntur furioſi. Præfractiores ſunt, inquam, ut video, iſtius temporis homines, & oculorum ſuorum ſervantiores. At fortè tu qui veteres hiſtoricos ſtudioſè perlegis, multa mihi iſtius obſequii exempla potes commemorare. Sic eſt, inquit; quidam ſibi præ triſtitiâ & rabie oculos effodere, ut de Oedipo fertur, quidam ut liberiùs philoſopharen-

tur, quod de Democrito jactitant. At qui ut nuganti amico obſequeretur excæcaret, nec ullus antè, credo, inventus eſt, nec pòſt invenietur ullus. Imò nec tam ineptus fuit quiſquam ut hoc rogaret, nedum ut tam ſtultus quiſquam fuerit ut roganti concederet. Et tamen, inquam, omnes id potuerunt facere, quod nullus nec fecit nec faciet. Quid tum, inquit? Rogas, inquam; nec cernis jam quid effectum ſit? Nempe tu ludens dediſti duce natura, quod aliter nunquam præjudiciis tuis obſcuratus dediſſes. Quid dedi, inquit? Potentiam, inquam, ab initio mundi ad finem uſque ceſſantem. Poſſunt enim ſibi oculos eruere vel ludentes: ſentiunt omnes id ſe poſſe; nemo vult, nemo voluit, nemo volet. Habeo igitur potentiam quæ nunquam agat. Habeo voluntatem à qua nunquam diſſentiatur.

Sed cerniſne quàm hoc latè pateat? Eccui enim perſuadebis, ut nudus in plateis obambulet ſine cauſa; & tamen quis hoc non poteſt? Eccui Magiſtratui, ut hiſtrionico habitu in ſenatum ingrediatur? Eccui ſacerdoti, ut ſine pileo diſcurrat? Quid tu qui dives es, non invitus, credo, roget te quis, ut te ad inopiam redigas? Quid faceres? Vt tu poſtulatorem illum ſummoveres? Luſtra quæſo & circumſpice hominum vitam, videbis illos ad omnia pene officia infallibili propenſione determinatos, pauca quædàm eſſe in qua ſe jactet illa veſtra verſatilis & inſtabilis indifferentia. Nemo totos dies in lecto deſidet non ægrotus: nemo Germanorum Turcicum hîc habitum gerit: nemo Turcarum Germanicum: nemo homines hîc in tapetibus accipit: nemo inter ſalutandum terga vertit. Affert conſuetudo certum & infallibilem vitæ modum in pleriſque rebus: affert cupiditas; affert turpitudinis fuga. His omnibus ſic animus fingitur & afficitur, ut licet poſſint omnes diſſentire, nullus tamen actu diſſentiat.

Videſne hujus rei quam tu irridebas, non imagines modò, ſed exempla. Quid enim efficit gratia efficax? Ut Deus homini dulceſcat, ut vitam ſuam, ut lumen, ut incolumitatem,

tem, divitias, ſalutem in Deo poſitam cernat & gaudeat; contrà ut peccatum ipſi deforme, turpe, calamitoſum, & nullius præ æternis bonis pretii videatur, ut illud intimo animi ſenſu horreat & deteſtetur. Hîc jam cur miraris, quòd quandiu ſic affecti ſunt homines, nunquam à gratia diſſentiant, tametſi in ſe diſſentiendi potentiam eſſe ſentiant. Poteſt cupiditas ad certas actiones voluntatem infallibiliter movere, poteſt conſuetudo, poteſt ratio. Cur igitur id ipſum gratia non poterit? Cur infallibilem illam quam affert gratia propenſionem voluntatis, metuis ne officiat libertati; cùm tot videas infallibiles propenſiones à cupiditate, à conſuetudine, à ratione; à quibus tamen libero arbitrio nihil metuis?

Hoc cùm dixiſſem, ille ſubridens: Hoccine erat, inquit, quod tanto molimine agebas? Non fuit, mi Vuillelme, cur hæc tam altè repeteres: nil opus fuit iſto circuitu, nil tot exemplis. Eſt ut dicis quidem, & ad multa nos ita infallibiliter impellit ratio, impellit conſuetudo, impellit etiam, quoniam ita vis, gratia: ſed ſicut abſolutè non repugnat ut à ratione, à conſuetudine, à cupiditate recedamus; ita non repugnat quominùs à gratiâ etiam efficaci actu diſſentiamus. Itaque hoc potiſſimùm limite invicem diſcludimur, quòd ego velim quantacunque adſit cupiditas, quantacunque gratia; non repugnare ut actu diſſentiat voluntas ſi velit: at tu omnino id repugnare doces, & Thomiſtæ tui. Moralem enim infallibilitatem admitto, phyſicam ut libertatis inimicam ejicio. Poſſet enim non ſolùm voluntas diſſentire ſi vellet, ſed poteſt etiam velle. Poſſum me præcipitem dare ſi velim, & poſſum id velle. At vos cùm dicitis: *poſſe voluntatem diſſentire ſi velit*, cùm aliquid dicere videri velitis, nihil reverà dicitis: negatis enim quemquam poſſe velle diſſentire.

Hîc ego: In parvulis ſumus, amice; atque haud ſcio an nos verborum potiùs ambiguitas, quàm ulla ſolida contentio dividat: tu vide ne id ipſum quod morale dicis,

phyſicum appellem. Quid eſt enim quod dicis poſſe te velle, verbi gratiâ, oculos tibi eruere, & præcipitem te dare? Cur igitur non vis quod velle potes? Quia ſcilicet non vis uti eâ poteſtate quam habes. Poſſes omnino hoc velle, fateor; & cùm hoc à me negari dicis, non ſatis calles ſententiam meam: ſed quia non vis, ideò nec velle vis. Ita prorſus & à gratiâ efficaci ſemper poſſumus diſſentire, & poſſumus velle diſſentire: ſed quia volumus obſequi, hanc ipſam obſequendi voluntatem Deo nobis inſpirante, ideò voluntatem diſſentiendi procul abjicimus. Omnino enim voluntas alicujus rei faciendæ excludit ejus non faciendæ voluntatem: qui vult, velle vult, & nolle non vult: qui vult obſequi gratiæ, vult non diſſentire, quod poſſet ſi vellet. Mirabilis quidam fit in hâc materiâ circulus, prorſuſque deveniendum ad imperatorium aliquod velle, ex quo omnes aliæ voluntates profluunt. Hoc in homine gratiæ experte ex dominante cupiditate naſcitur: in homine ſub efficaci gratiâ conſtituto à gratiâ ipſa inſeritur. Quandiu ergo manet gratia cupiditate ſuperior, nunquam actu voluntas ab eâ diſſentiet: quia autem nunquam diſſentit, hinc aliquando dicitur à Patribus non poſſe diſſentire; ita tamen ut hâc phraſi non ſignificetur ſublata diſſentiendi poteſtas, ſed tantùm firma & conſtans non diſſentiendi voluntas: nec enim alia in voluntate impotentia eſt. Jam verò infallibilem illum dominantis in corde amoris effectum, quis vetet etiam phyſicum appellare? Nec veto ut etiam moralem appelles, dummodò hoc verbo nil effectus infallibilitati deroges.

Ergo inpoſterum aliam, ſi ſapis, jocandi materiam deliges, quàm illam inertem, ut loqueris, potentiam; cùm ejuſmodi potentiis plenam videas hominum vitam. Sed tamen, inquit ille, non repugnat ut mihi oculos eruam, nec repugnat ut hoc velim: imò hoc, ut antè dixi, quidam præ deſperatione, alii præ philoſophandi ſtudio voluerunt: fortaſſe etiam poſſit quis tanto ſtudio experiendæ liberta-

tis

tis ardere, ut propterea ſibi oculos effoderet. Non legiſti, apud Indos in uſu poſitum fuiſſe, ut ſe Philoſophi, ut uxores mortuis maritis ſe ſe cremarent? Nihil agis, inquam; nec te unquam è ſententiæ tuæ difficultatibus expedies. Omnes illi, quos commemoras vel ſibi oculos eruiſſe, vel ſe vivos cremaſſe, aut aliquâ calamitate oppreſſi, aut aliquo errore decepti, aut poſtremò aliquo vehementiore ſtudio incitati, iſta fecerunt. At qui ſibi gratis, dum externæ illæ cauſæ abſunt, aut cremaret, aut excæcaret, nullum invenies. Et tamen nullus hoc non poteſt. Teneo igitur ſemper illam, quam tu agnoſcere detrectas, agendi potentiam, actu in perpetuum carentem.

Mirum verò, inquit, ſi hæ potentiæ actu careant, de quibus nunquam cogitatur! Quis enim de oculis ſibi eruendis cogitat? At tunc etiam ne liberi quidem ſumus, cùm ad libertatem requiratur, ut de re quam facimus non faciendâ cogitemus. Hîc ego paulò acriùs. Malè profectò, quòd in ejuſmodi opinionibus compingendis non ſatis cum ſenſu communi deliberas. Quid enim abſurdius, quàm hoc quod quaſi Theologiæ effatum pronuntias, liberos non eſſe nos, niſi cùm de eâ re quam facimus non faciendâ cogitamus? Age, dic, nam appellare libet conſcientiam tuam. An hodie cùm de lectulo ſurrexiſti, utrùm totum hunc diem in lectulo tranſigeres deliberaſti? Quid cùm ad prandium aſſediſti, venitne tibi in mentem impranſum è menſa diſcedere? Quid cùm tam multos amicos tuos in viâ ſalutaſti, an illos inſalutatos prætermittere cogitaſti? Quid cùm illos blandè appellaſti, ſuccurritne tibi ipſis convitia ingerere? Quid cùm loqueris, an ſemper cogitas de tacendo; cùm ambulas, de non ambulando; cùm reddis debita, de fraudando; cùm verum dicis, de mentiendo? O te miſerum, ſi ſemper tam abſurdis cogitationibus pulſaris. Transfer nunc iſta ad pietatis officia, etiam quibus cælum meremur. Cenſeſne compoſitos Religioſos, cùm ſtatis horis ad orationem ſe ſiſtunt, ſemper de omittendâ

precatione cogitare, alioquin nihil merituros? Cenſen' bonos Chriſtianos, cùm diebus feſtis audiendi ſacri cauſa ad Eccleſiam veniunt, de violando hoc præcepto ſemper cogitare? Putaſne illos ſemper epulis inhiare, cùm jejunant? Siquidem ita ſit, nihil perniciosius quàm cupiditates extinguere, & in virtute proficere. Ex utroque enim fit ut ejuſmodi malæ cogitationes plerunque deſint in implendis etiam graviſſimis Chriſtianæ vitæ officiis, ſine quibus nihil liberum, nihil Deo gratum eſſe dicebas.

Sentio te tantis abſurditatibus commotum, in iſtâ ſententiâ non labare modò, ſed ab ea planè reſipiſcere. Diſce igitur, ejuſmodi rerum, vel de quibus non cogitatur, vel à quibus etiam cogitatis abhorret animus alio occupatus affectu, perpetuam quidem eſſe in voluntate potentiam, quæ tamen nunquam in actum prodeat, dum vel aderit dominans affectio à diſſentiendo retrahens, vel dum deerit neceſſaria ad diſſentiendum cogitatio. Sic quia argumentum illud libertatis, quod erutis tibi oculis dares, inſanum exiſtimas: dum ita judicabis nunquam hoc facies, quod potes tamen. At ſi mutaretur affectio ſuperveniente ſtultitia, nec deeſſet iſta cogitatio, tunc non modò id poſſes, ſed fortaſſe etiam faceres. Ejuſmodi eſt illa potentia malè agendi, quæ componitur cum efficaci gratia: nunquam continget ut in actum exeat, dum ſuperior manebit impreſſa à gratia efficaci affectio: at hac ſublata poterit etiam in actum prorumpere. Quare quod tui dicunt, à Janſenianis admitti tantùm diſſentiendi poteſtatem, mutatis prærequiſitis, planè falluntur, ſi de ipſis potentiis ſermo ſit. Componunt enim illi, itidem ut Thomiſtæ, potentiam ad oppoſita, non ſolùm cum prærequiſitis ad agendum, ſed etiam cum actu oppoſito: ſed negant actu contingere ut diſſentiatur, niſi mutetur ea mentis affectio quam inſerit gratia.

Quamobrem vide, quæſo, quàm prope te ad nos levis hæc comparatio admoverit. Nolle te dicis oculos tibi

eruere:

eruere: dicimus nolle hominem qui gratiâ efficaci donatus eſt, ipſi diſſentire. Dicis id te poſſe ſi velles: dicimus ipſum poſſe diſſentire ſi velit. Dicis te id poſſe velle, ſed nolle velle: dicimus ipſum poſſe velle diſſentire, ſed hoc ipſum velle, nolle. Fateris nunquam te id voliturum, niſi mutetur mentis affectio: dicimus ipſum nunquam diſſenſurum, niſi mutetur mentis affectio.

Tum ille meus amicus: Dupliciter, inquit, fieri poteſt, ut concordes ſimus: vel ſi ego ad te acceſſero, vel ſi tu ad nos deſcenderis. Prius illud factum arbitraris; ego poſterius: videris enim de tuorum dogmatum aſperitate multùm remittere. Dic potiùs, inquam, aliquantum te in iſtorum cognitione proficere. Nam hæc quæ dico, centies ab aliis dicta ſunt. Sed mirum quanta vos cognoſcendæ ſententiæ noſtræ habeat incuria. Ille autem: Eſt hic tamen, inquit, aliquid quod requiram. Nam aut prorſus in eâ quam vos Auguſtinianam Theologiam dicitis, nihil intelligebam; aut aliquantulùm hîc à tuis dogmatis ipſe diſcedis. Ain tu non aliter operari in voluntate gratiam, quam validam concupiſcentiam, & multo uſu confirmatam conſuetudinem; atque ut ab illis relinquitur diſſentiendi poteſtas, licet diſſentiendi voluntas excludatur, ſic item à gratiâ? Ajo, inquit; ſed cum quibuſdam tamen cautionibus ajo, quas afferam ubi tu quæ mihi objicere volebas, priùs audiero. Breviter dicam, inquit; nempe hoc tibi conceſſi, & rectè, quamdiu ſic animatus ero ut nunc ſum, nunquam fore ut mihi oculos eruam. Concedo item avarum nihil ſibi metuentem, nunquam omnes divitias in flumen projecturum. Mutetur oportet mentis affectio ut ejuſmodi aliquid contingat. Sed hoc in omni cupiditate animadverti poteſt, quod quanquam à validiore nunquam diſſentiatur, ſæpe accidit tamen, ut qua tunc validior eſt, aliquantò pòſt invalidior fiat. Exempli gratiâ: avarus ſi nihil ſit periculi, lucrum oblatum, juſtum præſertim nec inhoneſtum certò arripiet. At ſi quis ipſi mortem minite-

tur, jam fortè tanti vitam æſtimabit, ut eam nolit propter mediocrem pecuniam in diſcrimen adducere. Itaque generatim nulla cupiditas ita valida eſt, ut non poſſit alia validior exoriri, à quâ non modò poſſit ſuperari, ſed etiam actu ſuperetur.

Quæro igitur ex te, an idem de gratiâ illâ victrici & efficaci ſentias; ſive an quæ nunc victrix eſt dum cum levi cupiditate pugnat, auctâ cupiditate & acriùs inflammatâ poſſit etiam actu ſuperari. Hîc ſi te ad nos inflexeris, metuo ne multùm à Montaltio, multùm à Thomiſtis tuis recedas. Neutrum faciam, inquit; ſed ſubtili objectione pulſatus multis ignoratum Auguſtinianæ doctrinæ arcanum proferam. Dupliciter ſpectatur efficax gratia: vel in ſe ſeparatim, vel cùm divinâ voluntate conjuncta. Priori modo prorſùs cum cupiditate convenit: non aufert diſſentiendi potentiam, ut nec cupiditas: certò & infallibiliter operatur, dùm cum minore concupiſcentiâ pugnat, ut cupiditas item. Et quemadmodum cupiditas quæ victrix erat dum cum aliâ minore certabat, ſi hæc invaluerit & admotis propiùs ejus incitamentis exarſerit, deſinit eſſe victrix, deſinit plenam elicere voluntatem: ſic item eadem illa gratia quæ cum minore cupiditate pugnans victrix dicebatur, ſi novus ingruat cupiditatis fluctus, actu ſuperatur. Ita fieri poteſt ut qui levem tentationem ſuperat, à majore ſuperetur, etiamſi eâdem utrobique gratiâ polleat.

Habes in quibus cum cupiditate gratia conveniat. Audi jam quamobrem certior longè ſit & efficacior gratia, quàm cupiditas. Nimirum, ut rectè Thomiſtæ docent, non ſeorſum gratia ſpectanda eſt; ſed quatenus inſtrumentum Dei cum efficaci ejus & omnipotenti voluntate conjunctum, quàm certum eſt ab humanâ voluntate ſuperari non poſſe. *Hoc enim niſi credamus*, inquit Auguſtinus in Ench. cap. 96. *periclitatur ipſius noſtræ fidei confeſſionis initium, quâ nos in Deum Patrem omnipotentem credere confitemur;*

mur. Neque enim ob aliud vocatur omnipotens, niſi quia quicquid vult poteſt, nec voluntate cujuſpiam creaturæ, voluntatis omnipotentis impeditur effectus. Noſti etiam præclaram S. Thomæ hâc de re ſententiam 1. 2. qu. 112. a. 3. ubi de præparatione ad gratiam ſanctificantem agens: *Poteſt*, inquit, *ea conſiderari ſecundùm quod eſt à Deo movente; & tunc habet neceſſitatem ad id ad quod ordinatur à Deo, non quidem coactionis, ſed infallibilitatis; quia intentio Dei deficere non poteſt.*

Quarè cùm divina voluntas miſericorditer cum homine agere decrevit, eligit difficultati attemperata remedia. Si validâ concupiſcentiâ occupatum animum ad ſe convertere ſtudet, validiorem gratiam immittet; tum ne novæ vires cupiditati accedant efficiet: ita fiet ut eum ſemper gratia ſortiatur effectum, quem propoſuit Deus; & nunquam per voluntatem creatam, omnipotentis voluntatis impediatur effectus. Sic omnem reſiſtentiam Deus ſuperat, tum poſitivè, ut loquuntur, amorem Dei concupiſcentiâ validiorem inſpirans; tum negativè, alimenta & incitamenta cupiditatis ſubſtrahens.

Iſto modo, inquit, poterit aliquando contingere, ut eadem gratia ſeorſim à divinâ voluntate ſpectata, variè affectis animis collata, & in vario cupiditatis gradu conſtitutis, hos convertat, illos non convertat. Ita prorſus, inquam; nec alienam inde explicationem eruere potes illius loci qui multis videtur ſatis difficilis: *Væ tibi Corozaim; væ tibi Bethſaïda* &c. ſed illam hîc perſequi latiùs, otium non eſt. At nunquam fit ut animis ſimiliter affectis, eadem illapſa gratia hunc convertat, illum non convertat, qui proprius tuorum Moliniſtarum eſt error.

Bene eſt, inquit, multùmque de meâ à vobis alienatione hæc tua expoſitio detrahit. Sed tamen unus mihi ſcrupulus etiamnum reſtat. Nam ſi ita eſt quemadmodum dicis, ut gratia illa victrix & cupiditate ſuperior, ſemper operetur effectum quem vult Deus, & hâc abſente nihil unquam boni fiat, quæro cur inter Chriſtianos alii aliis dicantur

validiores? Omnes enim æquè mihi videntur invalidi. Egent omnes ad bene agendum actuali Dei gratiâ, & quidem efficaci. Hæc cùm adeſt, ſemper bene agunt; cùm non adeſt, nunquam. Quid juvat igitur in virtute procedere, ſi eadem ſemper infirmitas manet; aut quis omnino iſte progreſſus eſt, qui ſemper iiſdem adminiculis eget, quæ ſi adſint etiam iis qui nihil profecerint, non minùs certò bene agent, quam quivis emeritæ virtutis?

Hîc ego: Difficilem tu mihi, inquam, nodum ingeris, & dignum ſubtilitate tuâ, cujus tamen reſolutio partim ex iis quæ modò diximus debuit ſublucere, partim etiam aliunde pendet. Primùm, quò quis in virtute magis proceſſit, eò cupiditatem minorem habet. Non enim experiuntur caſti eaſdem libidinis furias, quas ſentiunt libidinoſi. Itaque ut minoribus tentationibus pulſantur, ſic faciliùs iis reſiſtunt, etiam eâdem inſtructi gratiâ cum quâ ſuperantur infirmiores. Atque hinc diſci poteſt, quàm imprudenter agant qui ſe peccandi occaſionibus non ſubducunt, & cupiditates ſuas alunt. Multis enim Deus certis temporibus gratias largitur, quæ propter volentem concupiſcentiam effectu carent, quæ eædem ſi in minorem incidiſſent concupiſcentiam, plenum & integrum effectum habuiſſent. Quamobrem in hoc omnes invigilare & incumbere par eſt, ut cupiditatibus ſuis quàm poterunt maximè compreſſis & acciſis, ad Dei lumen, quandocumque affulſerit, accipiendum paratiores ſint. Exinde fit præter alia, ut nemo queri poſſit, doctrinâ gratiæ deſperationem ingenerari, inertiam afferri. Habent enim ſemper quid agant homines. Debent domandis cupiditatibus incumbere, ſi minùs charitate, ſaltem metu. *Fac, fac*, inquit Auguſtinus, *timore pœnæ, ſi nondum potes amore juſtitiæ.*

Sed quid mihi, inquit, proderunt humani conatus, cùm nihil Deo placeat niſi quod ipſe ſpiritu ſuo in nobis operatur, ut vos toties nobis occinitis? Proderunt, inquam, tum ut minùs malus ſis, tum ut gratia minùs reluctantem offen-

offendat voluntatem tuam. Deinde, quod valde notandum eſt, tametſi humani conatus ab amore ſui orti, reverà vitioſi ſint, licet minùs quàm illa ſcelera à quibus nos abducunt; tamen ita nonnunquam vicini ſunt charitatis actibus, ut plerunque ab illis in hâc vitâ internoſci non poſſint. Nobis enim latere voluit Deus, utrùm verus in nobis ipſius amor inhabitet, an etiam quæ bene agere nobis videmur, non ſincera Dei charitas, ſed occultus noſtri amor efferat. Ita cùm divinæ illæ actiones ab humanis liquidò dignoſci nequeant, habent ſemper, ut jam dixi, quid agant homines. Debent ſemper virtutum officiis fungi, jejunia orationeſque frequentare, eleemoſynas elargiri, cupiditates domare, conſcientiam quam poſſunt maximè humanis affectibus expurgare. Sic viventes, non habent illi quidem plenam & omnimodam ſecuritatem, poſſunt enim hæc omnia ex amore ſui proficiſci: ſed tamen multam non immeritò ſpem fiduciamque concipiunt, tum quia raró admodum contingit ut divinam charitatem ſui amor per totam vitam mentiatur, tum etiam quia ſaltem certò ſciunt in eorum eſſe ſe numero è quo pauci damnabuntur; cùm illi contrà qui licentem ſæculi vitam ſequuntur, parum admodum cauſæ habeant, cur multum ſuæ ſaluti confidant, cùm in eo ſint numero, è quo paucos admodum acceptâ ſub finem gratiâ ad ſalutem perventuros, Scriptura & certa Patrum Traditio teſtatur.

Sic quidem conſtat alios aliis fortiores & validiores eſſe, quia alii aliis minùs infirmi ſunt, & concupiſcentiam repugnantem legi mentis experiuntur. Sed eſt alia etiam propior cauſa, quâ vere dicantur quidam poſſe, quod alii non poſſunt, propter majores voluntatis vires; quam tu velim diligenter attendas.

Animadvertendum eſt enim, etſi ordo gratiæ totus ex divinâ pendeat voluntate, & ideò liberè ſemper à Deo gubernetur, arcaniſque conſiliis, quorum æquitas hominibus adoranda, non temerariâ inquiſitione ſcrutanda eſt; tamen

in

quo rarò Deus abſcedit. Uſitatus autem ille gratiæ curſus in eo ſitus eſt, ut pro modo habitualis animæ ſtatus, gratias actuales nunc invalidiores, nunc validiores largiatur. Qui ad altum quemdam ſanctitatis gradum pervenerunt, his quaſi perennem quamdam cum Deo conjunctionem, & puriorem multò ac vehementiorem amorem infundit, quo ſemper ad ſuperna deſideriis tendunt, & omnia moralia ita contemnunt, ut nec blanditiis mundi moveantur, nec minis terreantur. Talis erat Martyrum animus, cùm in equuleis & cruciatibus læti & alacres Deum confiterentur. Talis multarum etiam hoc tempore ſacrarum Virginum, ut Thereſiæ, cui diriſſimi cruciatus votum & voluntas fuiſſent. Sed ut quæque anima minùs ſanctitate provecta eſt, ita etiam uſitatè minoribus gratiæ actualis auxiliis fruitur: atque ita quibuſdam tentationibus ſuccumbit, quæ à robuſtioribus illis animis nullo negotio ſuperantur. Hinc propriè dicuntur animæ aliæ aliis fortiores. Hinc quædam dicuntur poſſe, quod aliæ non poſſunt. Non quòd non omnes juſtificati per gratiam ſanctificantem poſſe quoddam in actu primo non habeant, quod etiam actualibus quibuſdam auxiliis uſitatè roboretur; ſed quia quidam pro modo gratiæ ſanctificantis uſitatè efficaces illos habeant gratias, quibus etiam difficiles & grandes tentationes ſuperantur. Alii contrà in minori ſanctitatis gradu interiùs conſtituti, minores etiam à Deo gratias actuales accipiunt, quibus minores quidem tentationes ſuperant, ſed majores ex Patrum loquendi more ſuperare non poſſunt.

Atque hinc ortum habet graviſſimum illud ac maximè neceſſarium vitæ Chriſtianæ præceptum, quo monentur infirmi, nec *in charitate radicati*, ne majora viribus audeant, neve iis ſe negotiis implicent unde graves tentationes exiſtunt. Hoc habet pluribus locis Gregorius Magnus: hoc etiam vulgares pietatis libri, & qui omnium teruntur manibus, à quibus Scriptor de Imitatione Chriſti inferioris Germaniæ decus, ita loquitur lib. 3. c. 7. *Quidam*

dam incauti propter devotionis gratiam ſeipſos deſtruxerunt; quia plus agere voluerunt quàm potuerunt, non penſantes ſuæ parvitatis menſuram, ſed magis cordis affectum ſequentes, quàm rationis judicium: & quia majora præſumpſerunt quàm Deo placitum fuit, idcirco gratiam citò perdiderunt. Facti ſunt inopes, & viles relicti qui in cœlum poſuerunt nidum ſibi, ut humilitati & depaupertati diſcant non in alis ſuis volare, ſed ſub pennis meis ſperare. Dixi autem hunc eſſe uſitatum gratiæ curſum; quin Deus aliquando occulto conſilio nonnullos brevi ad cumulum ſanctitatis provehit: alios in virtute non multùm adhuc progreſſos, graviſſimarum tentationum quæ illorum vires exſuperare videbantur, potentioris gratiæ auxilio victores efficit. Nonnunquam verò eximiæ pietatis ſanctos levibus tentationibus ſuccumbere patitur, ut omne os obſtruatur, & qui gloriatur, in Domino glorietur.

Habes ſenſum meum & de tuis illis difficultatibus & de tota hac controverſia. Nunc ex te remotâ contentione quæro, qualis tibi videatur noſtra ſententia? Aliàs, inquit, hoc de me audies. Nam de ejuſmodi rebus non poſt levem auditionem, ſed poſt diuturnam commentationem judicari par eſt. Interim hoc habe à me teſtimonium, te in cauſa, non dico mala, nam placitis noſtris jam incipio diffidere, ſed multùm exulcerata, non inſtrenuè pugnare. Itaque pro illo Feſti in Actis Apoſtolicis quo te remunerare adornabam; Inſanis, Willelme, multæ te argutiæ ad inſaniam redegerunt; commodiùs à me auferes Agrippæ Regis reſponſum: In modico me ſuades vel Thomiſtam fieri, vel, ut loquuntur, Janſenianum. Ego verò, inquam, nolim hoc poſtulare; ſed veritati & Eccleſiæ catholicæ addictiſſimum eſſe cupio, æquum in omnes, nec cœco in his turbis impetu ruentem. Age, inquit; ſi quidem hoc tantum poſtulas, planè id à me impetraſſe te certum habeto.

PAULI IRENÆI
DISQVISITIONES TRES.

TYPOGRAPHVS LECTORI.

Cùm VVendrockius paci conſulens duas illas extremas epiſtolas notis locupletare noluiſſet, non alienum mihi viſum eſt, tres Diſquiſitiones Pauli Irenæi cum his Litteris ſimul Pariſiis editas, ad illarum calcem ſubnectere, quòd permulta quæ Montaltius ſcholaſtica dumeta refugiens conſulto prætermiſerat, in his luculenter explanata reperiantur.

DISQVISITIO PRIMA.

An ſint in Eccleſia novæ alicujus Hæreſis Sectatores.

OMNIBUS retro ſæculis nihil fortaſſe ejuſmodi viſum aut auditum, quale his noſtris temporibus cernere eſt. Sollicitantur omnes Eccleſiæ & ſæculi poteſtates, armantur concionatores, populi concitantur, ad extinguendum neſcio cujus novæ latentis, ut ajunt, hæreſis incendium. Periclitari dicitur res chriſtiana, niſi gliſcenti malo maturè occurratur. Rem totam propiùs inſpice, nec vanis rumoribus, ſed fidelibus oculis crede: nec hæreſeos, nec periculi umbram aut ſomnium reperies.

Id quoniam oſtendi mirificè pertinet ad conciliandam Eccleſiæ pacem, hac ſcriptione breviter, at ni fallor invictè demonſtrabitur, nullam in Eccleſia hæreſim, nullos hæreticos eſſe, ut ex omnibus conſtet non tam hanc ſchiſmatis & hæreſeos flammam eſſe, quàm occultæ malevolentiæ & privati odii fumum, quem omnibus ac præſertim Eccleſiæ rectoribus offundere nituntur homines ſibi malè conſcii, nec obſcuris de cauſis exulcerati, ut in hâc omnium rerum caligine ſuis interim cupiditatibus ſerviant.

Quod

Quod propoſui ſic efficio. Nulla hæreſis ſine hæretico dogmate. Nulli hæretici ſine pertinaciâ in damnato dogmate defendendo. Neutrum eſt in Eccleſiâ. Igitur nec hæreſis in Eccleſiâ, nec hæretici.

Singulas partes ſeparatim exequemur, ac primum de hæretico dogmate.

Articulus Primus.

Novam illam hæreſim in ipſis quinque propoſitionibus non reſidere, quia eas nemo defendit.

Omnes de gratiâ controverſiæ ad quinque propoſitiones jam redierunt. Nam cætera omnia citra fidei diſpendium liberè defendi jam ipſi adverſarii conſentiunt. Ergo aut ibi hæreſis ſita, aut nuſquam. At non ibi eſſe facilè convincitur. Omnes enim ad unum catholici iſtas propoſitiones proſcribunt, & quidem in proprio verborum ſenſu: ubinam igitur hæreſis? Confectam quæſtionem diceres, niſi adverſariorum calliditas novas rurſum lites ſerere inſtituiſſet. Non ſatis ajunt eſſe ad declinandam hæreſim, ſi propoſitiones damnentur in proprio ſenſu, niſi etiam damnentur in Janſeniano. Ad hunc finem decretum quoddam ab Epiſcopis Galliæ expreſſerunt Annati ſui operâ Jeſuitæ, quo jubentur omnes Theologi propoſitiones in Janſeniano ſenſu damnare. Hoc qui renuat, quod multi faciunt, illico hoc Annatino argumento feritur: Janſenianus ſenſus ab Epiſcopis ut hæreticus proſcribitur. Defendis ſenſum Janſenii. Ergo defendis hæreticum ſenſum. Ergo es hæreticus. Hoc ſophiſmate minis & terroribus armato omnes jam Moliniſmi vires continentur. Ex illo novam Janſenianam illam hæreſim eruunt. Hoc igitur accuratius excutiendum, diſſolvendum, obterendum eſt, quo ſimul fictitiæ hæreſeos terriculum evaneſcat.

ARTICULUS II.

Sophiſmatis Moliniani diſſolutio.

Si quis Bellarminum & Baronium Cardinales hoc argumento propter defenſum Honorii ſummi Pontificis ſenſum, Monothelitanæ hæreſeos ageret reos: Sexta ſynodus Oecumenica, item duæ ſequentes, ac duo ſummi Pontifices, Honorii Epiſtolas & ſenſum utique damnarent hæreſeos Monothelitanæ. Vos defenditis ſenſum Honorii. Ergo Monothelitanæ hæreſeos crimen ſuſcipitis. Quæro quo pacto tanti viri à tam fœdo & tam apertè falſo crimine eximendi ſint? Nimirum detegendo argumenti vitio, quod conſtat quatuor terminis, & ſub Honorii ſenſu æquivocationem & fallaciam tegit.

Damnavit ſenſum Honorii ſexta Synodus. Senſum Honorii defendunt Bellarminus & Baronius. Sed non eundem ſenſum illa damnavit, iſti defendunt. Monothelitarum ſenſum in epiſtolis Honorii eſſe credidit ſexta Synodus, & ideò damnavit. At eaſdem epiſtolas catholico ſenſu interpretantur illuſtriſſimi Cardinales, & ideò defendunt. Non ergo Synodo adverſantur in quæſtione juris, ſed tantùm in facto, id eſt litterarum Honorii interpretatione.

Omnino duplici ratione hominis etiam ab Eccleſiâ damnati ſenſus defendi poteſt. Primò ut ille ipſe ſenſus, eademque ſententia quam damnavit Eccleſia, defendatur. Hoc qui faciat hæreticus eſt. Secundò ut alicujus autoris ſenſus ab hæreſi ad catholicam fidem benigna interpretatione flectatur. Hoc qui faciat ſit temerarius, ſit præpoſterè benignus, hæreticus certè dici non poteſt: non enim hæreticum, ſed catholicum ſenſum defendit.

Utroque modo defenſus Origenes, & utrumque defenſionis modum valde Patres pro ſua æquitate ſecreverunt. Multi enim ipſos Origenis errores defenderunt. Ergo illi à Patribus pro hæreticis habiti. Alii contrà ſic Origeni patro-

patrocinati ſunt, ut illos errores falſò illi aſcriptos eſſe certarent, ejuſque verba durius accipi contenderent. Hi non ſectatores, ſed defenſores Origenis ab Auguſtino dicuntur, in quos nemo tam injuſtus fuit, ut ob hanc rem notam hæreſeos in illos conferret.

Ex illis manifeſtum eſt Janſenii ſenſum dupliciter defendi poſſe. Primò ita ut quinque propoſitiones, & proprium earum ſenſum Janſenii eſſe quis fateatur, & eas nihilominus defendere non deſiſtat. Hoc ſi quis fecerit in illum inſurgant Jeſuitæ quantùm volent.

Verùm alia planè eximendi à noxâ Janſenii ratio eſt: ſi quis videlicet ejus verba eo ſenſu interpretetur, quem conſtat eſſe catholicum; idemque propoſitiones in earum proprio ſenſu damnet; at ipſas propoſitiones & proprium earum ſenſum in Janſenio ſe videre deneget. Qui ita ſe gerat, quocunque nomine afficiatur, hæreticus dici nequit, cum ſenſus ille, quem verè an falſò Janſenii eſſe putat, ut catholicus ab omnibus probetur.

Hoc conſtituto reliquum eſt ut demonſtrem hâc tantum ſecunda ratione à permultis viris eruditis defendi Janſenium; quia nimirum ejus verba eo ſenſu accipiunt, quem nemo hæreſeos accuſare audeat. Quod poſtquam confecero ſponte corruet Annatinum ſophiſma. Damnant enim Janſenii ſenſum Epiſcopi; ſed illum videlicet, quem Janſenii eſſe crediderunt. Rurſum quidam Janſenii ſenſum non ejurant; ſed quia illum aliter quàm Epiſcopi interpretantur, & eam tantùm arbitrantur doctrinam in illo contineri, quam ipſis Epiſcopis, ipſi ſummo Pontifici probatam eſſe certò ſciunt. Non ergo illi ab Epiſcoporum mente & ſententiâ diſcedunt in aliquo dogmate, ſed tantùm in intelligentia Janſenii, quem illi duriùs, hi benigniùs interpretantur. Utrùm in hoc ſit temeritas aliqua, alia eſt controverſia: non eſſe hæreſim, extra controverſiam eſt.

Omnis ergo difficultas ad hoc caput reducitur, utrùm ille ſenſus, quem Janſenio tribuunt qui illum condemnare

ſant, ſit catholicus, nec ab Epiſcopis damnatus dici poſſit. Hanc ni fallor prorſus eximet ſubjuncta ſenſus illius Janſeniani explicatio, quem tuemur.

ARTICULUS III.

Tota Ianſenii doctrina circa quinque propoſitiones ad duo capita haud dubiè catholica redacitur.

Quid Epiſcopi ſenſus Janſeniani nomine intellexerint haud facilè conjici poteſt: nunquam enim illum explicarunt. Tam variè autem adhuc illum interpretati ſunt qui adverſus ipſum ſcripſêre, ut vix duos reperias in eodem ſenſu congruentes. Prorſus enim quemlibet ſenſum Janſenio licet affingere, dummodò inſulſum aliquem errorem contineat. Itemque quamlibet ſententiam licet defendere, dummodò Janſenium verbo tenus repudies. Quid ergo, inquam, Epiſcopi ſenſerint incertum eſt: illud certum & indubitatum, nuſquam illis in mente fuiſſe damnare eam ſententiam, quâ contineri ſenſum Janſenii arbitrantur qui ejus damnationi non conſentiunt. Tota res ſola expoſitione indiget illius doctrinæ quam iſti eſſe catholicam certò ſciunt, & Janſenianam eſſe putant. Videant vel infenſiſſimi adverſarii quid in ea reprehendere habeant.

Sic igitur exiſtimant illi totam Janſenii doctrinam circa quinque propoſitiones duobus iſtis capitibus contineri.

Primò, gratiam efficacem, qua voluntas infallibiliter, ſed ſine neceſſitate ad bene operandum applicatur & determinatur, ad ſingulas actiones bonas, & ad ipſam orationem eſſe neceſſariam. Ita per orbem chriſtianum omnis S. Thomæ ſchola, & celeberrimæ Academiæ. Nec verò iſti gratiæ majorem Janſenius attribuit efficaciam, quàm Thomiſtæ, ut quidam inſulſè criminari occipiunt; ſed eandem planè, qua ſcilicet voluntas phyſicè prædeterminetur, ſed ſine neceſſitate, niſi iſto nomine effectum infallibilem intelligas.

Secun-

Secundum eſt, nullam in hoc ſtatu naturæ corruptæ dari gratiam ſufficientem Moliniano ſenſu acceptam, quæ ſcilicet nullum aliud auxilium requirat ad bene operandum; ſed pro arbitrii nutu vel conſentientis vel diſſentientis, modò effectum habeat, modò non habeat. Ita etiam omnes Thomiſtæ, ut ipſe Janſenius teſtatur to. 3. lib. 3. c. 1.

Si nihil aliud Janſenius circa quinque propoſitiones doceat niſi hæc duo capita, procul dubio catholicè ſentit; procul dubio verum ejus ſenſum non damnarunt Epiſcopi, cùm nemo dicere audeat, ab Epiſcopis vel gratiam efficacem eſſe damnatam, vel Molinianam gratiam pro fidei dogmate ſancitam eſſe.

Si quid aliud ipſe ſentiat aut doceat, oſtendatur modò, & jam ipſius ſenſum nemo abdicare recuſabit. Nam qui recuſant, hâc unâ ratione moventur, quòd nihil aliud in ipſo vident. In quo utique errare poſſunt: poſſunt de illo benignius quàm par eſſet ſentire: poſſunt eſſe temerarii. At hæretici prorſus eſſe non poſſunt; niſi hæreticum ſit, ipſam Eccleſiæ fidem ſub Janſenii nomine defendere.

Sed ne tam generali aſſeveratione fucum facere velle exiſtimentur, operæ pretium eſt ſigillatim oſtendere quid Janſenium circa Propoſitiones ſenſiſſe putent: ex quo patebit, nihil aliud aſtrui, niſi efficacis gratiæ neceſſitatem ad ſingulos actus; nihil aliud rejici, niſi verſatilem Molinæ gratiam.

ARTICULUS IV.

Quid circa primam propoſitionem ſenſerit Ianſenius, prout à ſuis defenſoribus explicatur.

Hæc una eſt ex quinque propoſitionibus, cujus verba ex Janſenio deprompta ſunt; quanquam loco ſuo avulſa alium planè ſenſum exhibeant, quàm qui ex appoſitis verbis elicitur. Hunc enim talem eſſe credimus.

Cùm omnibus hominibus, atque adeò juſtis neceſſaria

ſit gratia prædeterminans ad bene operandum, ad implenda Chriſtiano animo præcepta, ad graves tentationes vincendas: illa tamen gratia non omnibus juſtis etiam volentibus, conantibus, & orantibus imperfectè per gratias inefficaces, quas Thomiſtæ ſufficientes vocant, ſemper præſto eſt. Ergo etiamſi juſti in hoc ſtatu conſtituti veram habeant implendi mandata poteſtatem per gratiam illam tum habitualem tum actualem; illa tamen poteſtas non complectitur omnia ad agendum neceſſaria: nec ſufficiens eſt Moliniſtico ſenſu; quia deeſt adhuc illi gratia efficax agendi, quæ neceſſaria prorſus eſt ut voluntas ad plenè conſentiendum applicetur & determinetur. Ita ſi gratia ſufficiens Thomiſtico ſenſu uſurpetur pro eâ quæ tribuit poſſe internum à gratia efficaci applicandum, certum eſt omnes juſtos volentes & conantes nunquam carere ejuſmodi gratiâ: ſin autem Moliniſtico ſenſu, ſic quibuſcunq; deeſt gratia efficax, deeſt etiam gratia ſufficiens Moliniana. Sola enim gratia efficax eſt omnibus modis ſufficiens, ut vulgo Thomiſtæ omnes agnoſcunt. Similiter ſi vox *poſſe* uſurpetur pro potentiâ internâ agendi, ut vulgò ſumitur à Thomiſtis, omnes juſti ſemper habent ejuſmodi poteſtatem, qualis eſt oculi ſani in tenebris, ut iidem docent. Sin autem uſurpetur Moliniano & vulgari ſenſu pro eâ cui nihil deeſt neceſſarium ad operandum, non habent ſemper omnes juſti ejuſmodi potentiam: imò quicunque gratiâ efficaci carent, tali etiam poteſtate carent, carent enim aliquo neceſſario. Id ſi Moliniani defendi ægrè ferent, damnari curent ab Epiſcopis & à ſummo Pontifice diſertis verbis. Tunc enim ſenſum Janſenii conſtabit eſſe damnatum. Sin autem id ſe impetrare non poſſe ſat ſciunt, quid eſt cur hæreſeos accuſent eos quorum ſenſus non ambiguis verbis expreſſos ne attentare quidem audeant.

ARTI-

ARTICULUS V.

Quid circa ſecundam propoſitionem.

Duplex gratiæ interioris actualis genus ab Janſenio admiſſum exiſtimamus: alia enim efficax apud illum; alia inefficax. Prima illa eſt, quam Thomiſtæ ſimpliciter efficacem vocant: huic ſemper reſiſti poteſt, nunquam reipſâ reſiſtitur. Inefficax gratia eadem prorſus eſt atque ea, quam Thomiſtæ modò ſufficientem vocant, modò excitantem. Hæc tribuit poſſe & vires ad alium effectum quem non habet, non tamen ita validas ut efficaci gratiâ ad bene operandum nihil egeant. Illi gratiæ verè reſiſtitur in eo effectu quem poſſet habere, ſi voluntas plenè conſentiret; imo nunquam iſti gratiæ non reſiſtitur, niſi cùm efficax & prædeterminans gratia illi adjungitur.

Sed quamvis iſta gratia ſit inefficax reſpectu boni operis ad quod ex naturâ ſuâ tendit, & ad quod implendum voluntatem excitat & roborat; alio tamen ſenſu eſt *efficax ſecundum quid*; quia ſemper actus illos imperfectos producit ad quos ex decreto abſoluto divinæ voluntatis ordinatur. Atque ita generatim omnis Chriſti gratia efficax dici poteſt; quia ſemper id efficit quod Deus abſolutè fieri decrevit.

Quid hæc doctrina à vulgari Thomiſtarum doctrinâ diſcrepet omnino ignorare nos fatemur. Quare cùm nihil læſam conſtet ab Epiſcopis Thomiſtarum ſententiam, certum eſt etiam hanc, quam Janſenianam eſſe credimus, nullo modò ab ipſis violatam.

Ergo ex Janſenio, prout à nobis intelligitur, alicui gratiæ interiori veriſſimè reſiſtitur, ſed non ita ut Moliniſtæ docent, quaſi eidem gratiæ nunc reſiſtatur, nunc non reſiſtatur pro ſolo flexu voluntatis.

ARTICULUS VI.

Quid circa tertiam propoſitionem.

Cum gratia efficax infallibiliter moveat voluntatem, nec ei auferat aut libertatem aut meritum, certum eſt ad merendum non requiri indifferentiam illam Molinianam, quâ voluntas ita poteſt bonum & malum agere, ut ad utrumlibet actu & effectivè pro libito ſeſe determinet: contingere enim non poteſt, ut cum gratiâ efficaci malum eligat.

Rurſus cùm ſine gratia efficaci nemo bene agat, multi contrà peccent & demereantur, certum eſt ad demerendum non requiri indifferentiam Molinianam, quâ voluntas ita ſe ad bonum & malum poteſt convertere, ut ei nihil deſit neceſſarium, quo ſe in utramlibet partem convertat: caret enim in illo caſu gratiâ efficaci ad bene agendum neceſſariâ.

At hâc unâ indifferentia dempta cæteras omnes, quia gratiæ efficaci non adverſantur, ſemper in hoc ſtatu naturæ lapſæ reperiri, nobis videtur ſentire Janſenius. Itaque ex illo ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non ſufficit libertas à coactione, ſed requiritur etiam libertas à neceſſitate; & cum ipſa gratia efficaci voluntas adhuc remanet indifferens ad malè agendum in ſenſu tum diviſo tum compoſito, prout explicatur à Thomiſtis. Vtrum autem hæ indifferentiæ requirantur ad libertatem in genere, vel ad libertatem abſtrahendo à ſtatu naturæ integræ & lapſæ, à libertate Chriſti & hominum, alia quæſtio eſt, quæ Conſtitutionem non attingit.

ARTICULUS VII.

Quid circa quartam propoſitionem.

Non propterea Semipelagiani hæretici fuerunt, quia gratiæ vel obtemperari vel reſiſti poſſe dicerent, omnes

nes enim id catholici docent; ſed in eo præciſè ab Auguſtino oppugnati, & poſteà ab Eccleſiâ damnati ſunt, quòd fidem inchoatam, & perſeverantiam in fide negarent hominibus dari per gratiam efficacem; eam videlicet *quæ non eſſet communis bonis & malis, ſed diſcerneret bonos à malis*: eam de quâ dictum eſt: *Omnis qui audivit à Patre & didicit, venit ad me*; & eam ex quâ totum gratuitæ prædeſtinationis myſterium indiſſolubili ſerie necteretur. Id unum nobis videtur docere Janſenius.

ARTICULUS VIII.

Quid circa quintam propoſitionem.

MInimè Semipelagianum eſt, cum Proſpero dicere, Chriſtum pro omnibus hominibus mortuum eſſe quantum ad ſufficientiam pretii, & communem generis humani cauſam.

Non eſt item Semipelagianum, Chriſto tribuere humanam velleitatem pro omnium omnino hominum ſalute moriendi.

Hæreticum foret aſſerere Chriſtum tantùm pro ſalute prædeſtinatorum eſſe mortuum: mortuus eſt enim pro promerendâ gratiâ omnibus reprobis quibus aliquando collata eſt.

Cùm omnes juſti gratiam habeant ad implenda mandata Thomiſtico ſenſu ſufficientem, ſive habitualem ſive actualem, omniſque gratia ex Chriſti morte derivetur, conſequens eſt Chriſtum mortuum eſſe pro promerenda iſtâ gratiâ omnibus juſtis.

Cùm abſoluta Chriſti voluntas divinæ ſemper conformis extiterit, proculdubio conſenſit æterno prædeſtinationis decreto, quo Deus certos tantùm deſtinavit ad regnum gratuitâ miſericordiâ, rejectis ab hoc dono aliis pariter reis, quos in maſſâ perditionis reliquit. Illudque decretum nec precibus ſuis, nec mortis oblatione abſolutè mutare voluit: non igitur reprobis vel perſeverantiæ

donum, vel ſalutem æternam per mortem ſuam abſolutâ voluntate promereri voluit, quamvis utrumque antecedente & minùs propriè dictâ voluntate optare potuerit.

Articulus IX.

Senſus iſtos nec à ſummo Pontifice, nec ab Epiſcopis eſſe damnatos; ſed à totâ Eccleſiâ catholicos haberi.

Habent Moliniſtæ, quid ſentiant ii quos falſis criminibus apud populum, apud Eccleſiæ Principes in invidiam vocare non ceſſant. Nihil aliud ſenſiſſe Janſenium opinamur. Nos certè nil aliud tenere, quoniam propriæ conſcientiæ extra Deum quiſque arbiter eſt, ſanctiſſimè confirmamus. Ergo aut hunc ſenſum aggrediantur; aut maledicere deſinant.

Verùm quo pacto hunc ſenſum niſi apud imperitos laceſſere auderent, cùm luce clariùs pateat, nil in ipſo contineri niſi gratiæ efficacis aſſertionem, & Molinianæ gratiæ rejectionem, quorum alterutrum hæreſeos accuſare, aut â ſummo Pontifice damnatum dicere, nullus alicujus nominis Theologus adhuc auſus eſt. Quin & ipſe Moliniſtarum ſignifer Annatus in Cavill. p.29. apertè confitetur, *ſummum Pontificem id in quo diſſident Thomiſtæ à Ieſuitis diſputationi reliquiſſe, nec attingere voluiſſe controverſiam de gratiâ per ſe ipſam efficaci.*

Hoc Annatus veritati litavit, volenſne an invitus nihil definio. Aliter certè facere non potuit: noverat enim quàm ſæpe Pontifex vivæ vocis oraculo de gratiâ efficaci ulla in re violanda nequidem cogitaſſe ſe declaraverat. Quod ne ulli obſcurum eſſe poſſet, voci ſcriptum adjunxit. Nam in illo Brevi ad Epiſcopos Galliæ miſſo, mentionem facit cujuſdam decreti ſacræ Inquiſitionis, in quo expreſsè habetur, controverſiam de auxiliis eodem loco ab Innocentio x. relictam, quo illam Clemens viii. & Paulus v. reliquerant. Hinc Romanorum Theologorum pars multò maxima non minùs poſt Conſtitutionem quàm ante,

eandem

eandem doctrinam coram ſummo Pontifice quotidie tuetur & docet. Cæteræ verò per orbem Academiæ adeò illam non rejiciunt, ut multæ non aliam admittant, nullæ excludant.

Quid Societates religioſas Dominicanorum, & Carmelitarum Diſcalceatorum loquar, à quibus exulat Moliniſmus, in quibus regnat victrix Dei gratia? Quid Presbyteros Oratorii, & Canonicos Regulares ſancti Auguſtini? Quàm paucos habet in hoc numero Molina ſectatores?

At enim quidam ex iis cùm gratiam efficacem vel acerrimè tueantur, ſufficientem Molinianam vel cum execratione repudient, tamen iniquiores ſunt Janſenio? Fateor; ſed quia Janſenii aliam mentem fuiſſe arbitrantur, eumque ſuper hoc maximè catholico gratiæ efficacis dogmate neſcio quos errores, imò illos ipſos qui in proprio quinque propoſitionum ſignificatu continentur, ſuperſtruxiſſe exiſtimant. At nos quibus hos errores recèns à Janſenio exædificatos nondum videre contigit, quique nihil in illo legimus ſuper quinque illis propoſitionibus niſi puram & ſimplicem gratiæ prædeterminantis doctrinam, Molinæ oppoſitam, ſicut cum illis in ipſis dogmatis congruimus, ita in interpretatione Janſenii tamdiu ab illis diſſentiemus, donec iſtos errores gratiæ efficaci ſuperadjectos ipſis lumen præferentibus deprehenderimus.

Ita prorſus de Epiſcopis Galliæ Lutetiæ congregatis ſentire pium ducimus, quorum vel maximam partem à S. Thomæ partibus ſtare, à Molina abhorrere notum eſt; nec ullum eſſe ex illis arbitror, qui Molinæ patronus audire vellet. Et tamen illi Janſenii ſenſum damnari exigunt. Quamobrem? Quia nimirum ita multis ſic aſſerentibus crediderunt aliquid ſentire Janſenium à gratia efficaci diverſum, à Thomiſtarum ſchola alienum.

Verùm de illorum mente divinare nihil neceſſe eſt, iis enim notis affecerunt Janſenianum illum ſenſum quem

damnari volunt, ut non poſſit quicquam à gratiæ efficacis doctrinâ eſſe disjunctius. Nam primò ſenſum illum recens à Janſenio inductum, & omnibus ſcholis catholicis ante Baïum ignotum eſſe pronuntiant. At hoc minimè in gratiam efficacem cadit. Quid enim ſcholis catholicis notius & illuſtrius quàm hæc doctrina, quæ una ante Molinam, & neſcio quoſdam Theologos Pighium & Catharinum in ſcholis catholicis viguit: poſt natos verò Jeſuitas ac Molinianam factionem, etſi in illis locis in quibus dominantur, minùs floruerit; tamen in nobiliſſimis Academiis eandem ſemper autoritatem tenuit, & etiamnunc tenet.

Secundò talem ajunt iſtum ſenſum eſſe, ut ipſe Janſenius fateatur illum à quingentis annis fuiſſe Scholaſticis incognitum. At contrà Janſenius non uno loco, ſed pluribus divinæ gratiæ efficientiam infallibilem ex Thomiſticâ ſcholâ confirmat; illoſque doctiſſimos, ut ipſe appellat, Theologos de vi illius prædeterminatrice rectiſſimè ſenſiſſe teſtatur. Non igitur illa doctrina eſt, quam Janſenius ſcholis incognitam eſſe fateatur, cùm eam ex ſchola didicerit, hauſerit, expreſſerit.

Nec minùs illud à gratiæ efficacis neceſſitate ſenſum illum Janſenianum abjungit, quòd hunc Auguſtino adverſum eſſe teſtantur Epiſcopi: niſi enim omnium oculi adhuc caligaverunt, nihil ab ullo ſcriptore clariùs, ſignificantiùs, crebriùs exprimi poteſt, quàm illius gratiæ tum neceſſitas, tum vis indeclinabilis & inſuperabilis omnibus locis ab Auguſtino expreſſa eſt. Legantur modò libri de correctione & gratiâ, de prædeſtinatione ſanctorum, de dono perſeverantiæ, de gratiâ Chriſti; nec ullum arbitror fore niſi privatis cupiditatibus aut præjudiciis occæcatum, qui non Auguſtinum vel ſtultum fuiſſe, aut gratiæ efficacis neceſſitatem ad ſingulos pietatis actus docuiſſe clariſſimè, & validiſſimè confirmaſſe fateatur. Quam opinionem tantis nixam teſtimoniis, tot ſæculorum ve-

tuſtate

tuſtate roboratam, ut verbulo obiter & aliud agentes Epiſcopi damnare voluerint, incredibile, indignum, contumelioſum in ipſos eſt. Verùm ut dixi ne tam fædâ maculâ aſpergi poſſent, ſedulò caverunt tum illis notis quibus Janſenianum illum ſenſum deſignaverunt, tum maximè celeberrimâ illâ Theſi apud Patres Oratorii defenſâ ipſiſque dedicatâ, in qua cùm gratiæ efficacis neceſſitas ad ſingulos actus clariſſimè eſſet expreſſa, ne huic doctrinæ exiſtimarentur iniqui, actum illum frequentia ſua & plauſu cohoneſtaverunt.

ARTICULUS X.

Concluditur nullam in Eccleſiâ novam hæreſim eſſe, nullos hæreticos.

Ergo cùm in Janſenio præter ipſum gratiæ efficacis dogma nihil ipſius defenſores videant & defendant, nec illum ſenſum quiſquam hæreſeos accuſet, conſequens eſt nullum in Eccleſia hæreticum dogma à quoquam defendi. Aut enim tantùm gratiam efficacem docet Janſenius, & ſic à nemine jure culpatur; aut aliquid prætereà, & ſic à nemine defenditur. Sive autem rectè ſentiat, ſive erret, prorſus tamen errore vacant ipſius defenſores, qui non aliam ob cauſam ejus ſenſum damnare refugiunt, niſi quia ſic illum interpretantur, ut catholicus eſſe à nemine negari poſſit.

Conſequens eſt ſecundò illos Epiſcopis in nullo prorſus dogmate refragari. Quamvis enim Epiſcopi ſenſum Janſenii damnent, illi damnare renuant, tamen hæc omnis diſſenſio nominis eſt, non rei. Arbitrantur Epiſcopi in Ianſenio eſſe doctrinam quandam omnibus ſcholis ignotam, ab Ianſenio vel ipſomet teſte recens inventam, Auguſtino manifeſtè repugnantem, toto orbe damnatam, à ſummo Pontifice percuſſam, quæ denique proprium propoſitionum ſenſum contineat; & ideò illum ſenſum quiſquis eſt tandem,

tandem, nullo enim ipſum loco indicant, meritò proſcripſerunt. At illi qui in Ianſenio monſtroſum illum ſenſum omnino non vident, & nihil aliud in ipſo deprehendunt, niſi gratiæ efficacis doctrinam omnibus ſcholis catholicis notiſſimam, à Ianſenio Thomiſtarum conſenſione confirmatam, ab Auguſtino vel fatentibus adverſariis apertè traditam, ipſis Epiſcopis, ipſi ſummo Pontifici probatiſſimam, & à proprio propoſitionum ſenſu omnino alienam, utique illum ſenſum, quem unum in Ianſenio vident, damnare ſua ſubſcriptione non poſſunt.

Conſequens tertiò eſt, quicquid Ieſuitæ ad pariendam quandam juris controverſiam in Eccleſia machinentur, totam tamen diſceptationem in facto conſiſtere. Palam eſt enim illos Theologos, qui Ianſenii defenſores dicuntur, non aliter ab Epiſcopis quam interpretatione Ianſenii diſſidere, quod qui facti quæſtionem eſſe neget, neſcio quid juris aut facti quæſtionem appellet. Illa certè quæſtio ad fidem pertinere non poteſt: fides enim Scriptura & Traditione nititur: at ſic interpretandum eſſe Ianſenium an aliter, quomodo Scriptura aut Traditione probabitur?

Poſtremò, quod initio propoſueram, conſequens eſt, nullos in Eccleſia hæreticos eſſe. Nemo enim hæreticus ob ejuſmodi quæſtionem quæ Traditione probari nequit, & in nuperi Autoris interpretatione ſita eſt. Nec verò ulli ſunt, quibus pertinacia in dogmate damnato defendendo jure objectari poſſit: nullũ enim damnatum dogma à quoquam defenditur, aut ſi defenditur, ſine pertinacia certè defenditur: nam quale ſit illud prorſus ignoratur. Nemo autem pertinax dici poteſt in illo dogmate tuendo quod ignorat.

Quamobrem ut paucis omnia complectar, & adverſariis os occludam, Propoſitiones in proprio ſenſu à me damnari iterum profeſſus, reliquas controverſias ſic expedio.

Qui gratiæ efficacis neceſſitatem ab Epiſcopis, aut à ſummo Pontifice Ianſeniani ſenſus nomine damnatam di-

cere auſit, in illos mendaciſſimè contumelioſus eſt, quem ſatis ſit hoc argumento refellere. Si damnaverunt Epiſcopi & ſummus Pontifex gratiam efficacem, iterum utique libentiſſimè damnabunt. At (fidentiſſimè hoc dicimus) ipſi nec ex ſummo Pontifice, nec ex Epiſcopis ullum auferre decretum poſſunt, quo gratiæ efficacis doctrina à Thomiſtis omnibus defenſa damnetur hæreſeos. Igitur iſta doctrina prorſus ab omni cenſurâ libera eſt.

Secundò, qui Ianſeniani ſenſus defenſores aliud his verbis quàm efficacis gratiæ doctrinam, qualis à Thomiſtis defenditur, intelligere dicat, aut deluſus ipſe eſt, aut alios deludere vult.

Tertiò, qui propterea catholicos hæreſeos accuſet, quòd catholici Antiſtitis verba benigniùs interpretentur, neſcire teſtatur aut quid æquitas ſit, aut quid hæreſis.

Ex omnibus autem manifeſtum eſſe arbitror, niſi tantos clamores tolleret iniquitas ut vix exaudiri veritas poſſit, controverſias illas quæ nunc tantâ animorum contentione tanquam graviſſimæ, & ad ſummam Religionis pertinentes agitantur, ita leves, ita faciles eſſe, ut niſi collationem utriuſque partis ſemper Ieſuitarum gratia præpediiſſet, vel ſemihorâ omnes turbæ conſopiri, omnes diſſenſiones ſedari poſſent. De verbis enim æquivocis, non de re ipſâ nunc diſceptatur, cùm à ſolidâ gratiæ efficacis controverſiâ ad poteſtatis proximæ & ſufficientis verba, ad actus primos & ſecundos diſputatio abducatur; in quibus ſi varias vocum acceptiones ſuſtuleris, lites pariter ac contentiones prorſus extinxeris. Id quominùs adhuc fieret obſtitit potentia Ieſuitarum: fieri enim non poteſt quin continuò ſua Eccleſiæ tranquillitas reddatur, quod ne fiat omnibus modis agunt.

DISQVISITIO SECVNDA,

De vero ſenſu Ianſenii, & multis commentitiis ſenſibus illi affictis circa primam Propoſitionem.

NULLOS in Eccleſiâ hæreticos eſſe qui diffiteri pergat, magis id optare malevolè, quàm reverâ ſentire videatur. Reſtat temeritatis erratum, quo nonnulli Theologi aſpergi poſſint; non leve illud quidem, at humanum tamen, nec dignum omninò quod tantâ ſeveritate coërceatur: niſi fortè tam felici ſæculo vivimus, ut hæc demùm culpa judicii potiùs quam morum, cogitationis potiùs quàm facti, caſtiganda ſuperſit. Quàm multis undique vitiis premimur, quæ aut prudenti, aut inerti indulgentiâ tolerantur! Quid ergo tantum committere potuit Janſenius, cui doctrinæ ac probitatis laudem vel adverſarii tribuunt, ut benignior de ipſo ſenſus, nullâ dignum veniâ ſcelus hoc ſæculo ſit, quod non modò tunc plectendum, cùm ſe profert & exerit; ſed ex ipſis animi latebris, adhibitis ſubſcriptionum tormentis eruendum videatur? Quid facient quibus non ſatis manifeſtum eſt Janſenium erraſſe, ut ipſum damnare tutâ conſcientiâ poſſint? Silere ipſis in votis erat: at loqui compellit ſubſcriptionis exactor. Fidem ſuam palam profiteri non ſufficit. Nam ad Janſenianum ſenſum tanquam ad ſcopulum ſemper urgentur. Quid igitur? Nempe quod reſtat, eas rationes afferent quibus Janſenium innocentem probent. Quod ſi quis graviùs ferat, non ipſis imputet, ſed illis qui hanc neceſſitatem imponunt.

Ex illorum numero vel poſtremus ego, poſtquam primâ Diſquiſitione eum ſenſum qui Janſenio ab ipſius defenſoribus tribuitur, catholicum comprobavi; hâc ſecundâ plus præſtabo, & ſic omninò ſentire Janſenium aſtruam; non ut ullis Epiſcoporum decretis refrager, ſed ut temeritatis crimen aut purgem aut deponam. Si quis enim

enim his quas proferam rationibus ſolidè reſpondeat, quin ejus in partes concedam, nulla in me mora ſit. Sin autem id nullus poterit, non video quî temerarius exiſtimari poſſim, quòd iis argumentis crediderim, quæ refelli à nemine poſſint. Senſum Janſenii circa primam tantùm propoſitionem hîc exquiremus, de cæteris aliàs locuturi ſi opus ſit, etſi vix neceſſe eſt, cùm omnes ab adverſariis ad primam revocentur.

ARTICULUS PRIMUS.

Figuntur quædam Regulæ ad intelligendum Ianſenii ſenſum neceſſariæ.

Autoris ſenſus ex verbis eruitur: nam verborum ea vis eſt, ut animi cogitationes exprimant. At quia verba nonnunquam varios intellectus habent, hinc ex circumjectis ſæpè ad certam notionem alliganda ſunt. Quod ſi quis Scriptor verborum ſuorum vim ipſe expoſuerit, tunc illo ſenſu ſemper intelligi in decurſu operis debent; & quoties id verbum occurrit, ipſa notio in mente ſubſtituenda. Viderunt hoc Geometræ, in veritate rimandâ omnium ſagaciſſimi. Hinc ad vitandos æquivocationis errores verba in primis ipſa definiunt: conſtitutâ autem apud illos alicujus vocis notione, qui de ſenſu ejus adhuc dubitat, aut illam ex vulgi more, non ex ipſâ finitione interpretatur, meritò ab omnibus ridetur.

Nuſquam autem hujus inſtituti major neceſſitas extitit, quàm in hac controverſia de ſenſu Janſenii. Nam 5. Propoſitionum prima, cujus unius voces apud Janſenium reperiuntur, tam vagos habet ſignificatus, ut niſi illam ad certam notionem revocaveris, nihil certi de ſenſu ipſius poſſis conſtituere.

Primò enim vox *juſtis*, aut de omnibus, aut de quibuſdam, aut indefinitè accipitur.

Voces illæ, *conantibus & volentibus*, aut de conantibus per

per naturam, aut de conantibus per gratiam. Rurſus de conantibus per gratiam, aut ſufficientem, aut efficacem, aut Molinianam: de conantibus per gratiam cui conſentiunt, aut de conantibus per gratiam cui renituntur; id eſt de conantibus fideliter aut infideliter.

Præſentes vires intelliguntur aut actuales, aut habituales; naturales, aut ſupernaturales; comparatè ad vires hujus vitæ, aut ad vires alterius vitæ.

Vox, *impoßibilia*, ſignificat impoſſibilitatem abſolutam, aut ſecundum quid; voluntariam, aut involuntariam: negat vel potentiam in actu primo, vel tantùm potentiam in actu ſecundo; vel removet poteſtatem omnem, vel tantùm completam, perfectam, ſufficientem. Rurſum potentia completa, proxima, &c. duos habet ſignificatus, ut notat Aluarez: Apud Molinianos ſignificat potentiam cui nihil deeſt; apud Thomiſtas etiam illam, cui deeſt adhuc aliquid neceſſarium, nempe gratia efficax.

Similiter vox *deeſt*, à quibuſdam accipitur, pro eo quod deeſt ſine peccato. Ita Nicolaï, & quidam alii. Ab aliis ſimpliciùs pro eo quod deeſt quocunque modo.

Gratia quæ deeſſe dicitur, aut eſt habitualis, aut actualis: illa verò vel ſufficiens vel efficax: ſufficiens, aut Moliniana, aut Thomiſtica: utraque vel agendi, vel orandi.

Varias illas acceptiones ſi inter ſe permiſceas, miraberis quantus diſcrepantium aliquantiſper propoſitionum numerus exurgat, ut norunt omnes qui Arithmeticam callent.

ARTICULUS II.

Singularum vocum notio conſtituitur.

Cum igitur non multiplicem, ſed unicum ſenſum Janſenius habuerit, antequàm de illo ſtatuas, priùs ſingula verba ad ſingulas notiones reſtringenda ſunt: tunc demùm liquidò vera ejus ſententia patebit, quod à multis præter-

præter miſſum tam varios nobis ſenſus Janſenianos procudit.

JUSTIS.

Vocem *juſtis*, à Janſenio non de omnibus, ſed de quibuſdam tantùm juſtis intelligi jam fere omnes conſentiunt. Quod ſatis conſtat ex eo quod affert ex Auguſtino, paulò ante propoſitionis verba: *Quarumdam cupiditatum tentationes*, ALIQUORUM *hominum vires ſuperare*. Ergò *juſtis* idem eſt, ac *quibuſdam juſtis*.

VOLENTIBUS ET CONANTIBUS.

Primò non loquitur Janſenius de conatu naturali. Affert enim exemplum Petri ante lapſum, & Auguſtini *ante converſionem*, quorum infirmam voluntatem ſæpe ex gratiâ fuiſſe agnoſcit.

2. Non loquitur de plenâ voluntate & efficaci. Nam voluntatem, de quâ loquitur, crebrò ex Auguſtino vocat parvam, infirmam, & invalidam.

3. Certum eſt infirmæ illi voluntati ex gratiâ profectæ non conſentiri ex Janſenio, ſed potiùs reſiſti. Nam de conatu quem habuit Auguſtinus ante converſionem expreſſè ait: *Nonne conabatur Auguſtinus, quando dicebat; Quibus ſententiarum verberibus non flagellavi animum meum, ut ſequeretur conantem poſt te ire, & tamen tanto conatui renitebatur?* &c. Et in eo ipſo loco unde deprompta propoſitio, *reniſu concupiſcentiæ fieri dicit*, ut *homo non plenè velit, non integrè velit, non tota voluntate velit.*

4. Certum eſt voluntatem illam imbecillem afferre vires quaſdam. Non enim nullas eſſe, ſed invalidas dicit Auguſtinus, & ex Auguſtino Janſenius.

5. Certum eſt denique voluntatem illam nunquam effectum habituram, niſi adſit per gratiam efficacem plena & integra voluntas. Ideo ſæpe ait, cum illa homines non poſſe benè agere, id eſt nunquam benè acturos eſſe.

Jam verò quid eſt gratia imperfectam voluntatem pro-

ducens, quæ dat aliquas vires, aliquod poſſe, tale tamen ut effectu ſemper careat, niſi adſit efficax auxilium? Quid eſt, inquam, illa gratia, niſi ea quam ſufficientem Thomiſtæ recentiores vocant, non nomine deſignata, ſed quod multò clarius eſt, ſuâ notione expreſſa?

Hinc patet quàm immeritò Janſenius repudiatæ penitùs hoc loco ſufficientis gratiæ arguatur. Sed magis illud etiam conſtabit expoſito vocis illius *ſufficiens* ſenſu, prout à Janſenio uſurpatur: quo minùs animadverſo multos in errorem inductos video.

SUFFICIENS GRATIA ET POTESTAS, *quid apud Ianſenium.*

Nihil eſt quod hîc divinationibus indulgeamus; omnem enim dubitationem præcîdit Janſenius his verbis tom. 3. lib. 3. cap. 1. *Vocamus*, inquit, *illam ſufficientem gratiam ſeu ſufficiens adjutorium, præter quod nihil aliud ex parte Dei per modum principii neceſſarium eſt, ut homo velit aut operetur; ſic enim à multis recentioribus & vulgò ferè accipi ſolet.* Ecce apertiſſimè teſtatur ſolam ſe Molinianam intelligere.

Nunc vide de Thomiſticâ quid ſentiat. *Quod ſi verò ſic accipiatur ut ſufficiens dicatur, ſicut à quibuſdam dicitur quod ſatis eſt ut homo dicatur poſſe operari, quamvis aliud neceſſarium ſit ut de facto operetur; de hujuſmodi ſufficienti gratiâ non eſt hîc noſtra controverſia. Talem enim ſufficientem fortaſſe non difficulter Auguſtinus admitteret, quamvis eam eſſe veram Chriſti gratiam, de quâ quæſtio eſt, pernegaret.* Quod idem diſertis verbis de gratiâ ſufficiente habet Aluarez diſp. 92. n. 2.

Quoties igitur negat Janſenius gratiam imperfectæ voluntatis eſſe ſufficientem, idem eſt ac ſi diceret non eſſe Moliniano modo ſufficientem; non eſſe ita ſufficientem ut nihil aliud requiratur. At quin ſufficiens ſit Thomiſtico ſenſu, nec negavit unquam, nec negare potuit.

Ex

Ex his omnibus liquet hæc verba *conantibus & volentibus* ſic interpretanda eſſe, conantibus & volentibus per gratiam Thomiſtico ſenſu ſufficientem, & ei reſiſtentibus & ideò infideliter conantibus.

IMPOSSIBILIA.

Non loquitur Janſenius de impoſſibilitate abſolutâ. Omnibus enim locis fatetur mandatum quodlibet per gratiam efficacem impleri poſſe. Nec de impoſſibilitate involuntariâ: nam ex Auguſtino ſæpe ab illo citato omnes homines mandata ſervarent ſi vellent. Non negat omnem potentiam: nec habitualem, quia loquitur de juſtis, quos per gratiam habitualem aſſerit poſſe, *tom.* 3. *lib.* 3. *cap.* 15. nec actualem, quia loquitur de conantibus qui per gratiam excitantem habent vires invalidas.

Quam ergò poteſtatem negat? Audiamus ipſum optimum ſui interpretem. *Ad hanc*, inquit, *ſanitatem voluntatis aſſequendam, gratiam invocamus, hoc ipſo clariſſimè profitentes deeſſe nobis ſufficientem ad illa præcepta facienda poteſtatem.* Et adhuc clariùs paulò ſuperiùs de juſtis volentibus & conantibus loquens. *Nondum*, inquit, *poſſunt tantùm velle, quantùm ſufficit ad implenda mandata.* Non negat igitur poteſtatem ſimpliciter, ſed negat *ſufficientem poteſtatem.* Quid eſt autem ſufficiens poteſtas Janſenio? Meminerimus fixæ ſupra notionis: ea ſcilicet cui nihil deeſt ex parte Dei. Quamobrem cum hoc loco dicit, mandata eſſe impoſſibilia ſufficienter, idem eſt ac ſi dicat; Non ſunt poſſibilia eâ poteſtate cui nihil deſit. Itemque cùm negat poteſtatem illam eſſe completam, non Thomiſtico ſenſu negat: de hoc enim ne cogitavit quidem: ſed Moliniano tantùm negat; quia deeſt ipſi gratia efficax. Quamobrem ut notiones verborum iſtorum magis etiam infigantur, iterum hîc repeto illa verba: *Poteſtas ſufficiens, completa, proxima: Poteſtas cui nihil deeſt ex parte Dei: Poteſtas complectens omnia neceſſaria ad agendum*, idem omninò apud Jan-

 ſenium

ſenium ſignificare, taliſque poteſtatis defectum aliquandò exprimi vel ſimplici voce *non poſſe*, vel duriùs etiam per vocem *impoſſibile*, quæ quidem ſignificatio, etſi dura & minus propria, non tamen autoritate Patrum caret, in primiſque Auguſtini & Proſperi.

SECUNDUM PRÆSENTES VIRES.

Eas vires intelligit Janſenius quas juſti habent in eô ſtatu quo invalidè & infideliter conantur & volunt. Non probo, quia non negatur.

DEEST.

Nil notius in doctrinâ Janſenii, quàm homini gratiam ſine ipſius peccato ſubtrahi non poſſe; nec hîc immoror in re non dubiâ.

GRATIA.

Non ſufficiens utique, quia illam ſuppoſuit his verbis *conantibus & volentibus*, ſed ea quam invocari dicit, ut plenè integrèque velle poſſimus, id eſt efficax; eaque non orandi (loquitur enim de orantibus, & gratiam invocantibus, non tamen tam fideliter & ferventer quàm debent) ſed agendi, & implendi actu præcepti.

ARTICULUS III.

Verus Ianſenii ſenſus.

Igitur ad conſtituendum certò Janſenii ſenſum, nihil aliud opus eſt, quàm ſtabilitas verborũ quibus conſtat propoſitio notiones pro ipſis verbis ſubſtituere. Sic enim nullus errori locus eſſe, vel ſi velis, poteſt. Ex iis autem collectis hic ſenſus exurgit: ALIQVA DEI PRÆCEPTA QVIBVSDAM HOMINIBUS IUSTIS CONANTIBUS ET VOLENTIBUS PER GRATIAM EXCITANTEM THOMISTICO SENSU SUFFICIENTEM, SED EI RENITENTIBUS,

ET

ET IDEÒ INFIDELITER VOLENTIBUS, NON SUNT POSSIBILIA EA POTESTATE CUI NIHIL DESIT: DEEST QUOQUE ILLIS GRATIA EFFICAX AGENDI, QUA POSSIBILIA FIANT EA POTESTATE QUÆ COMPLECTITUR OMNIA AD AGENDUM NECESSARIA. Ineptam hanc verborum congeriem vocat Annatus, quia præciſâ ambiguitate nullum hîc fraudi locum reperit. Aſt ego aptiſſimam puto ad cavillationes ipſius elidendas. Æquivocis enim & nominum quæſtionibus jamdiu Jeſuitæ chriſtianum orbem ludificantur: cujus mali una cautio ac proviſio, voces ipſas definire ne de vocibus fruſtra litigetur. Quamobrem ſi ſolidam ſibi victoriam quærunt, hunc ipſum ſenſum his verbis expreſſum damnari diſertè à ſummo Pontifice curent. Hûc gratiam, hûc artes ſuas conferant: hûc machinas ſuas impendat numeroſa Societas. Sin autem id ſe impetrare poſſe diffidit, cur de Janſeniano ſenſu tot turbas excitat, quem non niſi involutum audet laceſſere, evolutum attingere reformidat?

ARTICULUS IV.

Senſum illum Ianſenii non eſſe proprium ſenſum propoſitionis in ſe ſpectata.

Hic meritò quæri poteſt, utrùm ſenſus ille quem catholicum eſſe conſtat, quémque Janſenianum etiam oſtendimus, ſit verus & proprius primæ propoſitionis in ſe ſpectatæ ſenſus? Reſpondeo non eſſe proprium, & facilè probo. Nam primò vox, *juſtis*, cùm ſit indefinita, potiùs univerſaliter ſumi debet, quàm particulariter. Vt enim benè notat Franciſcus Amicus Jeſuita, t. 8. diſp. 3. n. 67. *verba indefinita in materiâ doctrinali accipiuntur univerſaliter*, ſicut iſtam propoſitionem, Planetæ non niſi à ſole lucent, nemo aliter interpretatur, niſi omnes planetas à ſole lucere.

Secundò vox, *conantibus & volentibus*, ſignificat potiùs plenam voluntatem, quàm velleïtatem quandam, quæ non

eſt ſimpliciter voluntas, ut ait S. Thomas 1. part. quæſt. 19. art. 5. deinde ſignificat potiùs voluntatem ſine reniſu, quàm voluntatem cui validior voluntas reſiſtit. Quod enim ita volumus, magis nolle dicimur quàm velle.

Tertiò vox, *impoßibile*, magis ſignificat impoſſibilitatem abſolutam, quàm ſecundum quid. *Nam* ut ait S. Thomas 1. part. quæſt. 62. art. 2. ad 2. *Impoßibile propriè ſignificat id ad quod nullomodò pervenire poſſumus, ne quidem cum alterius auxilio.* Magis etiam propriè ſignificat impotentiam involuntariam, quàm voluntariam. Quod enim fit cùm volumus, cùm eo ipſo ſit in poteſtate noſtrâ, propriè impoſſibile dici non debet. Et cùm loquatur propoſitio de juſtis volentibus qui non poſſe dicuntur, omninò ſignificare videtur impotentiam non voluntariam.

Quartò *gratia* cùm ſit nomen generis, magis propriè ſignificat quamcumque gratiam, quàm gratiam efficacem agendi.

Fatendum eſt igitur propoſitionem in ſe ſpectatam, & in proprio ac rigoroſo ſenſu, ut loquuntur Romani Conſultores, non unam, ſed multas hæreſes complecti. At Janſenii locum, ex quo illius propoſitionis verba revulſa ſunt, minimè in iſto proprio & rigoroſo ſenſu intelligi jam demonſtravimus; ſed in alio ſenſu improprio quidem, tralatitio, & catachreſtico, ſi verba ſeorſim ſpectes; & tamen juxta notiones ab ipſo conſtitutas legitimo & maximè catholico. Non ergo poteſt ille hæreſeos accuſari: & multò minùs illi, qui ejus ſenſum tuentur: nam illi his vocibus nec uſi ſunt unquam, nec utentur.

ARTICULUS V.

Falſi ſenſus Janſenio affičti.

Scrupuloſior ac minutior hæc ſingularum propoſitionis vocum interpretatio videri poſſit, niſi ex eâ facilis & expedita pateret via ad fictitios illos ſenſus explodendos, quibus

quibus Janſenii doctrinam ipſius adverſarii paſſim adulterarunt. Manifeſtum enim omnibus erit, illorum errorem inde proficiſci, quòd aliquas propoſitionis voces contra mentem ipſius interpretati ſunt; quod in ſingulis oſtendere non erit inutile.

I. *Senſus falſò Ianſenio attributus, nempe Calvinianus.*

Nil frequentius in iis Jeſuitarum ſcriptis, quæ Conſtitutionem anteceſſerunt, quàm ut Janſenius Calviniani erroris circa præceptorum impoſſibilitatem arguatur. Id habent præcipuè Claromontanæ Theſes an. 1644. in quibus prima propoſitio ex iis Lutheri & Calvini locis expreſſa dicebatur, in quibus illi hæretici apertè docent, impoſſibilia ſemper eſſe præcepta omnibus juſtis, utcunque ſpiritu Dei adjuventur. At poſt Conſtitutionem cùm id viderent vehementer officere cauſæ ſuæ, velificatione mutatâ, jam negant vulgarem Calvini errorem de præceptorum impoſſibilitate omnibus generatim juſtis unquam Janſenio attributum, ſed aliam quandam fictitiam & inauditam Calvini ſententiam, de impoſſibilitate præcepti quibuſdam juſtis tantùm, ex defectu gratiæ efficacis. Sic nuper diſputare cœpit Annatus, ſed futiliter, ne quid gravius dicam. Quem enim alium intelligere potuerunt Romani Conſultores ac ſummus Pontifex, niſi verum & notum Calvini errorem, qui certè in proprio primæ propoſitionis ſenſu cum multis aliis continetur. An verò ſuſpicari debuerunt aut potuerunt neſcio quam Calvini hæreſim nondum natam, at ex Jeſuitarum cerebro propediem erupturam? Neceſſariò tamen à Jeſuitis hæc fabula inſtituta eſt, ut hoc ſuæ cauſæ grande vitium quodammodò ſarcirent. Sed ut ſæpè in magno numero quidam craſſiores reperiuntur, qui ſcenæ ſuæ malè ſerviunt; ita nuper contigit, ut quidam Jeſuita Aurelianenſis nomine *Craſſet*, Societatis ſuæ artes aut oblitus, aut non edoctus, rurſus adverſariis ſuis, quos Janſeniſtas vocat, crudum Calvini

dogma objectaret. In publica enim concione dixit, *Ex illorum ſententiâ conſectarium eſſe, omnes confeßiones eſſe invalidas, quòd actum contritionis impoßibilem eſſe dicerent.* Et ne tantæ calumniæ memoria intercideret, in famoſo quodam libello adverſus Aurelianenſem Epiſcopum, qui ipſum à ſacris concionibus interdixerat, ſcripto illam ipſam animoſè propugnavit. Verùm hunc ac Societatem ſuam calliditatis magiſtram remittere ſat erit, ut rudem illam dediſcat audaciam. Interim ex eo conſtabit Calvinianum ſenſum, nempe *omnibus juſtis mandata Dei eſſe impoßibilia*, Janſenio à Jeſuitis attributum eſſe, ſed falſò.

II. SENSUS FALSUS.

Ex illâ voce, Conantibus & volentibus, *malè acceptâ.*

Voces illas dupliciter accipi poſſe fatetur Carpinetus, Procurator generalis Capucinorum, Conſultor in quinque propoſitionum cauſâ delectus. Aut enim intelliguntur, inquit, de juſtis infideliter conantibus, *quo ſenſu,* ait, *catholica eſt propoſitio:* aut de juſtis fideliter conantibus, & hoc ſenſu eſt hæretica. Et quia ille ſenſum Janſenii damnare voluit, ut in ſequentibus votis indicat, utiq; hunc ſenſum Janſenio tribuit: *Iuſtis volentibus & conantibus fideliter, mandata Dei ſunt impoßibilia.* At cùm ſupra demonſtraverimus per illos juſtos *volentes & conantes* eos intelligi à Janſenio, qui à gratiæ ſuavitate diſſentiunt, qui renituntur bonæ voluntati à gratiâ immiſſæ; patet etiam non eos intelligi qui conantur fideliter, niſi fortè diſſentire à gratiâ, & ejus inſtinctus repudiare, ſit fideliter conari aut velle. Perſpicuum eſt igitur, ſenſum illum, quem damnavit iſte Conſultor, meritò quidem potuiſſe damnari; ſed à Janſenii mente prorſum alienum eſſe.

III. SENSUS FALSUS, *qui eſt Annatinus.*

Ex iiſdem vocibus, & ex verbo impoſſibilia *perperam acceptis.*

Pater Annatus Molinianorum facilè primipilus, antequàm illam de Janſenii ſenſu non exprimendo, ſed generatim damnando technam excogitaſſet, multis illum locis, prout ſibi viſum, expreſſit; ubique fraudulenter, & ex ſuo ac Societatis ſuæ genio, ſed præcipuè in *Cavillis* cap.8. pag.56. *Homines juſti,* inquit, *quotieſcunque divina præcepta tranſgrediuntur, ea tranſgrediuntur ex impoſſibilitate ſervandi, quæ ſequitur ex defectu gratiæ ad conſtituendam ſervandi potentiam neceſſariæ; eſto, non deſit ſervandi voluntas & conatus: hic ſenſus eſt germanus Ianſenii, & Ianſenianorum, idemque hæreticus.* Sic ille.

At ex ipſo libenter quæſierim, quid tantopere laborat, ut Ianſenii ſenſus adverſariorum ſuorum ſubſcriptione damnetur. Faciliorem longè viam ipſi demonſtrabo. Tollat Ianſenii nomen: jam ille Ianſenianus, ut ipſi videtur, ſenſus omnium ſubſcriptione damnabitur. Scatet enim æquivocis, & prout ſonant termini, apertas hæreſes continet.

Primò, falſum eſt homines tranſgredi præcepta ex defectu gratiæ. Nam defectus gratiæ efficacis non eſt cauſa peccati, ſed mala voluntas.

2. Impoſſibilitas illa non peccandi, de quâ loquitur Annatus, cum voluntate ſervandi præcepti conjuncta, manifeſtè ſignificat, impoſſibilitatem non à voluntate profectam.

3. Impoſſibilitas illa quam adſtruit, non ſolam removet potentiam Molinianam, cui nihil neceſſarium deeſt, ſed etiam Thomiſticam. Talem enim eſſe vult, ut ei omnes Thomiſtæ adverſentur.

4. Verba illa *voluntas*, & *conatus*, cum minimè reſtricta ſint, ex ſe ſignificant plenam & abſolutam voluntatem,

 non

non quandam velleïtatem; quo nomine etiam damnanda eſt Annatina propoſitio. Ergo ille ſenſum Ianſenii non expreſſit, ſed corrupit: & in his vocibus, *conantibus, & volentibus*, itémque in verbo, *impoſſibilia*, fucum fecit.

IV. SENSUS.

Ex eâdem voce malè intellectâ.

Quartum hunc ſenſum quamvis cum Annatino quadantenus conveniat, viſum eſt ſejungere; quia planiùs multò & diſtinctiùs, animoque longè candidiore, à Patre Fournenc celebri apud Patres Oratorii Theologiæ Profeſſore, aliiſque illius ſodalitii Theologis, veræ & chriſtianæ gratiæ amatoribus propoſitus eſt. Hi cùm Ianſenianorum nomen effugere, & nihilominus catholicam & Auguſtinianam gratiæ efficacis doctrinam retinere vellent, utrumque aſſequi ſe poſſe ſperarunt, ſi ita Ianſenii mentem interpretarentur, quaſi ille juſtos gratiâ efficaci deſtitutos, omni prorſus potentiâ ſpoliaverit, etiam eâ quam Thomiſtæ vocant, in actu primo; *ita ut etiamſi adſint cætera adjutoria, nihilo magis ipſi bonum velle poſſint, quàm cæcus videre, claudus currere, beatus peccare.* Sic illi Ianſenii ſenſum expreſſerunt, & quidem ipſius verbis: fateor enim comparationes illas eſſe deprómptas ex *tom. 3. lib. 2. cap. 1. & 2.* Simpliciter dicunt à ſe verba Ianſenii accipi, & ideò nullam ipſi injuriam inferri. In quo primum videre oportuerat, an tali ſimplicitate ſua ipſorum verba expendi vellent. Quod profectò recuſarent. Nullus eſt enim ferè qui non alicujus hæreſeos argui poſſit, ſi verba preſſius urgere & ad vivum reſecare liceat. Omnino ut in cæteris rebus humanis, ita ſermonibus noſtris niſi æquitas interveniat ex ſummo jure ſumma fit injuria.

Id hoc loco factum ab illis eſſe contendo. Quod remoto contentionis ſtudio paucis hîc oſtendam. Sine gratiâ efficaci non magis poteſt juſtus bene agere, quàm cæcus videre,

dere; agnoſco hæc Ianſenii verba. Ergò, inquiunt, non modò negat ſine gratiâ efficaci quidquam benè fieri, ſed omninò deſtruit eam potentiam in actu primo, quam Thomiſtæ defendunt. Nego hanc eſſe Ianſenii ſententiam, aut illam ex his verbis bene elici. Et cur negem affero. In omni comparatione non omnia ſimilia ſunt. Sufficit ut illa inter ſe conveniant, quæ inter ſe comparantur. Iam verò cœcus cum juſto gratiâ efficaci deſtituto dupliciter poteſt comparari. Primò, ſi ſpectentur potentiæ in actu primo: ſic nulla inter utroſque ſimilitudo, ſed potius magna diſſimilitudo. Cœcus enim caret internâ videndi virtute: juſtus pollet interiori facultate benè agendi, etiam actuali, ſi vult & conatur. At ſi ſpectentur iſtæ potentiæ in actu ſecundo, tunc in eo planè conveniunt, quòd ſicut cœcus videre actu & effectivè non poteſt; ita juſtus bene agere ſine efficaci gratiâ actu & effectivè non poteſt. Plena eſt communis vita talibus locutionibus. Quis enim erroris arguat eum, qui ſanis oculis præditum non magis in tenebris poſſe videre, quam cœcum dictitet. Igitur ſi Ianſenius juſtum cum cœco comparavit, ſpectando potentiam in actu primo, ineptè prorſus locutus eſt, & ſi velis, hæreticè, ſin autem ſpectavit potentiam in actu ſecundo, rectè, catholicè, Thomiſticè locutus eſt. Verum eſt enim tam contingere non poſſe, ut juſtus ſine efficaci gratiâ bene agat, quàm ut cœcus videat. Primo ſenſu, abſurdo illo ſcilicet & inepto, Ianſenium interpretantur viri eruditi. Scio, & dolet. Sed ab ipſis libenter quærerem, quid eos compulit tam pravè de illius judicio ſentire. Simpliciter ajunt ſe ejus verba interpretari. Verum jubet nos Apoſtolus in bono ſimplices eſſe; at in malo, id eſt, cum de aliquo incommodius ſentiendum eſt, idem nobis prudentiam imperat. Quid ergò illos moverit neſcio: cur ab iis diſſentiam, illa me movent.

Primùm, ridiculum mihi videntur Ianſenio conſilium tribuere, ut grande volumen compoſuerit ad evertendam

poten-

potentiam quandam in actu primo, quæ nunquam in actum prodeat. Quid enim illi obeſt talis potentia? An illa prædeſtinationis divinæ myſterium immutat? An efficacis gratiæ neceſſitatem tollit? Omninò magna quædam & gravis quæſtio eſt, utrùm ſit neceſſaria gratia efficax ad benè agendum. At illâ ſemel ſtabilitâ, de gradibus illius benè agendi potentiæ, quæ in juſtis, etiam efficaci gratiâ deſertis, manet, quæque nullum unquam ſola producit actum, operoſè diſputare, otioſorum hominum eſſe videtur. Quamobrem nequis mihi de illâ unquam negotium faceſſat; profiteor illam me locare in ſummo gradu, dummodò nunquam ex illo gradu in actum ullum prodeat ſine efficaci Dei auxilio.

2. Ianſenius apertè per gratiam habitualem dari poſſe profitetur, *tom.* 3. *lib.* 3. *cap.* 15. Idemque conantes & volentes vires invalidas habere dicit; ideò autem invalidas habere dicit; quia gratiâ efficaci egent ad actu operandum.

3. Diſertè Ianſenius *tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 11. aſſerit gratiam efficacem eſſe adjutorium actus ſecundi. Hoc enim diſcrimen conſtituit inter gratiam poſſibilitatis, (quæ comprehendit gratiam ſufficientem Thomiſticam quæ dat poſſe) & gratiam efficacem, quam poſt Auguſtinum vocat adjutorium voluntatis & actionis, *Quòd adjutorium poſſibilitatis ſit adjutorium actus primi; adjutorium voluntatis & actionis ſit adjutorium* ACTUS SECUNDI. *Illud enim facit ut potentia in actu primo potens fiat, & ad volendum agendumque habilis & præparata: hoc verò ut in actu ſecundo velit atque agat.* Supponit ergò manifeſtè Ianſenius actùm primum ante gratiam efficacem.

4. Quo maximè iſtius interpretationis iniquitas oſtenditur, cùm ille *tom.* 3. *lib.* 2. *c.* 3. diſcrimen inter ſuam Thomiſtarumque ſententiam explicat, illud in eo præciſè ſitum docet, quòd illi tam infirmum hominem eſſe fingant ante lapſum, quàm ipſe cùm Auguſtino aſſerit eſſe poſt lapſum. Quare ut Thomiſtæ homini ſtanti potentiam

tiam in actu primo largiuntur ; ſic illam Ianſenius homini lapſo libenter concedet ; dummodo maneat illud, gratiam efficacem ad benè agendum nobis in hoc ſtatu omnino neceſſariam eſſe.

Hæc de quarto illo ſenſu fuſiùs diſputavi, quod is unus Ianſenio cum aliquo colore, licet, ut videre eſt, dilutiore à bonis viris imputetur. Cæteri ſuâ ſponte expoſitis fundamentis diſſiliunt, in primiſque ille quem quinto loco afferemus.

V. SENSUS.

Ex vocula deeſt, *malè intellecta.*

Pater Palavicinus Jeſuita, è Romanis Conſultoribus unus, ſic ſenſum Ianſenii interpretatus eſt, ut patet ex illius ſuffragio recens edito, quaſi juſtis Ianſenius deeſſe voluerit gratiam ſine ullo peccato, ne originali quidem. Itaque videtur ſic accepiſſe voculam, *deeſt*, quomodò illam accipit Ioannes Nicolaï, qui eodem modo Ianſenii ſenſum interpretatur in ſuffragio cenſorio, pag. 9. *Cum gratia,* inquit, *dicitur deeſſe, non omnimoda tantùm & abſoluta defectio, ſed ſpontanea ex parte Dei abdicatio indicatur, quâ juvare planè nolit conantem licet ac volentem; qui manifeſtus Ianſenii ſenſus eſt; expreſſus ex Ianſenio per Arnaldum*; unde ille novam iſtam voculæ *deeſt* notionem hauſerit, cùm volet ediſſeret. Cæterum ipſum in Ianſenii ſenſu planè decipi manifeſtum eſt. Ex illo enim homini ſtanti gratia nunquam defuit: lapſis deeſſe non poteſt ſine causâ, quæ ſit in ipſis, non in Deo, ut omnibus notum eſt.

VI. SENSUS.

Ex vocula, Gratia, *malè intellecta.*

Multi Romani Conſultores, in quibus eſt Thomas d'Elbene, & Raphaël Averſa, illud Ianſenio crimini dederunt,

runt, quòd à juſtis volentibus & conantibus non modò gratiam efficacem removerit, ſed etiam ſufficientem Thomiſtico ſenſu. Quod cùm falſum eſſe ſupra demonſtravimus, & iſtos patet in ſenſu Ianſenii fuiſſe deceptos, cùm genericè gratiæ nomen accipiant, quod ſpecificè Ianſenius accepit. Idem cum iſtis ſenſiſſe videtur Nicolaus Cornet, qui cùm dixiſſet efficacis gratiæ doctrinam optimam eſſe, nihilominùs Ianſenium reprehendebat, quod non illam ſufficientis gratiæ condimento temperabat.

VII. SENSUS.

Ex eadem vocula malè accepta.

Nec ab illorum errore abludit Profeſſor Sorbonæ Chamillardus, qui negatam hoc loco vult à Ianſenio non modò gratiam agendi, ſed etiam orandi. *Suſtineo*, inquit in ſecundâ Epiſtolâ pag. 5. *hunc eſſe Ianſenii ſenſum: juſtis volentibus & conantibus mandata eſſe impoſſibilia, quia nec adſit gratia agendi, & orandi & impetrandi divini auxilii.* At in utroque apertè fallitur; adeò enim hoc loco Ianſenius non ait gratiam orandi deeſſe, ut illam gratiam quam deeſſe dicit, ideò deeſſe probet quia oramus. Nemo autem tam abſurdus fingi poteſt, ut gratiam orandi probet deeſſe quia oramus, id eſt, quia gratiam orandi habemus. Et certè conatus ille & voluntas eſt gratia quædam orationis: orare enim ex Auguſtino eſt deſiderare; imò eſt agendi gratia, non efficax quidem, at Thomiſtico ſenſu ſufficiens. Verùm hic ipſius error alibi fuſiùs exagitatus eſt.

CONCLUSIO.

Hîc jam omnes non modò ab omni præjudicio liberos, ſed non penitùs privatis ſtudiis occæcatos compello & obteſtor, ut ſeriò tandem ſecum conſiderent quàm pernicioſum exemplum in Eccleſiam inducatur, & quàm intolerando jugo catholicorum Theologorum fides opprima-

tur,

tur, conſcientia vexetur, hoc novo extorquendarum ſubſcriptionum conſilio. Videant, quæſo, quid æquitatis habeat hoc incœptum. Quid enim? Poſtulatur à me ut quinque propoſitiones damnem. Facio, ac libenter. Non ſatis eſt, ajunt: illas in proprio ſenſu damnes oportet. Etiam hîc non invitus obtempero. Vrgeor adhuc: Addas, inquiunt, neceſſe eſt, proprium illum ſenſum eſſe etiam Ianſenianum. Eja quid hoc ad fidem? Quid ad hæreſim? Sed tamen obſequi ſtudeo, ſi poſſim. Ianſenianum ſenſum damnari placet? At quem potiſſimùm? Nam multos video circumferri. Carpineticumne, an Annatinum? Corneticum an Palavicinicum? Chamillardicum, an Craſſeticum? Unum ſi eligam, cæteris injuriam infero. Quem voles, inquiunt, modò aliquem. Itane igitur ut Ianſenius erret meo arbitratu? Sed quid mihi affertur, ut meipſum in hoc damnando non erraturum credam, cùm cæteri omnes mihi adverſentur?

Age igitur, prolixiùs agamus, & plus quàm poſtulatur ultrò præſtemus. Ianſenium damno prout explicatur à Palavicino, Annato, Corneto, Carpineto, Craſſeto, & cæteris hujuſmodi. Ita non jam unum, ut exigitur, ſed ſeptem & plures etiam ſenſus Ianſenianos rejicio. Quid eſt ergò quod à me ampliùs peti poſſit? Ut iſtos exiſtimem & profitear de Ianſenii ſenſu bene ſenſiſſe. Omneſne? Quî poſſunt, cùm uni ſcriptori multiplicem ſenſum imponant, qui non niſi unum habuit? An ſingulos? Si quem eligam ex ſeptem, ſex ex illis infenſos habebo. Deinde ſi ſingulos ſeparatim poſſum rejicere, cur non univerſos?

An igitur eò res denique redibit, ut Ianſenium in genere erraſſe fatendum ſit, abſtrahendo à quocunque ſenſu? At prorſùs ignorare me fateor, quid ſit error in abſtracto, & in genere, cujus ſpecies aſſignari non poſſit. Neque enim genus ſine ullâ ſpecie cohærere in Logicæ elementis didiciſſe commemini. Aſſignetur ergò Ianſenianus ille ſenſus: alioquin quomodò à quoquam damnari poſſit non video.

At-

Attendat igitur quorum id intereſt, in quàm horrendam perturbationem & caliginem præcipitetur Eccleſia, dum certorum hominum ſtudiis indulgetur. Quod totum eorum arte & conſiliis effectum eſt, qui ſemper omni ratione providerunt, ne tota hæc cauſa auditis utrinque partibus, præciſis nominum quæſtionibus, conſtitutis diſſenſionis capitis, in legitimo judicio diſceptetur. Quod donec impetretur, infinitis ſemper contentionibus, quarum pleræque de nomine ſunt, jactabitur Eccleſia, & ipſius membra cœcâ concertatione inter ſe collidentur. Id gaudent, qui in hâc confuſione potentiam ſuam & ſecuritatem quærunt. Id dolent quibus veritas periclitatur, unitas quæ ſcinditur, charitas quæ violatur, cordi & ſollicitudini eſt.

Nonis Febr. 1657.

DISQVISITIO TERTIA:

SIVE

ECCLESIÆ TVRBÆ FR. ANNATO

Jeſuitâ judice compoſitæ.

I. Imprudentiæ arguitur Annatus.

DURAM, MI PATER, cepi provinciam, qui te monere aggrediar in tanto tuo ac Societatis tuæ plauſu. Nihil enim monentibus inimicius, quàm cupiditas felix, & opinione victoriæ elatus animus. Sed tamen hâc incommodâ affectione tuâ non tardatus, peragam munus meum. Qui ſibi uni peccat, dimitti poteſt incaſtigatus. Tuæ culpæ, mi Annate, latiùs manant, eæ præſertim quas in hâc poſtremâ ſcriptiunculâ admiſiſti. Patere igitur in viam te molliter reduci vel invitum, ut quos tecum in errorem abripis, vel tecum, vel ſine te ad ſaniora judicia revocentur. In hâc controverſiâ tu mihi ſum-

ſummus eris teſtis, tu præcipuus judex. Ita ſi te teſte, te judice, cauſâ cecideris, de nullo habebis niſi de te queri. Quin etiam hoc tibi tribuendum duxi, ut errata tua latinè potiùs quàm gallicè retegerem, quod major tibi hujus linguæ facultas ſit ad reſponſandum. Sic enim habeto, me quidem nihil magis optare, quàm ut meis monitis perniciosiſſimum turbandæ Eccleſiæ conſilium deponas: hoc dempto nihil malle, quàm ut ſaltem ad reſpondendum te accingas. Nam id te facere non poſſe certò ſcio, quin cauſæ tuæ iniquitatem omnium oculis ſubjicias. Atque adeò non ut te pungam, ſed ut vehementiùs extimulem, liberiùs indicabo quid ſit in quo te incuſem.

Imprudentius ajo à te factum eſſe, mi Annate, quod huic tanto Moliniſtarum triumpho deſpicatiſſimam quandam ſchedulam antevertiſti, tam apertis fallaciis ſcatentem, ut victoriam tuam plùs labefactet, quam ulla cujuſquam impugnatio. Hæc palam demonſtrari non erit inutile, ut Societas tua alium ſibi provideat defenſorem, aut tu certè aliam defenſionem.

II. *Annatus cauſam ſuam prodit potiùs quàm defendit.*

Malè collineat qui in adverſam ſcopo partem jaculatur. Malè partes oratoris implet, qui quod aſtruere nititur deſtruit. De te fabula narratur, mi Annate: nihil enim minùs efficis, quàm quod effectum vis. Nempe hoc tibi propoſitum eſt in illâ ſcriptiunculâ tuâ, ut eos quos Janſeniſtas vocas, hæreticos doceas. At ipſos nemo clariùs quàm tu catholicos probavit. Miraberis quæ dicam. Non jam ad Epiſcopos, non ad ſummum Pontificem provocamus, quando ne ad illos aſpirent voces noſtræ, Jeſuitarum gratia præpedit. Te te appellamus, mi Annate: tuo judicio ſtabimus, & quæ nobis cauſæ noſtræ fiducia eſt, tuo judicio vincemus. Age igitur, mi Pater, ſupremum te judicem finge, nos humiles & demiſſi ſic fidem tibi noſtram purgamus.

III. Auguſtinianorum apud Annatum purgatio.

Calumniis impetimur à Societate tuâ, Pater Annate. Ridiculi nobis errores affinguntur, de quibus cogitavimus nunquam. Sed ad eos amovendos ſufficit ſententiam noſtram hoc unico argumento vindicare. Gratiæ efficacis ad omnes pietatis actus neceſſariæ dogma ſummus Pontifex catholicum agnoſcit, omnes per orbem Epiſcopi, omnes Univerſitates, imò tu ipſe. Atqui hoc unum dogma circa quinque propoſitiones tuemur, & nullum aliud. Igitur & circa propoſitiones, ſummi Pontificis, Epiſcoporum, Univerſitatum, tuo denique judicio catholicè ſentimus. Nec premere ullum poteſt non damnatus expreſſè Janſenius. Aut enim ille nihil aliud habet circa iſtas propoſitiones præter hoc dogma, & ſic caret errore: aut aliquid aliud, & ſic defenſoribus caret. Utrum autem habeat, necne, ita manifeſta quæſtio facti eſt, ut eam ad fidem pertinere ne fingere quidem poſſis. Breviſſimè dicam. Quem tu ſenſum Janſenii eſſe putas, nos damnamus: quem nos ſenſum Janſenii eſſe putamus, ne tu quidem damnare auſis. Habes orationis noſtræ ſummam. Nos judicium tuum expectamus. Illud verò his verbis gravibus ſanè ac luculentis expromis.

IV. Annati Reſponſio.

Gratia efficax (inquis in poſtremo tuo libello p. 21. & 22.) *duplici modo defendi poteſt, quorum ille hæreticus eſt, hæreticis principiis nixus; alter orthodoxus, ſancitis autoritate Conciliorum principiis ſuffultus. Primum ſequitur Calvinus, & ideò hæreticus eſt. Catholici doctores, Thomiſtæ, Scotiſtæ, Sorboniſtæ, Ieſuitæ de ſecundo conſentiunt, & propterea variis licet concertationibus diſtracti, tamen in eâdem & indivulſâ Eccleſiæ communione permanent. Ergo ut explores, an Ianſenius defendendæ gratiæ efficacis profeſſione ſit immunis, illud indagandum quo pacto ipſam defendat, tanquam Calvinus, an tanquam catholici doctores.* Hactenus,

Hactenus, mi Pater, belliſſimè principia poſuiſti. Itaque nos hîc tibi nihil omninò refragantes habebis. Perge igitur.

V. *Primum Iudicium Annatinum.*

Calvinus ita gratiam efficacem defendit, ut ab illâ nullam aliam nobis relinqui libertatem putet, niſi eam quæ dicitur à coactione; cæterùm ab iſta gratiâ agendi neceſſitatem imponi, quæ poteſtatem auferat reſiſtendi quamdiu gratia perſeverat.

VI. *Subſcriptio.*

Hîc pauliſper quæſumus ſubſiſte, mi Annate, & nobis expedi quo pacto quis hunc à ſe Calvini errorem poſſit amoliri, nimirum eo ſimpliciter, apertè, & ſincerè damnando. Bene habet. Igitur jam te judice Calviniano errore liberati ſumus: hunc enim ſimpliciter, ingenuè, & apertè damnamus, rejicimus, execramur. Quid ultra poſtulas? Vt non modò de gratiâ efficaci non Calvinianè ſentiamus, ſed etiam ut catholicè; Præſcribe ergo quid ſit catholicè gratiam efficacem defendere.

VII. *Secundum judicium Annatinum.*

Catholici doctores inter ſe conſentiunt, gratiam per ſe efficacem ita regere voluntatem, ut vim & poteſtatem reſiſtendi ei non adimat, ita ut hæc duo inter ſe componantur, gratia in voluntate, & in eâdem voluntate ſub gratiâ conſtitutâ ſufficiens non conſentiendi poteſtas: nec dubitant quin hic verus ſit Concilii Tridentini ſenſus in iſtis verbis, poteſt diſſentire ſi velit.

VIII. *Subſcriptio.*

Iterùm quærimus quo pacto quis fidem facere poſſit, hanc ſibi doctrinam probari? An aliter quàm ingenuâ & ſimplici ſubſcriptione? Tollantur ergo vanæ concertationes; ſubſcribimus enim & ſincerè profitemur, remanere cum ipſâ gratiâ efficaci diſſentiendi poteſtatem. Verùm

ex omnium Thomiſtarum doctrinâ adjungimus; ſeu potiùs explicamus quæ tu involvis, eam vim eſſe gratiæ prædeterminantis ut phyſicè ſemper & infallibiliter efficiat, non ut voluntas diſſentire non poſſit, ſed ut nolit. Relinquit ergo diſſentiendi poteſtatem, aufert diſſentiendi voluntatem: hoc eſt, cùm ipſâ gratiâ pacificè conſiſtit diſſentiendi poteſtas, conſiſtere non poteſt diſſentiendi voluntas. Nam, ut ait Aluares diſp. 72. num. 4. *Quando motio Dei eſt efficax, liberum arbitrium infallibiliter conſentiet. Etenim hoc operatur gratia in libero arbitrio, quod cùm poſſit diſſentire, non diſſentiat; cujus ratio eſt quam aſſignat S. Thomas. 1. 2. qu. 112. art. 3. Nam intentio Dei deficere non poteſt. Vnde ſi ex intentione Dei moventis eſt, quod homo, cujus cor movet, conſentiat & conſequatur gratiam, infallibiliter eam conſequetur, & neceſſariò, neceſſitate infallibilitatis, non autem ex neceſſitate abſolutâ.* En doctrinæ noſtræ circa gratiam efficacem ſinceram expoſitionem.

Jam ſi quæras quo pacto Concilii Tridentini locum accipiamus, non alium interpretem adhibebimus, quàm illum Societatis veſtræ coryphæum, Dionyſium Petavium. Audi ſi placet illum loquentem tom. 1. l. 9. c. 7. p. 602. & nos ſodali tuo ſuccinentes amplectere. *Illud quod per Chriſti merita tribuitur donum, non ſolum dat poſſe ſi velint, ſed etiam velle quod poſſunt; & eſt tale ut eo dato non niſi perſeverantes ſint, id eſt, ut certò, & quod in ſcholis dicitur, infallibiliter perſeverent, tametſi liberè gratiæ illi donóque conſentiant, non neceſſario; ſed ita ut diſſentire poſſint ſi velint, quod Tridentina ſciſcit Synodus, quamvis nt non diſſentire velint, eodem illo perſeverantiæ dono perficitur.* Ergo etiam hîc tibi planè ſatisfaciamus neceſſe eſt. Tuæ enim doctrinæ ſine exceptione ſubſcribimus. Supereſt tertium caput, quod ſic expreſſiſti.

IX. *Tertium Iudicium Annatinum.*

In hoc quoque capite catholici Doctores conſentiunt, gratiam ſub efficacis formalitate non eſſe ita ad bona opera neceſſariam, ut non poſsit ſine hâc eſſe ſufficiens, omnemque largiri poteſtatem, quæ neceſſaria eſt ad hoc ut quod jubet Deus nobis poſsibile ſit, quamvis illud reipſâ non præſtemus. Ex quo fit ut vitio noſtro hæc gratia effectu careat.

X. *Explicatio & ſubſcriptio.*

Etſi, mi Annate, hîc doctrinam tuam conſultò obſcuraſſe videri poſſis, ut nos ab eâ amplectendâ deterreres; quia tamen verba tua ſignificas eo ſenſu accipienda qui Thomiſtarum doctrinam nihil lædat, nec me utique lædere poſſunt, nec ullum Auguſtini diſcipulum. Nam illi circa quinque propoſitiones cum vulgaribus Thomiſtis planè conſentiunt. Nihil eſt ergo quominus eodem ſenſu quo illi tuum illud tertium caput approbem: imò nihil neceſſe eſt id à me jam fieri, cùm in primâ Diſquiſitione jam fecerim, apertéque dixerim, duplex eſſe gratiæ genus, aliud efficax, aliud inefficax: hoc idem prorſus eſſe atque illud quod Thomiſtæ auxilium ſufficiens vocant, eoque mandata fieri verè poſſibilia, etiam cùm illa reipſâ non præſtamus; adeóque hanc gratiam ſuo nonnunquam effectu carere. Hæc omnia omnes Auguſtini diſcipuli toties iterarunt, ut mirum ſit vos adhuc adverſus eorum voces obſurdeſcere.

XI. *Thomiſtarum, quos orthodoxos agnoſcit Annatus, de gratiâ efficaci pronunciata.*

Cæterùm, mi Annate, quemadmodum in verbis tuis involutam Thomiſtarum ſententiam probavi, ſic eam paulò enucleatiùs hîc à me proferri, ne fraudi detur locus, quæſo boni conſulas. Hæc verò ad iſta dogmata, quæ cum illis adverſus ſodalitium tuum tuemur, ferè redigitur,

Primum eſt gratiam efficacem ad omnia pietatis opera, & ad ipſam orationem neceſſariam eſſe. Nam ut rectiſſimè Alvares diſput. 55. num. 13. *Præter vocationem ſufficientem, quæ tribuit voluntati poſſe conſentire, requiritur etiam, ut actualiter conſentiat, vocatio efficax quâ fiat conſentiens.* Et adhuc clariùs paulò ſuprà num. 6. *Nulla diſpoſitio remota ad gratiam haberi poteſt ex ſolâ facultate naturæ, ſive ſit petere, ſive deſiderare ipſam gratiam, ſive quodlibet aliud: ſed ad illam neceſſario requiritur* SPECIALE AUXILIUM PRÆMOVENTIS GRATIÆ.

Secundò hujus tam neceſſariæ gratiæ ea vis & efficacia eſt, ut ait Aluares diſp. 23. *ut hæc duo ſint incompoſſibilia: quòd Deus auxilio efficaci moveat liberum arbitrium ad conſenſum; & nihilominus liberum arbitrium diſſentiat. Alias enim non ageretur à gratiâ efficaci indeclinabiliter & inſuperabiliter.*

Ac de efficaci quidem gratiâ ita ſentimus. De inefficaci verò noſtram ſententiam habes *Diſqu.* 1 *art.* 5 Tantùm hîc duo nominatim annotabo.

1. Etſi hæc poteſtatem afferat obſervandi mandata, tamen iſtam poteſtatem talem non eſſe, ut complectatur omnia ad agendum neceſſaria. Nam illud, mi Annate, devores oportet ex Navarretta tom. 2. contr. 19. *Quod Suares dicit, auxilium ſufficiens includere in ſe omnia quæ ſunt neceſſaria ad operationem, falſum eſt, & contra divum Auguſtinum.* Et ibidem. *Non continet auxilium ſufficiens quicquid per modum principii eſt neceſſarium ad illam operationem.*

2. Etiam gratiam ſufficientem ſemper illum operari effectum, ad quem abſolutâ Dei voluntate ordinatur. Rectè enim idem Aluares diſp. 80. *Omne auxilium ſufficiens comparatione unius actus ſemper eſt efficax reſpectu alterius, ad quem efficiendum decreto abſoluto divinæ voluntatis deſtinatur.* Unde generatim omnis gratia dici efficax poteſt, & rurſus dividi in efficacem ſecundum quid, quæ eadem ſufficiens vel excitans dicitur; & efficacem ſimpliciter & propriè. Eia, mi Annate, quid jam habes quod ſuccenſeas?

ſeas? An hoc fortè nobis ſuccenſes, quòd ſuccenſendi cauſas præcidimus? Nec modò levem controverſiam ſuper quinque propoſitionibus reliquam eſſe docemus: ſed planè nullam. Nullam, inquam, invenies, Pater Annate, quantumvis omnes ingenii tui nervos intendas, dum Thomiſtarum ſententiam ut facis, orthodoxam fateberis. Atque adeò experire: enitere ut verbis ab omni ambiguitate remotis quæſtionis caput aſſignes. Si feceris, mi Annate, viceris. Quæ conditio æquior cuiquam offerri poteſt, quàm ut clarè apertèque enuntiet quod obtinere nititur? Et nobis pervicaciam objectas, qui tibi morigeri ſumus plus fortaſſe quàm velles. Et hæreſim in Eccleſiâ eſſe dictitas, cùm nullam in certo dogmate diſceptationem poſſis oſtendere. Priùs ergo reſponde huic argumento: Nulla certa hæreſis ſine certâ controverſiâ. At nulla in Eccleſiâ certa controverſia. Ergo nulla hæreſis.

XII. *Annati ſententiâ victus Annatus.*

Non vereor igitur, mi Pater, quam de nobis jam ſententiam pronunciaturus ſis. Jam tu illam pronunciaſti, cùm tam accurato diſcrimine Calvinianum errorem à catholicâ fide diſtinxiſti. Quiſquis enim Calvinum, ut à te explicatur rejicit, te judice, Calvinianus non eſt. Quiſquis catholicam fidem ex ore tuo amplectitur, te judice catholicus eſt. Ita ſi nos ut hæreticos pergas inceſſere, non tam nobis turpiſſimi criminis notam inures, quàm tibi injuriæ, inconſtantiæ famam apud homines, culpam apud Deum accerſes. Hujus judicium, mi Annate, nimis abeſt ab oculis tuis. Aliter ageres, ſi de illo ſeriò cogitares. Quam enim tandem Deo rationem redditurus es, cùm exprobrabit tibi tot ſervorum ſuorum famam inaniſſimo hæreſeos crimine conſciſſam: projectam in periculum ſchiſmatis Eccleſiam: viliſſimis, imò nullis quæſtiunculis turbatam fidelium pacem: deluſam artibus ſuis ſummi Pontificis æquitatem, cujus aures, heu vobis nimiùm cre-

dulas, innumeris quotidie mendaciis oneratis? Non agitur de Janſenio. Ille in tuto locatus non jam veretur humanum diem. De nobis agitur, quibus orbe Chriſtiano inſpectante Calvinianum ſenſum objicere non dubitas. Etiamne id nobis imperabis, ut reclamante conſcientiâ hunc errorem à nobis defenſum agnoſcamus, quem totâ mente ſemper repudiavimus? Nimis, nimis hoc durum eſt, Pater Annate, ut falſum crimen agnoſcendum ſit, ne falſò accuſaſſe videaris.

XIII. *Iteratâ reſponſione eliditur Annatinus de ſenſu Ianſenii Cavillus.*

Quid afferes igitur quominus illa hæreſis, quam nobis objectabas, planè evanuerit? Iterumne ad Janſenii ſenſus cavillationem recurres, & ad tuũ illud ſophiſma; Janſenianus eſt ſenſus Calvinianus: at Janſenianum ſenſum defenditis: ergo Calvinianum? Deus immortalis! Adeóne homines ex odio & cupiditate immutari, ut nullum in iis non dicam humanitatis, ſed rationis veſtigium agnoſcas? Nam tu, ſi homo eſſes, mi Annate, illo potius modo argumentum tuum contexeres. Janſenianus ſenſus eſt Calvinianus: at damnatis ſenſum Calvini: ergo damnatis ſenſum Janſenii. Debueras ergo nobis non Calvinum objicere probatum, ſed Janſenium deſertum. Certè enim Janſenianus ille ſenſus aliquo dogmate continetur, non nudis illis vocibus quæ nihil ex ſe ſignificant. Hoc dogma tu ipſe definis, circumſcribis, explicas, & in Calviniano errore ſitum doces. Nos illud dogma rejicimus, Ergò rejicimus ſententiam illam quam tu Janſenianam appellas. At quidam eam negant eſſe Janſenianam. O miram hæreſim, & antè inauditam! Duo homines eandem omnino ſententiam tuentur, nempe Thomiſticam; eandem ſententiam damnant, nempe Calvinianam: eò ſolum diſcrepant, quod alter Calvinianum ſenſum appellat Janſenianum, & ideò damnat: alter ſententiam Thomiſticam, utriq; probatam, appellat Janſenianam, & ideò verbulum illud non damnat; ob hoc unum diſcrimen hic hæreticus, ille catholicus. Cur

Cur ergo non intelligis, Dialectice ſenex, puerile argumentationis tuæ vitium, duplicemque ſub his verbis Janſeniani ſenſus notionem ſupponi, aliam à me, aliam à te; Thomiſticam à me, à te Calvinianam? An tantum illius nominis virus eſt, ut quodcunque demum Janſeniani ſenſus voce afficiatur, etſi cæteroquin orthodoxum, ſtatim evadat hæreticum? Quid ſi mihi perſuadeam eundem eſſe Molinæ & Janſenii ſenſum? Jamne tuus Molina hæreticus fieret? Injurius in te mihi viderer, mi Annate, ſi te fingerem tam abſurdum. Ecce quidam ſibi perſuaſerunt Ianſenium nihil omninò à vulgari Thomiſtarum doctrinâ circa quinque propoſitiones diſſidere. Quis non videat nihil fieri poſſe dementius, quàm ſi quis eâ re ipſos hæreſeos inſimulet? At ſtultè ſibi perſuaſerunt. Stultos igitur voca, catholicos fatere: quanquam jam oſtendam tibi unde ſtultitiam iſtam hauſerint. Hauſerunt enim non modò ex multis Ianſenii locis, quorum nonnulla 2. Diſquiſitione protulimus; ſed etiam ex Patre Palavicino, Romano Ieſuitâ, viro in iſtis rebus & intelligente & moderato. Audi ergo quomodò ille Ianſenium cum Thomiſtis conjungat, de gratiâ ſufficiente loquens. *Primùm*, inquit Tr. de Grat. an. 1645. in Col. Rom. Diſp. 4. artic. 4. *aſſerunt communiter Patres Dominicani, & idem reipſâ docet Ianſen. lib. 3. de Gr. cap. 1. cùm inficiaretur dari gratiam aliquam ſufficientem, ſubdit eam concedi poſſe, ſi admittatur in eo ſenſu in quo eam admittit Aluares, cæterique nobis adverſarii in quæſtione de Auxiliis; ut nimirùm det quidem poſſe; non tamen ſit ſufficiens ad agendum, niſi aliquid aliud addatur ex parte Dei; adhuc tamen non eſſe veram Chriſti gratiam. Contraria eſt doctrina Societatis, pro quâ ſit concluſio.*

Hinc ille in votis ſuis eâdem cenſurâ Janſenium perſtrinxit, quâ idem Aluarem perſtrinxiſſet. Erroneum dixit illius ſenſum, quia Thomiſticum: hæreticum nunquam dixit, quia Thomiſtas hæreticos dicere nondum audetis. Quid quòd ille ſuper quartâ propoſitione ſenſum

Janſenii diſertis verbis abſolvit, & immunem judicat à cenſurâ? Hic quæſo reſponde, Pater Annate. Cùm Palavicinus ſenſum Janſenii immunem judicabat à cenſurâ, an ille Calvinianus erat, an blaſphemus, an hæreticus? Non opinor. Quare ergo ut catholicum defendebat, quod tu Calviniani erroris accuſas, niſi quia aliter quàm tu Janſenium interpretabatur? Sentiſne igitur non propterea quenquam Calvino adhæreſcere, quia Janſenium defendat, alioquin Romanum illud judicium dimidio ferè Calviniſtarum numero conflatum fuiſſet.

XIV. *Solam Molinæ & Suareſii ſufficientem gratiam à Ianſenio exploſam.*

Cæterum hoc Palavicini tui loco admoneor, ut obiter hîc aperiam quantopere crudelis lectoribus hoc ſufficientis gratiæ nomine ſciens vel imprudens imponas. Scilicet nihil crebriùs in ore habes, ut tibi Dominicanos adjungas, quàm gratiam ſufficientem Thomiſtarum à Janſenio quaſi monſtrum eſſe exagitatam. At in hoc, mi Annate, longiſſimè erras. Illa enim gratia ſufficiens, quam ut monſtrum inſectatur Janſenius *t.* 3. *l.* 3. *c.* 3. non eſt illa Thomiſtica, quam ab Auguſtino libenter admiſſum iri docuerat cap. 1. ſed ſodalium veſtrorum, Suariſquè præcipuè *incongrua gratia*, quæ lato limite â Thomiſticâ dividitur. Hoc verò tam manifeſtè non innuit ſolùm, ſed expreſſè teſtificatur, ut mirum ſit vos tam putidam criminationem toties iteraſſe. Quamobrem, mi Pater, ne vel te, vel alios fallas, ſic habeto: Quoties Janſenius gratiam ſufficientem explodit, non aliam intelligi, niſi Molinianam aut incongruam Suareſianam. Idem de cæteris Auguſtini diſcipulis affirmo, quibus in iſta gratia ſufficiente Thomiſticâ nihil diſplicet præter nomen, quo vos ad Molinam fovendum abutimini. At ſi ſatis innotuerit non eam hoc verbo ſignificari gratiam quæ complectatur omnia ad agendum neceſſaria, nihil jam erit cur non id nominis

nis facilè admittatur, & hoc ſenſu *gratia ſufficiens* omnibus juſtis volentibus & conantibus concedatur. Quamobrem, ut dixi, res iſto nomine à Thomiſtis ſignificata probatur ab omnibus: ac verbum ipſum antè Moliniano veneno perpurgandum, quàm in Eccleſiam invehatur; aut certè cùm eâ cautione uſurpandum, ut Moliniſticus ſenſus expreſſè rejiciatur.

XV. *Refellitur alia fallacia Annatina de ſenſu legitimo.*

Ex his ſimiliter corruit aliud tuum, in quo non mediocriter tibi places, argumentum, ſeu veriùs ſophiſma. *Quinque propoſitiones*, inquis, *in ſenſu legitimo à quibuſdam Doctoribus defenſæ ſunt: at damnatæ ſunt in ſenſu legitimo: ergo damnatæ ſunt eo ſenſu, quo defenſæ ab illis ſunt.* Hic etiam *legitimi ſenſus* æquivocatione nos illudis; nec aliter argumentaris, quàm ſi quis ita concluderet: Legitimum Honorii ſenſum damnavit ſexta Synodus: at legitimum Honorii ſenſim tuetur Bellarminus: ergo ſexta ſynodus damnavit ſenſum, quem tuetur Bellarminus: ergo Bellarminus hæreticus eſt. Siccine, mi Pater, in Dialecticis operam tuam diutinam conſumpſiſti, ut adhuc iſtius argumenti vitium non percipias, nec intelligas in *ſenſus legitimi* voce latere fallaciam? Alius enim prorſus legitimus ſenſus, quem Pontifex damnavit; alius legitimus ſenſus, quem illi defenderunt. Quis enim ille ſenſus ab illis Doctoribus propugnatus? Audiamus te ipſum eorum verba referentem: *Autor*, inquis, *libri de gratiâ victrice ait, propoſitiones eſſe veras, & maximè catholicas in ſenſu gratiæ efficacis; atque hoc ſolum ſenſu à Ianſenio defendi.* Ecce quid ſit ille, *ſenſus legitimus*, doctrina nempe de gratiâ efficaci, quam tu veram & orthodoxam fateris. Hanc illi in quinque propoſitiones includi poſſe exiſtimarunt. Nec ſoli, mi Annate, ita ſenſerunt. Præcipui è Conſultoribus idem quod illi cenſuerant; nec tamen Calviniani erant, aut ullâ ſiniſtrâ unquam opinione aſperſi ſunt. Contrà Conſultores alii nume-

numero plures ſenſum legitimum propoſitionum à gratiâ efficaci planè ſegregatum eſſe contenderunt. His aſſenſus eſt ſummus Pontifex, ipſi orbis Chriſtianus. Quid ſequitur? Nempe hoc unum; gratiæ efficacis doctrinam in ſenſu propoſitionum includi non debere, omninóque ſentiendum, hunc gratiæ efficacis ſenſum non eſſe legitimum quinque propoſitionum ſenſum. Quod illo argumento tuo bene convincitur. Summus Pontifex non damnavit gratiæ efficacis doctrinam. At damnavit ſenſum legitimum quinque propoſitionum. Ergo doctrina gratiæ efficacis non eſt ſenſus legitimus quinque propoſitionum. At ſenſus ille, quem Doctores tuebantur, nihil aliud erat quàm doctrina efficacis gratiæ. Igitur ſenſus illorum à ſummo Pontifice damnatus non eſt. Hoc ſolum ergo ipſis exprobrare potes ſenſum illum quem legitimum dixere, ſententiâ ſummi Pontificis illegitimum, & alienum à propoſitionibus eſſe judicatum. Quod honori & reverentiæ ſummi Pontificis facilè dabunt. Quanquam non eo nomine legitimum dixêre, quod eſſet propoſitionum per ſe & in vigore ſpectatarum proprius, & genuinus; ſed quòd legitimus eſſet iis veſtris dictionibus additis, cum quibus ab Auguſtinianis defendebantur.

XVI. *Ridiculè implicitam Auguſtinianorum ſententiam inſectantur Ieſuitæ, cujus explicitæ & non ambiguis verbis expreſſæ damnationem extorquere non poſſunt.*

Cerniſne, Pater Annate, rationes tuas ſponte diſſilire? Sed pauliſper ſubit hoc loco mirari fraudulentum Societatis inſtitutum. Quorſum enim nos aſſiduè *legitimi ſenſus*, *Ianſeniani ſenſus* vocibus pulſat & obtundit? Non obtegimus, non reticemus ſenſus noſtros, imò eos planiſſimis verbis enunciamus. Non deeſt vobis gratia apud Reges, apud multos Epiſcopos, apud ſummum denique Pontificem. Quin jam igitur omiſſâ illâ futili de *Ianſeniani ſenſus* vocibus concertatione, ſententiam noſtram noſtris verbis expreſſam apud ſummum Pontificem, vel apud Epiſco-

Epiſcopos Galliæ accuſatis? Si jam illam implicitam damnaverunt, ut contenditis, libentiſſimè utique explicatam damnabunt.

Agite ergo & enitimini, Ieſuitæ, ut in aliquâ Bullâ hæc verba orbis Chriſtianus legat: *Hæc propoſitio; Quibuſdam juſtis gratiæ excitanti & Thomiſtico ſenſu ſufficienti renitentibus non adeſt gratia efficax, neceſſaria ad benè agendum, ſive ſine quâ non adſunt omnia ad agendum neceſſaria, eſt hæretica, blaſphema, & impia.*

Facite ut legamus: *Hæc propoſitio; Duplex eſt gratiæ genus: alia efficax, alia inefficax. Huic ſemper cum ſola eſt reſiſtitur, illi nunquam. Vtraque verò in eo convenit, quod ſemper efficax ſit reſpectu illius effectus ad quem abſolutâ Dei voluntate ordinatur; eſt hæretica.*

Facite ut legamus: *Hæc propoſitio; Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur indifferentia Moliniana, quâ voluntas ita poteſt velle & nolle, ut non modò cum gratiâ efficaci poteſtas diſſentiendi cohæreat, ſed etiam actus contrarius; eſt hæretica.*

Facite ut legamus: *Hæc propoſitio; Semipelagiani in eo errabant, quòd negarent fidem ita eſſe donum Dei, ut nemo credat ut oportet, niſi cui per gratiam efficacem fides ipſa donetur; eſt hæretica.*

Facite demùm ut legamus: *Hæc propoſitio; Chriſtus non eſt mortuus ut omnibus reprobis gratias Moliniano ſenſu ſufficientes impetraret, quæ ſine efficacis auxilio in actum prorumpant; hæretica eſt & blaſphema.*

XVII. *Apoſtolica & Auguſtiniana gratiæ efficacis doctrina, Ieſuitarum in eam machinationibus confirmatur & illuſtratur.*

Ejuſmodi Bullam, Pater Annate, non timemus ne unquam à ſummo Pontifice Jeſuiticæ artes eliciant, & propterea triumphos tuos, vanaſque victorias irridemus, ſeu potiùs miſeramur. Nunquam enim fortè illuſtriori exemplo comprobavit Deus, quanta ſit firmitas veritatis, & quàm inanes ſint hominum in illam inſurgentium conatus.

natus. Ecce per duodecim annos conjurata in gratiam efficacem Moliniſtarum natio nullas artes, nullas machinationes ad eam evertendam omittit: Regibus, Epiſcopis, ſummis Pontificibus obrepit; & tamen eadem doctrina validiùs in dies confirmatur; ab Epiſcopis quotidie probatur; Romæ ut cùm maximè floret; nec quiſquam eſt qui Moliniſta libenter audiat. Hoc tanto nobis ſolatio eſt, ut illos fluctus in nos concitatos ſecuri lætique proſpectemus. Non enim jam fides, non veritas periclitatur, quæ adverſariorum etiam ore & teſtimonio ſancitur: non conſcientia noſtra, quæ nobis coram Deo hoc ſincerum teſtimonium reddit, nihil aliud nos in hâc materiâ ſentire, niſi quæ ſupra expoſuimus, quæque omnium Theologorum calculo tanquam orthodoxa comprobari certò ſcimus. Ergo famæ duntaxat noſtræ, aut temporalium commodorum diſcrimen agitur, de quibus ſi quis vehementiùs ſollicitus ſit, & Chriſtiani & Theologi nomine ſit indignus. In hæc ſæviant Jeſuitæ quantum volent. Nobis illorum fortunam optare nunquam ſubibit. Interim dum noſtra illorum calumniis obſcuratur fama, veritatis quam adverſus illos tuemur, ſplendor clariùs eniteſcit. Ecquis enim non hanc certam, catholicam, ac divinam doctrinam putet, quæ defenſoribus ſuis in ſummam invidiam per falſas criminationes adductis, Jeſuitarum tamen impetum in excidium ſuum, & Principum & ſummi Pontificis gratiâ abutentium, ſuo robore ſuſtentat? aut quomodo unquam huic argumento reſpondebunt Jeſuitæ? Si quid eſſet in doctrinâ ſuperiùs expoſitâ, quod vel leviſſimam notam mereretur, non ei parceret ſummus Pontifex, Jeſuitarum operatione adverſus illorum dogmatum defenſores exaſperatus. Sed nullum unquam ex ſuprà poſitis capitibus expreſſè damnabit. Ergo nullum eſt damnatione dignum; nullum quod orthodoxum & ſanctum non ſit.

XVIII. *Cur Ianſenium multi Thomiſtæ damnare detrectant.*

Nimirum igitur accuſatione hæreſeos excidiſti, Pater Annate. Reſtat ut aliò impetum convertas, ac nos dicas verè quidem Janſenii ſenſum damnare, quippe qui Calvinianum damnemus, quem eundem atque Janſenianum putas; ſed ſive pudore, ſive ſtupore aut pertinaciâ hunc quem rejiciamus errorem, noluiſſe hactenus appellare Janſenianum. Hoc tantùm, mi Annate, potes dicere, ſi te ipſe audire volueris, nec à ratione deſciſcere. Ac hoc tamen cave ne dicas: nam eò ſi deſcenderis, hoc ipſo pax erit conſtituta quam odiſti. Parum enim admodum hac accuſatione movebuntur adverſarii tui, facilémque de ſe palmam hâc in parte tibi præbebunt, ac te in hac victoriæ ſpecie quàm voles exultare impunè permittent. Itaque per eos licet ut debellati Janſenii ſibi tropheum erigat Societas: licet ut eos bardos, ſtupidos, pertinaces appellet. Deſinat modò commentitiæ hæreſeos formidine Eccleſiam ſollicitare. Quin etiam, niſi planè ſis intractabilis, facile erit de reliquis tranſigere. Quid enim reſtat, cùm tuum illum ſenſum Janſenianum omnes damnent? Hoc unum ſcilicet, ut eum Janſenianum omnes appellent. Leviculum negotium: jam enim de ſyllabis agitur, non de ſenſu. Sed vin tibi expeditam oſtendi viam, mi Pater, quâ non ægrè omnes adduxeris, ut te de Janſenii ſenſu rectè ſenſiſſe non inviti, ſed ultro fateantur. Dignare, mi Pater, dubitationibus illorum occurrere, & quoſdam ab ipſis evellere ſcrupulos quibus ab hac opinione retardantur: hos ne ignores, ſincere & ſimpliciter hîc expromam.

XIX. *Calvini doctrinam videtur damnare Ianſenius.*

Magnum poſtulas ut Janſenium Calvino ſuccinere fateamur. Ego contrà, levem hanc operam à te exigo, ut patienter auſcultes, cur hoc creditu valde ſit arduum. Difficile eſt enim, mi Pater, catholico Antiſtiti eam ſen-

ten-

tentiam tribuere quam expreſsè damnat & rejicit. Vbinam, inquis, id facit Janſenius? Tomo 3. mi Annate l. 8. c. 21. *Hæc ſunt*, inquit, *quæ Eccleſia in Calvino, quantum ad hanc materiam gratiæ & liberi arbitrii, improbavit. Primum eſt, quòd Calvinus negat eſſe in homine boni & mali electionem, &c. Secundum eſt, quòd Calvinus doceat gratiam ita movere hominem ut non ſit ei liberum reſiſtere. Sic enim loquitur: Voluntatem Deus movet, non qualiter multis ſæculis traditum eſt & creditum, ut noſtræ poſteà ſit electionis motioni aut obtemperare aut refragari. Auguſtino verò dominus ita movet voluntatem, ut quamvis infallibiliter convertatur & operetur, poſſit tamen motioni Dei refragari aut obtemperare, ſeu, ut Concilium Tridentinum loquitur, illi diſſentire ſi velit. Potentia quippe diſſentiendi non repugnat actuali gratiæ motioni, & conſenſui; quamvis fieri nequeat ut actualis diſſenſus cum actuali Dei motione jungatur.* Ecce Calvini dogma exprèſsè damnatum, ut Eccleſiæ & Auguſtino contrarium. Ecce ſub actuali gratiâ permanentem diſſentiendi poteſtatem.

XX. *Thomiſtarum doctrina à Ianſenio explanata & comprobata*

Nec verò hoc uno loco, ſed integris capitibus ex profeſſo docet & inculcat, & in primis capite ſuperiori, ubi ſic Thomiſtarum doctrinam explanat, ut vix ulli Thomiſtæ eam luculentiùs expoſuerint. *Dicimus igitur*, inquit, *liberum arbitrium quantumcunq; vehementi atque efficaci gratiæ delectatione præventum atque determinatum ad faciendum bonum, adhuc tamen poſſe bonum non tantùm non facere, ſed etiam malum. Verum eſt enim iſtud, non quidem in ſenſu compoſito, ut vulgò dici ſolet, ſed in ſenſu diviſo; nimirum, quia eodem tempore, quo voluntatis arbitrium ſub gratiæ delectatione efficaciter eam movente poſitum eſt, imò quo etiam actum voluntatis bonum facit, eſt in eadem voluntate poteſtas illud non faciendi, imò peccandi; non quod ceſſatio ab actu quem tunc elicit, aut actuale peccatum cum gratiæ delectantis influxu conſiſtere poſſit; quod*

ſenſus compoſitus poſtularet; ſed quia ceſſandi & peccandi poteſtas cum eâdem gratiâ ſimul in eodem voluntatis arbitrio conjungi poteſt. Nam quamvis duo actus contrarii ſint oppoſiti, & in eadem voluntate ſimul eſſe non poßint, poteſtates tamen ad oppoſita non ſunt oppoſitæ, nec ſibi invicem, nec actibus oppoſitis, & in eodem ſimul ſubjecto ſive agente, ſive quieſcente commorantur. Sic ergò voluntas quantumcunque gratiæ ſuavitate capiatur, poteſt non agere id quò rapitur; quia veram non agendi potentiam etiam ſub gratiâ rapiente retinet; quamvis fieri nequeat, ut ipſa non actio cum gratiæ operatione in eâdem ſimul voluntate copuletur. Quin etiam Janſenius diſertè aſſerit hanc eſſe mentem Tridentini Concilii. Attende enim quid adjungat: *Sic etiam juxta Tridentinum homo recipiens inſpirationem, illam abjicere poteſt, & liberum arbitrium à Deo motum poteſt diſſentire ſi velit.*

XXI. *Aluaris doctrina Ianſenio conſona.*

Quæſo igitur, Pater Annate, hunc laborem ſuſcipe, ut aliquo diſcrimine hanc Janſenii doctrinam à vulgari Thomiſtarum mente ſecernas. Id enim perdifficile videtur. Quid enim aliud Janſenius, quàm quod Aluarez his verbis diſp. 115. n. 3. & 4.? *Potentia ad unum actum non repugnat potentiæ ad actum contrarium, nec etiam repugnat actui contrario. Actus autem contrarii repugnant inter ſe in eodem ſubjecto.* Et infra: *Notandum ſecundo, quòd cùm dicitur potentiam liberam eſſe, quæ poſitis omnibus requiſitis ad operandum poteſt operari & non operari, etiam in ſenſu compoſito, hoc dupliciter intelligi poteſt: primò ut compoſitio fiat inter prærequiſita ad operandum, & potentiam operandi & non operandi; & tunc ſenſus eſt, quod potentia ad operandum & non operandum ſtat ſimul in eodem ſubjecto cum antecedenter prærequiſitis ad talem operationem; & hic ſenſus veriſſimus eſt. Secundo modo poteſt intelligi, ita ut compoſitio fiat inter antecedenter prærequiſita ad operandum talem actum, & carentiam talis actus, & tunc ſenſus eſt quòd omnia prærequiſita, etiam ex parte Dei, ad*

 operan-

operandũ talem actum particularem, & carentia ejuſdem actus, ſeu actus contrarius, poßint eſſe aut aliquando ſint ſimul in eodem ſubjecto. In hoc ſenſu intendimus prædictam definitionem impugnare. Et diſp. 92. cum Moliniſtarum ſententiam ſic expreſſiſſet, *Quidam dixerunt, quod ſtante in homine quocunque auxilio prævenientis gratiæ ſecundum omnem realem virtutem & perfectionem quam habet ut venit à Deo, poßit etiam in ſenſu compoſito diſſentire & non converti.* Mox n. 4. ſubjicit: *Contraria ſententia vera eſt, & de mente Sancti Thomæ, omniumque doctorum quos ſupra adduximus.* Idemque diſp. 74. num. 6. *Liberum arbitrium motum à Deo auxilio efficaci, non poteſt illi diſſentire in ſenſu compoſito, ſed in ſenſu diviſo, ut inferiùs patebit. Sequeretur enim quod voluntas Dei eſſet inefficax, & impedibilis per hominis voluntatem: quod, ut Auguſtinus dicit, & nos ſupra oſtendimus, eſt impoßibile.* Vides, mi Pater, non levibus cauſis adductos fuiſſe, qui cum Patre Palavicino ſenſerunt, nihil ab Aluare circa 5. propoſitiones diſcrepare Janſenium. Tu tamen, ut ingenioſus es, quædam certè diſcrimina deteges, ut nullus jam ſcrupulus à damnando Janſenio quemquam retrahat.

XXII. *Occurritur argutiis Annatinis.*

Nec verò me ad eam quæſtionem pertraxeris, mi Pater, utrum poteſtas diſſentiendi, quæ cum gratiâ efficaci cohæret, ſit *ſufficiens, completa, proxima.* Hanc enim uno verbo ſic incîdo. Voces illæ, ut notat Aluarez diſp. 117. n. 11. ambiguæ ſunt, & alium apud Thomiſtas, alium apud Moliniſtas ſignificatum habent. Apud hos ea demum dicitur *poteſtas ſufficiens* quæ nihil prærequirit ut in actum prodeat. Apud illos autem, etiam ea quæ nunquam cum actu conjungitur. Itaque ſi illis verbis exprimas eam poteſtatem quæ cum effectu aliquando conjungatur, quo ſenſu hæc verba ſolet uſurpare Janſenius, certum eſt eam diſſentiendi poteſtatem, quæ cum gratia efficaci remanet, *nec proximam, nec ſufficientem* eſſe; nunquam enim cum

actuali

actuali diſſenſu conjungitur, quamdiu gratia perſeverat. At ſi quamvis aliam poteſtatem in actu primo cogites, per me licet ut eam *ſufficientem*, *ſufficientiſſimam*, *completam*, *completiſſimam*, *plenam*, *pleniſſimam*, *expeditam*, *expeditiſſimam* dicas, & ſi velis trecenta alia nomina excogites, dummodò gratiæ efficaci nunquam actu & effectivè diſſentiatur. Omninò ad iſtas cavillationes ſemel reſecandas in ſecundâ Diſquiſitione jam dixi, potentias illas nunquam cum actu conjunctas in ſummo gradu me ſemper conſtituere. Itaque, mi Pater, juſtis gratiâ efficaci inſtructis potentiam non agendi quibuſlibet nominibus ornatam tribue quantum voles: & iiſdem gratia efficaci deſtitutis quamlibet bene agendi potentiam largire. Dummodò enim efficaci per ſe, & non ex ſcientiâ mediâ, gratiæ neminem actu diſſentire, & ſine illâ neminem bene agere fatearis, nihil omnino ſententiæ noſtræ adverſaberis.

XXIII. *Cuivis Theologo non licet quemlibet Ianſenii locum pro arbitrio damnatarum Propoſitionum locum ſupponere, idque temerariè ab Annato tentatum.*

Nil neceſſe arbitror, mi Annate, in invidioſa, & niſi fallor infrugiferâ facti quæſtione operoſè verſari, ac tuum illum indiculum diligentiùs excutere, in quo tu præpoſterè quædam Janſenii loca cum 5. Propoſitionibus quaſi ſenſu congruentia componis. Quamquam hoc rectè & ſalvâ ſummi Pontificis, Epiſcoporumque reverentia poteram. Licet enim illi proprium & rigoroſum 5. Propoſitionum ſenſum in Janſenio extare ſignificent, non tamen cuivis privato Theologo eam licentiam dederunt, ut quemlibet Janſenii locum pro damnatis Propoſitionibus ſubſtitueret. Imò potiùs hoc omninò fieri non licere innuunt Galliæ Epiſcopi, qui in ſuâ Narratione Propoſitionum ſenſum non aliquo peculiari loco contineri, ſed ex totius doctrinæ compage reſilire aſſerunt.

Multo minus licet, mi Annate, quod tu feciſti; Augu-

ſtini loca pro damnatis Propoſitionibus ſupponere, ipſa fœdè mutilare, & corrumpere. Multo minus licet Leſſianas ſententias diſtinctis apud Janſenium characteribus expreſſas, & ab omnibus Thomiſtis in Leſſii ſenſu rejectas, à ſummo Pontifice conſecratas contendere. Verùm minutiorem illam diſquiſitionem nunc omittemus. Interim quædam generaliora hîc annotabo, quibus ſi reſponderis, tum ad preſſiorem diſputationem fortaſſe deſcendemus.

XXIV. *Propoſitiones in Ianſenio totidem verbis extare aſſeruit Annatus, nec promiſſo ſatisfacit.*

In primis, P. Annate, illud me malè habet, quod non ſatis hîc tuam ipſe liberas fidem. Ecquid enim excidit tibi quàm magnificè olim palam prædicaveris in Cavillis quinque illa damnata capita eſſe *propoſitiones individuas & ſingulares totidem verbis in Ianſenio contentas?* Aut nobis igitur totidem illa verba redde, vel inconſultum te promiſſorem fatere. At iniqui ſumus, qui à te *totidem illa verba* exigamus. Quaſi verò iniquum ſit, id à te exigere, quod tu promiſiſti, quòdque omnibus ſemper ſæculis uſurpatum eſt. Ecquod enim exemplum afferes, aſſignatas nominatim alicui ſcriptori nonnullas propoſitiones tanquam ex ejus libris *excerptas*, niſi *totidem verbis* ab illo ſcriptæ eſſent?

XXV. *Annati in aſſignandis æquivalentibus propoſitionibus inconſtantia.*

Fruſtra igitur, mi Pater, ad æquivalentes propoſitiones confugis, omiſſis illis *totidem verbis*, quæ nobis repræſentare debebas. Verùm in his quoque, ne quid graviùs dicam, parùm felix es. Primùm enim illud explicare decuerat, quod multos diu torſit, & etiamnum torquet. Si reverâ in Janſenio erant Propoſitiones damnatis æquivalentes, cur non illæ potiùs Janſenii verbis expreſſæ ſummo Pontifici oblatæ ſunt? Expediendum tibi ante omnia

fuerat,

ſuerat, mi Annate, intricatum iſtius conſilii myſterium.

Sed quæ tandem ſunt illæ tuæ propoſitiones æquivalentes? Vagæ, incertæ, volaticæ, ſine certâ ſede ac domicilio: novæ ſingulis annis priſcis excluſis ſe ſe oſtentant, mox quaſi partibus ſuis peractis è proſcenio ſe ſubtrahunt, & aliis locum dant. Itaque, mi Annate, anno 1654. alias planè propoſitiones æquivalentes attuliſti, his depulſus ad alias nunc confugis. Verùm ut tunc tibi me non debuiſſe credere res ipſa docuit, ſic nihil ſatis firmum video, cur tibi nunc credam. Quid ſi enim ad duos annos alia loca Janſenii proferas, an tunc quoque tecum ſententia mutanda erit? Non omnibus, mi Annate, tam mobile ac deſultorium judicium contigit. Propria hæc virtus tua, quam tibi non invidemus. Præſtat ergo diutius expectare dum in certis Janſenii locis conſtiteris: nec tu nobis hanc dilationem denegare potes.

XXVI. *Vitioſæ Annati Argumentationes.*

Eſt aliud, mi Pater, quod valde in illo tuo indice eruditi homines reprehendunt, infirma ſcilicet & imbellis argumentandi ratio: nam ſi quis illud omne quod poſtulas tibi concedat, nihil tamen omnino promoveris. *Accommodari*, inquis, *poteſt damnatarum Propoſitionum ſignificatus certis illis Ianſenii locis.* Multi negant. Sed quid tum, mi Pater? Accommodari poteſt Arianorum hæreſis his Scripturæ verbis: *Pater major me eſt.* Ergo re verâ illa Scripturæ verba continent Arianam hæreſim. Accommodari poteſt ſenſus ſecundæ Propoſitionis damnatæ, *Gratiæ interiori nunquam reſiſtitur*, his verbis ſancti Auguſtini: *Gratia Chriſti à nullo duro corde reſpuitur, quia ideo tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur.* Ergo accommodandus. Sentíſne quàm iſta malè colligantur? Nihil igitur haberes, etiamſi illud impetraſſes, iſtis Janſenii verbis damnatarum Propoſitionum ſenſum accommodari poſſe. Illud illud, mi Annate, probandum eſt, hunc damnatum ſenſum verbis illis

ſuis à Janſenio accommodatum eſſe. Quis enim ſcriptor catholicus tam accuratè locutus eſt, ut nonnunquam ipſius verbis non perverſus aliquis ſenſus affingi poſſit?

Exemplo erit ille locus Janſenii, quem ut quartæ Propoſitioni conſentaneum affers, ex to. 1. l. 8. c. 6. *In hoc ergo*, inquit, *propriè Maſſilienſium error ſitus eſt, quod aliquid primævæ libertatis reliquum putarent, quâ ſicut Adam ſi voluiſſet poterat perſeveranter operari bonum, ita lapſus homo ſaltem credere poſſet ſi vellet; neuter tamen abſque interioris gratiæ adjutorio, cujus uſus vel abuſus relictus eſſet in uniuſcujuſque arbitrio & poteſtate.* Huic tu loco ſenſum quartæ Propoſitionis aptas, nempe Calvinianum, quaſi Janſenius hîc dicere voluerit, *Semipelagianos ideo fuiſſe hæreticos, quòd gratiam talem eſſe vellent, cui poſſet humana voluntas reſiſtere vel obtemperare*: Fatentur, mi Annate, adverſarii tui, omni gratiæ reſiſti & obtemperari poſſe, ſive illa ſit efficax, ſive inefficax. Efficaci enim ſemper obtemperatur, & nihilominus ſemper reſiſti poteſt: inefficaci contrà, cum ſola eſt ſemper reſiſtitur, ſemper obtemperari poteſt. Hoc ſi neget Janſenius, errat. Sed unde concludis hoc ab ipſo Janſenio negatum? Poteſt, inquis, illius verbis accommodari ſenſus Calvinianus. At poteſt etiam accommodari catholicus, nempe gratiæ uſum vel abuſum non eſſe voluntati Moliniano modo ſubjectum: ita ut eadem gratia pro ſolo nutu voluntatis modò inefficax ſit, modò efficax ſine ullâ aliâ Dei ope. Hic ſenſus, mi Annate, ita catholicus eſt, ut contrarium Semipelagiani erroris damnaverit tota Congregatio de auxiliis in tuo Molina.

Hæc propoſitio, inquit, *& doctrina Patris Molinæ quatenus docet efficaciam auxilii divini pendere ab effectu & libertate arbitrii humani, non autem ab ipſo auxilio prout à Deo venit, & ex modo motionis divinæ, videtur tradita à Semipelagianis, ut licet videre in* Epiſtola *S. Hilarii ad S. Auguſtinum: aſſeritur autem à Molina contra expreſſam ſententiam S. Auguſtini libr. de corr. & grat.*

Demus,

Demus, mi Pater, utrumque ſenſum admittere verba Janſenii. Sint ergo hæretica, ſi cum Calvino potentiam diſſentiendi negent: ſed catholica erunt, ſi cum Congregatione de auxiliis Moliniſticam gratiam Semipelagiani erroris accuſent. At tu cur tuo jure in pejorem partem accipis? Cur ad Calvini ſenſum detorques? Debueras ergo aliqua loca proferre, ex quibus conſtaret Janſenium hæc verba Calviniano ſenſu uſurpaſſe. Nihil enim certiùs hoc principio: *Ex ſolis verbis quæ duplicem ſenſum habere poſſunt, quorum alter verus ſit, alter falſus, conſtare non poteſt, malo illa ſenſu accipienda.*

Diſce igitur, mi Pater, accurratioris dialecticæ leges. Si velis hunc locum quem profers, hæreticum probare, alia conquire, quibus doceas non ſolum hîc Molinam rejectum eſſe à Janſenio, ſed Calvini errorem comprobatum, quod ex ſolis illis locis, ut multum, ambiguis nunquam elicies. Omnino enim in Semipelagianis ſolum videtur culpare Moliniſmum, ut cum to. 3. l. 3. c. 1. conſtituta Molinianæ gratiæ notione, in eo præciſè quod nullum aliud Dei auxilium requirat, ſic deinceps Semipelagianorum exprimit errorem; *Proſcripti ſunt Maßilienſes non aliam ob cauſam, niſi quia tale auxilium homini ſufficere putarent, adeoque* NULLUM ALIUD *adjutorium ad credendum actu ex parte Dei eſſe neceſſarium.*

XXVII. *Damnati quinque Propoſitionum ſenſus genuinæ notæ.*

Fruſtra ſenſum illum damnatarum Propoſitionum in Janſenio quæris, mi Annate, niſi priùs damnatum illarum ſenſum qualis ſit noveris. Hunc verò ne erremus quibuſdam notis indicarunt tum ſummus Pontifex, tum Epiſcopi Galliæ; quas notas ubi non repereris, ibi ſcito ſenſum illum damnatum minimè reperiri. Has etſi jam delibavi primâ Diſquiſitione, tamen iterùm hîc clariùs indicabo, ut ex his eruditi lectores de tuo indiculo poſſint ſtatuere.

PRIMA NOTA.

Inprimis teſtantur Epiſcopi variis narrationis ſuæ locis præſertimque p. 15. *hunc ſenſum damnatum, eſſe proprium & germanum iſtarum Propoſitionum ſenſum.* Idem loquuntur Romani Conſultores qui ſemper *proprium & rigoroſum ſenſum* damnant. Hinc ſtatuitur illud axioma.

Quæcumque propoſitio non continet rigoroſum & proprium ſenſum alicujus ex propoſitionibus, hæc non continet ſenſum damnatum illius propoſitionis.

SECUNDA NOTA.

Declarant Epiſcopi Galliæ ſenſum illum damnatum eſſe Auguſtino contrarium. Hinc elice aliud axioma.

Nulla propoſitio Auguſtino & Ianſenio communis continet damnatum Propoſitionum ſenſum.

TERTIA NOTA.

Declarat Romana Inquiſitio: aſſentiuntur Epiſcopi: omnes Univerſitates conſentiunt, Thomiſtarum doctrinam Innocentii Conſtitutione nullâ in re violatam. Inde collige tertium axioma.

Nulla propoſitio Thomiſtis & Ianſenio communis continet proprium & damnatum ſenſum Propoſitionum.

QUARTA NOTA.

Speciatim declaravit ſummus Pontifex Innocentius gratiæ efficacis doctrinam, prout à Thomiſtis defenditur, minimè decreto ſuo ullâ autoritate ſpoliatam, ac de hoc capite tota Eccleſia conſentit. Hinc naſcitur quartum axioma.

Quæcumque propoſitio continet ſolam gratiæ efficacis, prout à Thomiſtis defenditur, aſſertionem, damnatum illum ſenſum non continet.

QUIN-

QUINTA NOTA.

Teſtantur Epiſcopi in Narratione ſuâ, hunc ſenſum damnatum à nullo ante Baïum & Janſenium eſſe traditum, adeòque illum omnibus ſcholaſticis adverſari. Inde colligo 5. axioma.

Nulla propoſitio Scholaſticis uſitata, trita, & probata continet damnatum illum ſenſum Propoſitionum.

SEXTA NOTA.

Damnatus ille ſenſus à Summo Pontifice reprobatur, ab Epiſcopis proſcribitur, totâ Eccleſiâ hæreticus judicatur. Sequitur inde ſextum axioma.

Nulla propoſitio quam vulgò Theologi nemine improbante defendunt, continet damnatum illum ſenſum.

His notis, mi Annate, probè perſpectis, certiùs in explorando ſenſu Janſenii verſabere: non perſpectis ſemper errabis.

XXVIII. *Concluſio.*

Macte igitur animo, mi Pater, & curſum parum feliciter inſtitutum felicius perſequere. Non ingratam nobis, nec Societati tuæ inutilem operam navaveris, ſi fugitivas illas propoſitiones tandem è latibulis ſuis extraxeris. Nam quod ſimpliciter & libere dicendum ſit, tu quoque, mi Annate, jejunius adhuc in hoc argumento verſatus es, magiſque ad rudem imperitorum levitatem, quàm ad eruditorum certum limatumque judicium, elaboraſſe videris. Sed tu, credo, quæ per incuriam exciderunt, monitus emendabis, & inſtructior redibis in prælium. Quin ne tibi aulicis occupationibus valde diſtricto, nimis oneris videar imponere, unum hoc à te contendo, ut quæ de prima Propoſitione in altera Diſquiſitione diſputavi, refellenda ſuſcipias: hanc enim ideò cæteris omiſſis accuratius pertractavimus, quod ex ipſa reliquæ necterentur.

tur. Ubi huic reſponderis, tum tibi de quatuor aliis reſponſio non deerit.

Verùm ſi quid, ut vehementer aveo, reſcribere digneris, facito quæſo, ut meos ſenſus impetas, non alienos affingas. Quæſtionem illam generalem, an propoſitiones ſint in Janſenio, necne, prorſus omitto. Sed loca illa quæ profers, damnatis propoſitionibus eſſe æquivalentia nego. Hinc ſequitur, te propoſitiones in Janſenio non reperiſſe: non ſequitur, neminem alium poſſe reperire. Fortaſſe id præſtabunt alii acutiores & diligentiores: non enim ſolus homo es, ſed unus è multis.

Non continebis te tamen, ſat ſcio, quin me ſi non hæreticum, certè hæreſeos fautorem appelles. Aſt ego hoc tibi in anteceſſum repono: Nemo hæreſi favere poteſt quæ nulla eſt: at nulla in Eccleſia nova hæreſis: nulli ergo novæ hæreſeos fautores. Quorſum igitur tot decreta, tot Epiſtolæ, tot conciones, tot libelli? neſcio, mi Pater. Unum hoc ſcio, quænam iſta eſſet hæreſis, quam vos *ſenſus Ianſeniani* hæreſim dicitis, neminem adhuc me reperiſſe qui noſſet. Incredibile, inquis, fictitiæ hæreſeos larvâ Eccleſiam jactari. Incredibilius, mi Pater, eſſe quandam hæreſim, quam nemo verbis perſpicuis nec ambiguis poſſit exprimere, quam ignorent & qui accuſant & qui accuſantur; cujuſque tota vis ſex ſyllabis, *ſenſus Ianſenii*, ſine ulla certa notione & ſenſu contineatur. At in hac opinione vehementer erro. Omnino vehementer, mi Pater, ſi erro. Adde etiam ex veſtris decretis, inculpatè: invincibiliter enim erro; quippe qui omnem adhibuerim diligentiam ad novam illam hæreſim detegendam, nec tamen detegere potuerim. Ita ſi me inclementius objurges, vel Eſcobario judice confutabitur reprehenſor Annatus.

VI. *Kal. April.* 1657.

TRE-

TREDECIM
THEOLOGORVM
AD EXAMINANDAS
QUINQUE PROPOSITIONES
A B
INNOCENTIO X. SELECTORUM
SVFFRAGIA,
ſeu ut appellant
VOTA,
Summo Pontifici ſcripto tradita.

Ex quibus verus Conſtitutionis
ſenſus innoteſcit;

*Et ad optatam inter Catholicos Theologos pacem
ſtabiliendam via facilis aperitur.*

MONITUM.

Quin hæc germana ſint Conſultorum Romanorum Vota nemo dubitabit, qui legerit. Ea porrò Româ digreſſus primùm in Galliam attulit Epiſcopus Montiſpeſſuli: ſed duo item alia eorundem exemplaria diverſâ quæque viâ ad diverſos venêre: Alterum ad virum doctum & curioſum Pariſiis commorantem: Alterum ad ampliſſimi Cœnobii Religioſum. Hæc exemplaria inter ſe collata antequam ederentur congruentia reperta ſunt, ut jam de eorum veritate dubitare manifeſta pervicacia ſit. Nec moveat quemquam, quòd quodam Inquiſitionis decreto his ſuffragiis derogetur fides: non enim his decretis ſignificatur falſum & ſuppoſitum eſſe ſcriptum; ſed tantùm injuſſu Inquiſitionis editum. Sic ſimili decreto prohibitum reperitur quoddam autographon Clementis VIII. *quod Pariſiis aſſervatur, quamvis fieri utique non poſſit, ut non ſcripſerit Clemens* VIII. *quod reverâ ſcripſit. Idem de his ſuffragiis ferendum eſſe judicium inde lector certò colligat, quod fortè Romana Inquiſitio hæc Vota apocrypha dicet, & fide indigna; falſa & conficta, tametſi me præmonente, numquam dicet.*

PRÆ-

PRÆFATIO.

Ecclesiæ vulnera in membrorum ejus inteſtinâ pugnâ qui non defleat, prorſus pietatis expers ſit. Cuncta tamen deflere pauci poſſunt, quia partium ſtudio pauci carent. Partem dolet qui parti addictus eſt. Univerſa lugere is unus poteſt, qui unius veritatis amicus eſt. Talem me eſſe, niſi ſit inſolens, dicere auſim. Certè nec Janſenio, nec Molinæ ſtudeo, Sancti Thomæ jam inde ab initio ſequax, & ipſius ſcholæ diſcipulus, quam utrique ſuam facere ſtudent, utrique catholicam fatentur. Illa ergo vel hoc nomine maximè idonea ad conciliandos animos tantâ inter ſe contentione diſſidentes.

Sed quoniam video neſcio quorum temeritatem eò proceſſiſſe, ut ſummi Pontificis Conſtitutione ad S. Thomæ autoritatem labefactandam abutantur, ad ſedis Apoſtolicæ honorem pertinere viſum eſt, hanc ab ipſâ contumeliam depellere; ſimul Eccleſiæ de gratiâ Chriſti doctrinam ab illis corruptelis vindicare, quas in ipſam certi homines immiſcere variis artibus tentant.

Ad id autem opportuniſſimum eſt viſum, palam exhiberi Conſultorum Vota, ſive ſuffragia, ex quibus ſummus Pontifex Conſtitutionem confecit. Ex his enim tum vera Pontificiæ Conſtitutionis intelligentia patebit, tum multorum novitia

novitia Molinæ commenta ſectantium argutiæ refellentur, qui dum Janſenio ardentiùs inſtant, Eccleſiam in Pelagii errorem pœnè præcipitant: cujus reum Molinam ante Clementem VIII. & Paulum V. egerunt & peregerunt clariſſimi ex ſcholâ noſtrâ Theologi.

Si quis autem de hujus ſcripti veritate dubitet, adire poterit Epiſcopum Montiſpeſſuli, qui illud Româ rediens ſecum attulit; quod idem fecerunt alii ex ordine Religioſo, qui itidem illud ex Manuſcripto exemplari Romæ deſcripſerant; ut jam multa Pariſiis hujus ſcripti exemplaria circumferantur. Quò magis neceſſarium eſt illud typis quàm primum excudi, ne inter varias deſcribentium manus, multas, ut fit, maculas contrahat, & fidem atque autoritatem amittat.

Ex eo autem conſtabit 1. adeò non læſam Conſtitutione Thomiſtarum doctrinam, ut ad eam potiùs ipſa Conſtitutio conformata ſit. Siquidem Conſultores pœnè omnes doctrinam de gratiâ per ſe efficaci, quæ maximè noſtræ ſcholæ propria eſt, omnibus locis catholicam, orthodoxam, veram eſſe profitentur.

Conſtabit 2. Romæ inter Conſultores non de ipſâ re, ſive de aliquo dogmate diſputatum eſſe, ſed tantùm de ſenſu Propoſitionum. Illas enim quicunque ad gratiam efficacem pertinere putarunt, etiam catholicas pronunciarunt. Quicunque autem declararunt hæreticas, etiam

à gra-

à gratiâ efficaci lato diſcrimine ſejunxerunt.

Conſtabit 3. quo pacto Janſenii cauſa Romæ tractata ſit. Nam qui ejus nullam à Conſultoribus rationem habitam velit, longiſſimè erret. Multi enim ex Conſultoribus expreſſè ſenſus Janſeniani meminerunt. Contrà qui id Conſultoribus mandatum à ſummo Pontifice contendat, ut ſenſum Janſenii inquirerent, vel an Propoſitiones ex Janſenio excerptæ eſſent dijudicarent, præ ſtudio falſus & iniquus videri poſſit. Apertè enim unus è Conſultoribus, iſque ſancti Officii Commiſſarius, Propoſitiones à ſummo Pontifice propoſitas dicit *in abſtracto, & ut præſcindunt ab omni proferente*; quod illum coram ipſo ſummo Pontifice dicere auſum, niſi verum eſſet, nulli unquam ſano veriſimile fiet. Multi ergo de Janſenio locuti ſunt; verum eſt. Sed injuſſi & ſine mandato locuti ſunt; & hoc verum eſt. Ita de Janſenii ſenſu neutiquam Romæ judicatum eſt; nullum enim judicium ſine præviâ inquiſitione: ſed ex Theologorum obiter inter diſputandum de mente Janſenii loquentium ſermone, obiter in Conſtitutione nominatus Janſenius.

Cæterùm non mediocris mihi ſpes eſt, fore ut hoc ſcriptum ad hoc diſſidium ſedandum permultum faciat. Nam ex illo cernere poterunt Moliniſtæ, quàm fruſtra gratiæ efficacis doctrinam attentent. Rurſus Janſenii defenſores, qui toties germanos S. Thomæ ſe diſcipulos eſſe teſtati

ſtati ſunt, quid ſinceritatis habeat hæc profeſſio, facilè indicare poterunt, ſi probatam & quaſi ſancitam in Conſultorum votis Thomiſtarum in quinque propoſitionibus doctrinam ex animo amplectantur.

Nullum autem tam abſurdum futurum puto, ut ex iſtis Conſultorum ſententiis neget indagandam Pontificiæ Conſtitutionis mentem. Non enim ut omnes Theologi conveniunt, ex aliquo ἐνθουσιασμῷ, & tanquam ex tripode promit Oracula ſummus Pontifex, ſed humano modo veritatem inquirens, doctos homines conſulens, & ex illorum ſententiâ fidei dogmata definiens. Nihil autem abſurdius fingi poteſt, quàm ut ſummus Pontifex tredecim viris doctis in conſilium adhibitis, id hæreticum pronunciet, quod illorum omnium calculo tanquam Orthodoxum comprobatum ſit. Quamobrem, ut dixi, cùm omnes Conſultores S. Thomæ doctrinam de gratia per ſe efficaci paſſim extra aleam ponant, qui hanc vel leviter auſit inceſſere, tanquam ſummo Pontifici injurioſus ab omnibus repellendus eſt.

10. *Febr.* 1657.

CON-

CONSULTORUM
SUPER
QUINQUE PROPOSITIONIBUS
VOTA.

Brevibus interdum animadverſionibus illuſtrata.

PRIMA PROPOSITIO.

Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus & conantibus ſecundum præſentes quas habent vires, ſunt impoſſibilia: Deeſt quoque illis gratia quâ poſſibilia fiant.

I. *Pater* SFORSA PALAVICINUS, *Societatis Ieſu.*
Die 1. Octobris 1652.

PUTAT hanc propoſitionem explicatam de illis viribus & illa gratia, quas Deus teneretur tribuere nullo ſuppoſito peccato, ne originali quidem, ad hoc ut validè obligaret, eſſe erroneam.

ANIMADVERSIO.

HIc Ianſenium ne nominat quidem ille Conſultor, ex eâ licet Societate qua Ianſenium maximè inſectatur. Patet tamen ex illius in alias Propoſitiones cenſuris, ſenſum illum quem in 1. *Propoſitione damnat, Ianſenio ab eo attribui:* gratiam ſcilicet de quâ loquitur Propoſitio, deeſſe ſine ullo peccato, ne originali quidem. *Quod à Ianſenii ſententiâ omnino alienum eſſe, omnibus palam eſt. Quarè meritò in hoc ſenſu Propoſitionem damnat: ſenſum verò Ianſenii omnino non attingit.*

II. *Pater* MARCUS ANTONIUS CARPINETUS, *Procurator generalis Capucinorum.*

Mea ſententia eſt, quòd tota propoſitio, ut jacet, cum illo addito, *Deeſt quoque illis gratia, &c.* ſit non ſolùm erronea & malè ſonans, ſed etiam hæretica, vel hæreſi proxima. Quia tamen propoſitio poteſt hunc duplicem ſenſum habere, quòd ſcilicet Deus hîc & nunc ſubtrahat gratiam, quâ præcepta fiant poſſibilia juſtis volentibus & conantibus, fideliter aut non fideliter: ideò in primo ſenſu, ubi juſti non fideliter agunt cum Deo, propoſitio erit catholica, ſicut catholica quòd Deus nunquam ſubtrahat gratiam juſtis fideliter ſe gerentibus.

ANIMADVERSIO.

Præclarè Conſultor duplicem in vocibus illis conantibus & volentibus *ſenſum diſtinguit. Quidam enim fideliter conantur: his nunquam deeſt gratia efficax ad operandum neceſſaria. Quidam infideliter; quia nempe gratiæ excitanti & ſufficienti ſenſu Thomiſtico reſiſtunt: his deeſſe poteſt, & ideò illi mandata implere non poſſunt, eâ ſcilicet poteſtate cui nihil deſit. An ille ſenſum Ianſenii damnaverit, ex eo præciſè judicandum, an per illos juſtos volentes & conantes intelligat Ianſenius fideliter volentes & conantes; an verò volentes & conantes infideliter. Si primum, procul dubio illius ſenſum erroris damnat: ſi ſecundum, ut pugnant Ianſeniſtæ, procul dubio abſolvit. Vtrum ſit veriſimilius, nolim hîc definire, ne contentioni detur locus. Interim ex Conſultoris mente hæc propoſitio:* Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus & conantibus *infideliter*, ſunt impoſſibilia: deeſt quoque gratia quâ poſſibilia fiant, *eſt catholica: & qui hunc Ianſenii ſenſum eſſe velit, à Conſultore nullomodò differt. Apparet verò longè ipſum à Moliniſtarum ſenſu abhorruiſſe, qui gratiam implendi præceptum juſtis quocumque modo ſe gerentibus nuſquam deeſſe volunt.*

III. P. THO-

III. P. THOMAS DELBENE,
Clericus Regularis.

Propoſitio hæc ſi intelligatur in ſenſu formali, hoc eſt, ſumendo juſtos ſecundum præſentes quas habent vires, habituales, ſupernaturales, & actuales, eſt catholica. Si ſumatur in ſenſu reali, prout ſe habet à parte rei, *ſunt impoſſibilia* ſimpliciter; quia deeſt gratia actualis quæcunque, ſive ſit efficax, ſive ſufficiens, eſt hæretica. Si ſumatur, *ſunt impoſſibilia*, ſecundum quid, propter negationem gratiæ efficacis, ſed non ſufficientis; in hoc ſenſu eſt catholica, conformis Scripturis, & Sanctis Patribus.

ANIMADVERSIO.

Ex iſto Conſultore hoc ſenſu tantùm hæretica eſt propoſitio, ſi nomine gratiæ, quæ deeſſe dicitur, intelligatur tum efficax tum ſufficiens. Ita ſi juſtis volentibus & conantibus deeſſe gratiam ſufficientem Thomiſtico ſenſu Ianſenius voluit, prorſus eum damnat Conſultor. Sin autem, ut contendunt ipſius defenſores, ſolam efficacem; nihil illum lædit; ſiquidem ex ipſo hæc propoſitio: Aliqua Dei præcepta juſtis volentibus & conantibus ſecundùm præſentes quas habent vires, ſunt impoſſibilia ſecundum quid, *propter negationem gratiæ efficacis, & non ſufficientis, eſt propoſitio catholica, conformis Scripturis & Patribus. Nec minùs perſpicuum eſt quàm iſte ſit alienus à Molina: ſiquidem nullam Molina impoſſibilitatem præceptorum, nec abſolutam, nec ſecundum quid admittit: ſed omnibus præſto eſſe vult ſufficientem quandam gratiam, cui non ſit neceſſaria gratia efficax ad actu operandum.*

IV. P. AUGUSTINUS MARIA à CREMONA,
Ordinis Servorum.
Die 8. Octobris 1652.

Si propoſitio ſumatur in ſenſu univerſali, ſive loquendò ſimpliciter de omnibus juſtis, ſive de omnibus juſtis tranſgreſſoribus, eſt propoſitio hæretica: ſi in ſenſu par-

ticulari, attento proprio & rigoroſo verborum, pariter eſt hæretica, ſi in ſenſu indefinito, prout jacet, eſt etiam hæretica.

ANIMADVERSIO.

Rectè Conſultor propoſitionem damnat, tum in ſenſu univerſali, quia ſic Calviniana eſt: tum in ſenſu particulari, attento proprio & rigoroſo ſenſu; quia ſic impoſſibilitatem abſolutam ſignificat, non tantùm impoſſibilitatem ſecundum quid: denique rectè etiam in ſenſu indefinito; quia ſenſus indefinitus in materiâ controverſâ & doctrinali pro univerſali ſumitur; ſicut iſta propoſitio: Aſtra moventur à propriâ formâ; quia de eo diſputant Philoſophi, ferè ſumitur in ſenſu univerſali.

Hujus Conſultoris ſententiam nihil officere Thomiſtis palam eſt. Ianſeniſtæ verò illam amovent, quod abſolutam præceptorum impoſſibilitatem nec à ſe, nec à Ianſenio admiſſam contendunt: quorum exceptiones nec probare mihi, nec improbare conſilium eſt; ſed tantùm indicare.

V. P. LUCAS WADINGUS,
Ordinis ſtrictioris Obſervantiæ.

Si hæc propoſitio intelligatur univerſaliter, ita ut omnes juſtos comprehendat, & pro omni tempore denegetur gratia ad implenda præcepta neceſſaria, eſt temeraria, à Patribus damnata, ſcandaloſa, Deo injurioſa, hominibus pernicioſa: ſi verò intelligatur de præceptis reſpectu peccatorum venialium; aut de juſtis operantibus ſecundum ſuas duntaxat vires, in iis tantùm ſiſtendo: aut tertiò (quem putat ſenſum Janſenii) intelligatur de potentiâ proximâ & completâ, & de gratiâ actuali non ſemper, ſed aliquando denegatâ, nullam meretur Cenſuram.

ANIMADVERSIO.

Rectè Conſultor propoſitionem defendit, ſi intelligatur de potentiâ completâ, & de gratiâ actuali efficaci, ſcilicet juſtis aliquando ſubtractâ: id enim docent plurimi Thomiſtæ, imò omnes; ſiquidem potentiæ completæ nomine intelligatur ea cui

nihil

nihil deſit. Diſcant ergo ex iſto Theologo Moliniſta, verum eſſe juſtis aliquando deeſſe gratiam efficacem, & tunc ipſis mandata non eſſe poßibilia poteſtate omnino completâ, & quæ nihil aliud requirat ad agendum. Verùm hîc obiter notandum eſt, etſi Conſultor ante Conſtitutionem ſic potuerit propoſitionem explicare, & ſic explicatam defendere; poſt Conſtitutionem tamen id non licere. Iudicavit enim ſummus Pontifex pravum illius ſenſum magis eſſe naturalem. Itaque illam nunc ab omnibus ſine explicatione rejici convenit. Verùm iſte ſenſus, quem catholicum defendit eruditus Conſultor, etiamnum poſt Conſtitutionem ab omnibus Thomiſtis ut orthodoxus defenditur.

Senſum Ianſenii apertè abſolvit iſte Conſultor: nihil tamen à cæteris diſtans qui illum damnaverunt, ſed alio tantùm modo illum exponens. Si meliùs ipſe, Ianſenius extra aleam eſt: ſi melius alii, Ianſenius hæret in luto. Sed ut ut ſit, Conſultorum ipſorum hîc exiſtimatio non agitur, qui de Ianſenii ſenſu citra fidei periculum diſſentire inter ſe potuerunt.

VI. P. DOMINICUS CAMPANELLA,
Ordinis Carmelitarum.

Iſta propoſitio videtur contra fidem coarctata ad aliqua præcepta, cùm debeat extendi ad omnia. 2. Eſt inſipienter compoſita ex duabus partibus contradictoriis. 3. Quoad utramque partem eſt formaliter hæretica,

ANIMADVERSIO.

Votum iſtius Conſultoris obſcurius eſt, ideò nec prodeſt, nec obeſt ulli.

VII. P. MODESTUS à FERRARA,
Procurator Generalis Ordinis Minorum Conventualium.

Si prima pars hujus propoſitionis præciſè accipiatur, vel facit ſenſum univerſalem, & ſic eſt hæretica: vel facit ſenſum ſingularem, & ſic quamvis poſſit explicari, & trahi in bonum ſenſum, ut ly *impoßibilia* dicat negationem potentiæ proximæ, poteſt admitti: & abſolutè

abſolutè cum illo termino, *impoßibilia*, eſt rejicienda tanquam temeraria, & à Patribus ſub anathemate prohibita. Si accipiatur ſecundum ſe totam, vel conſideratur, ut ille terminus, *gratia*, ſupponit pro gratia efficaci, cum excluſione gratiæ ſufficientis, & ſic eſt hæretica: vel conſideratur abſolutè ſecundum quod ſonant termini ipſius, & ſic ſaltem eſt errori proxima.

ANIMADVERSIO.

F*atetur Conſultor bonum eſſe iſtum ſenſum*: Aliqua Dei præcepta non ſunt poſſibilia hominibus juſtis poteſtate proximâ. *Vnde neſcio quid cogitarint, qui ſuper illâ voce tot modo turbas excitarunt, quaſi* poteſtatem proximam *admittere in omnibus juſtis neceſſe ſit.*

Quod autem de fide ait eſſe, juſtis volentibus & conantibus non deeſſe efficacem & ſufficientem ſimul, hîc ſat ſcio inclamabunt quidam Ianſeniani, & Concilium aut Scripturæ locum oſtendi poſtulabunt, in quo hæc gratia ſufficiens Thomiſtico ſenſu contineatur. His tamen ſi tam æqui ſunt quàm videri volunt, facilè ſatisfieri poteſt. Verbum ipſum gratiæ ſufficientis non eſt de fide: nullo enim Conciliorum decreto conſecratum eſt. Res ipſa nomine ſignificata ad fidem pertinet: hoc enim nomine ſignificamus gratiam excitantem quæ imperfectos actus producit, nec plenum tamen conſenſum operatur niſi adſit validior gratia; & ideò ſecundum quid tantùm efficax eſt; ſemper enim producit actus illos imperfectos: & ſecundum quid eſt inefficax; quia nos excitat, & nobis dat vires ad bona opera facienda, quæ tamen reipſa non perficimus propter reſiſtentiam voluntatis. Ea gratia ſic explicata nonne millies in Patrum monumentis reperitur? nonne eam omnes vel proprio experimento ſæpiſſimè ſentiunt? Quis enim eſt qui ſe excitanti Deo reſtitiſſe non doleat? Ergo talem gratiam neceſſariò admittendam vel ipſi ſi ſe audire voluerint, certè fatebuntur, eamque conantibus & volentibus ſemper præſto eſſe. Vnde enim conarentur & vellent niſi per illam? Vtrum autem iſta gratia dicenda ſit ſufficiens, necne, nominis quæſtio eſt ad fidem nihil pertinens, in quo multos ex ipſis vidi con-

conſentientes, nullum apertè refragantem. Malim ipſe cum meâ ſcholâ etiam verbis congruere, dummodò non apud imperitos ſermociner, qui hoc verbo facilè abutuntur; quia illud Moliniano ſenſu accipiunt. Cæterùm propter ambiguum nomen, & nulla autoritate ſancitum, nullam cuiquam moleſtiam libenter fecerim.

VIII. P. RAPHAEL AVERSA,
Ordinis Clericorum Minorum.

Propoſitio in plano & aperto verborum ſenſu, ſive dicamus in proprio & rigoroſo ſignificatu, eſt omninò damnabilis, tanquam temeraria contra omnem ſententiam Theologorum, tanquam ſcandaloſa contra communem ſenſum catholicorum, tanquam injurioſa & blaſphema contra Deum, & denique tanquam hæretica contra fidem.

ANIMADVERSIO.

Et hic rigoroſum verborum ſenſum attendit, quem hæreticum eſſe inter omnes conſtat.

IX. P. VINCENTIUS DE PRETIS;
Dominicanus Commiſſarius generalis S. Officii.

Hæc propoſitio non eſt qualificabilis ratione proferentis; quia propoſita fuit in abſtracto, ut præſcindit ab omni proferente: eſt qualificabilis ſecundum ſenſum communem & uſitatum, faventem hæreticis in modo loquendi recepto ab ipſis, & damnato ab Eccleſiâ catholicâ; & eſt temeraria, ſcandaloſa, malè ſonans. 3. Oportet formare priùs ſenſum legitimum iſtius propoſitionis, antequam qualificetur ratione rei ſignificatæ; quia non apparet ex quo appareat iſta impoſſibilitas.

IDEM.
Die 6. Novembris 1652.

Iſta propoſitio ſecundum omnes terminos quibus conſtat actualiter, acceptos in ſignificatione propriâ uſuali & conſuetâ non eſt qualificabilis, & non eſt qualificabilis niſi reducta ad ſenſum in quo protuli eſſe erroneam; hoc

eſt loquendo de impoſſibilitate phyſicâ, non tollente obligationem, neç excuſante tranſgreſſores à culpâ & à pœna, & refuſâ ex negatione virium quas Deus teneretur dare ad præcepta talia obſervanda nullâ exiſtente culpâ. Vbi autem ly *juſtis*, debet neceſſariò impropriari, & ſtare pro juſtis de præterito, & per appoſitionem terminorum nullo exiſtente obice peccati actualis & originalis, qui termini nec implicitè neç explicitè includerentur in ſignificatione uſuali dictæ propoſitionis.

ANIMADVERSIO.

Hic veritati concedendum eſt. Planè demonſtrat Conſultoris votum nuſquam juſſu Pontificis excuſſum eſſe Ianſenii ſenſum, neque id aut ignorare potuit ſancti Officii Commiſſarius, aut cognitum apud ipſum ſummum Pontificem diſſimulare. Cur ergo de Ianſenio nonnulli loquuntur? Quia libuit, non quia juſſum erat.

Cæterùm hujus votum à Molinâ alienum non negabunt ipſi Moliniſtæ.

X. P. PHILIPPUS VICECOMES,

Generalis Auguſtinianorum.

Si propoſitio faciat hunc ſenſum: Juſti ſecundum vires tantùm quibus formaliter juſti ſunt, præciſo divino auxilio actuali, non poſſunt implere aliqua Dei præcepta, eſt vera & catholica: ſi autem conſideretur in ſuis terminis, eſt malè ſonans; quia pro eo quod dicere debuerat: Juſti ſecundum præſentes vires tantùm non poſſunt completè implere præcepta; maluit dicere: Præcepta ſunt impoſſibilia ſecundum præſentes vires: vox autem iſta, *præcepta impoſſibilia*, etiamſi limitata ad vires præſentes cum excluſione auxilii actualis, malè ſonat. Quoad ſecundam particulam, ſi faciat hunc ſenſum: Deeſt quoque gratia, ſcilicet actualis auxilii, quâ ſecundum præſentes vires prædictas tantùm poſſent illa completè implere, propoſitio eſt catholica: propter tamen terminum, *impoſſibilia*, eſt malè ſonans.

ANIM-

ANIMADVERSIO.

Vir ille doctrinâ eximius ſententiam, quâ juſti dicuntur aliquando præcepta non poſſe completè implere, catholicam fatetur. Cæterum vocem, impoſſibilia, *bene repudiat; quia ex ſe ſignificat non ſolùm abſentiam potentiæ completæ, ſed omnimodam potentiæ negationem. Quiſquis igitur ſolam potentiam, completam, & cui nihil deſit, juſtis deneget abſente efficaci gratiâ, verbis & re cum Conſultore conſentit. Moliniſtas verò, qui potentiam omni ratione completam ſemper juſtis adeſſe volunt, quomodò ab illius Cenſurâ eximam, prorſus non invenio.*

XI. P. VINCENTIUS CANDIDUS,
Dominicanus, Magiſter ſacri Palatii.
Die 14. Novembris 1652.

Sentio prædictam propoſitionem aliquam non mereri cenſuram, ſed eſſe veriſſimam & catholicam; quia ſimilis aſſertio conſpicitur in variis locis Scripturæ ſacræ extare. Tradita etiam invenitur ſub æquivalentibus terminis à Synodo Tridentina ſeſſ. 6. de Reform. c. 11. ſi attentè verba illa perpendantur. Conſona etiam videtur prædicta propoſitio familiariſſimo modo loquendi aliquorum Theologorum.

ANIMADVERSIO.

Cave putes R. P. Vincentium in errore fuiſſe, quia primam propoſitionem cenſuræ judicat immunem; nam & ante Conſtitutionem, & poſt, maximo ſemper honore apud ſummum Pontificem fuit, imò moriens magnam ſanctitatis opinionem Romæ reliquit. Cur igitur abſolvit quod Pontifex damnat? Quia hanc propoſitionem aliter interpretatus eſt quàm ſummus Pontifex. Putavit enim illam in ſenſu gratiæ efficacis accipi poſſe, & ideò catholicam aſſeruit, conformem Scripturis & Patribus. At contra ſic illam interpretandam non eſſe judicavit ſummus Pontifex, cujus judicio Chriſtianus orbis aſſenſus eſt. Catholicus ergo ſenſus eſt quem defendit P. Candidus, ſed hunc damnatæ

propoſitionis verbis exprimere nefas eſt poſt Conſtitutionem, ante Conſtitutionem nefas non erat. Vnde neſcio cur crimini vertatur quibuſdam Doctoribus Pariſienſibus, quòd has propoſitiones in multis aliis ſenſibus jure damnandas, tamen in ſenſu gratiæ efficacis defendi poſſe dixerint ante Conſtitutionem; cùm id Conſultores celeberrimi coram ſummo Pontifice ſine invidiâ aut formidine tam apertè fecerint.

XII. P. JOANNES AUGUSTINUS à NATIVITATE
(Tartaglia) Carmelita Diſcalceatus.

Cenſeo hanc propoſitionem in aliquo ſenſu minùs proprio poſſe ſuſtineri: in ſenſu intento ab autore, id eſt, Corn. Janſenio eſſe dignam cenſurâ, ut jam damnatam à ſacrâ Tridentinâ Synodo; abſolutè ut præſcindit ab hoc vel illo ſenſu determinatè, offenſivam aurium fidelium.

ANIMADVERSIO.

Senſus iſte minùs proprius, ſenſus eſt gratiæ efficacis ad quam revocari poſſe primam propoſitionem quidam putabant. In hoc ſenſu poſſe ſuſtineri propoſitionem cenſuit Conſultor. Quod autem damnat propoſitionem in ſenſu Ianſenii, magno nos negotio liberaſſet ſi ſimul expreßiſſet iſtum Ianſenii ſenſum. Nihil enim magis ambiguum; ita variè à ſuis vel adverſariis vel defenſoribus torquetur. Quia tamen hunc ſenſum indicat à Synodo Tridentinâ ante damnatum; cùm illa Lutheri utique ſenſum damnaverit, videtur id exiſtimaſſe Conſultor, eundem Lutheri & Ianſenii ſenſum eſſe, quod vehementer pernegant Ianſeniani. Ita Lutheri error primùm conſtituendus: poſt, illud expendetur, an cum illo ſentiat Ianſenius: quæ poſtrema quæſtio facto non jure continetur.

XIII. P. COELESTINUS BRUNUS,
Ordinis S. Auguſtini.

Cenſeo hanc propoſitionem eſſe cenſurandam, prout ſacrum Concilium declarat, uti temerariam, & à ſanctis Patribus anathemate damnatam. Et item quia immediatè oppoſita eſt Scripturæ ſacræ, & ſacro Concilio Tridenti-

dentino, & aliis Conciliis; & noviſſimè Bullis ſummorum Pontificum Pii V. Gregorii XIII. & Urbani VIII. Exiſtimo etiam eſſe hæreſi proximam. Poſſunt tamen opponi aliqua præſervativa.

ANIMADVERSIO.

Præſervativa illa quæ apponi poſſe cenſet Conſultor, non alia intelligi poſſunt quàm quæ ſenſum efficacis gratiæ à pravis ſenſibus ſegregant: nam & iſtum gratiæ efficacis patronum fuiſſe patebit ex ſequentibus votis.

Quamobrem ut votorum ſummam colligam, damnant propoſitionem in ſenſu univerſali (qui Calvinianus eſt) tres Conſultores. In proprio & rigoroſo, vel tanquam hæreſim, vel tanquam hæreſi proximam, quatuor. Abſolvunt in ſenſu potentiæ completæ & proximæ, tres. Senſum Ianſenii unus expreſſè rejicit, unus expreſſè probat. Et quia propoſitionem omnes, excepto Candido ſacri Palatii Magiſtro, aliquatenus damnant, ex omnium votis confecta Conſtitutio dicenda eſt.

SECVNDA PROPOSITIO.

Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur.

I. P. JOANNES AUGUSTINUS à NATIVITATE, *Carmelita Diſcalceatus.*

Die 18. Novembris 1652.

Hæc propoſitio in aliquo ſenſu minùs proprio eſt vera, in ſenſu intento à Ianſenio eſt digna cenſurâ, ut repugnans ſacræ Tridentinæ Synodo, & ſacris Scripturis; & ſic eſt hæreſi proxima. Ut præſcindit ab hoc vel illo ſenſu determinatè, offendit aures fidelium.

II. P. COE-

II. P. COELESTINUS BRUNUS,
Ordinis S. Auguſtini.

Hæc propoſitio ſi intelligatur de gratiâ efficaci præciſè, vera eſt; ſed quia propriè & juxta terminos ſuos indefinitè loquitur de omni gratiâ, & quia fautores hujus propoſitionis deſtruunt omninò ſufficientem, quod eſt contra omnem Theologiam, SS. Patres, & præcipuè D. Auguſtinum, quem ibi falſò patronum aſciſcunt, & contra ſacrum Concilium Tridentinum; ideò eâdem cenſurâ, quâ prima propoſitio, cenſeo qualificandam.

III. P. SFORSA PALAVICINUS,
Societatis Ieſu.

Hæc propoſitio ſecundùm ſe recepta mihi videtur immunis ab omni cenſurâ: quatenus verò profertur à Ianſenio, & infertur tanquam ex præmiſſis, ex eo quod negat in naturâ lapſâ etiam hominibus juſtificatis vires ſufficientes ad implenda præcepta, quando reipſâ peccant, eſt digna eâdem cenſurâ, quâ notavi primam propoſitionem; non ſecundum ſe, ſed quatenùs conſequentia illius.

ANIMADVERSIO.

Nota à Palavicino ſecundam propoſitionem propterea tantùm damnari, quia ſequitur ex prima propoſitione. Quare cùm in primâ manifeſtè à ſenſu Ianſenii aberraverit; patet nec eum in ſecundâ rectè collimaſſe, ſi Ianſenium ferire voluit: quod idem de reliquis propoſitionibus dici poteſt, in quibus ſemper ipſius cenſuræ ad primam illam referuntur, & ex eâ pendent. Quare ſi in ipſo limine, ut patet, à Ianſenii ſenſu deerraverit, prorſus ipſum in reliquo curſu non attingit.

IV. P. MARCUS ANTONIUS CARPINETUS,
Procurator generalis Capucinorum.

Hæc ſecunda propoſitio ut jacet, ſecundum ſuum ſenſum clarum non ſolùm eſt perniciosa, temeraria, & malè ſonans; ſed eſt etiam formaliter hæretica, aut hæreſim ſapiens.

V. P. THO-

V. P. THOMAS D'ELBENE,

Clericus Regularis.

Die 20. Novembris 1651.

Hæc propoſitio ſi intelligatur de gratiâ interiori efficaci, eſt catholica: ſi intelligatur de gratia interiori quacunque, diſtinguo: vel facit ſenſum quoad ipſum formaliter, & eſt catholica; vel facit ſenſum quoad conſenſum qui ſemper ſequatur, ita ut omnis gratia interior ſit efficax, & nulla ſufficiens, in quo ſenſu loquitur Ianſenius; & ſic ſi non formaliter, ſaltem proximè eſt hæretica, & evidenter falſa.

VI. P. AUGUSTINUS MARIA à CREMONA,

Ordinis Servorum.

Hæc propoſitio ſi ſumatur in ſenſu connaturali, eſt hæreſi proxima: ſi in ſenſu particulari, eſto in aliqua ſententia ſit vera & probabilis; in proprio tamen ſenſu & rigoroſo verborum ab autore, id eſt Ianſenio intento, eſt hæretica: ſi in ſenſu indefinito prout jacet, eſt temeraria, malè ſonans, & ſcandaloſa.

VII. P. LUCAS WADINGUS,

Ordinis ſtrictioris Obſervantiæ.

Hæc propoſitio cujuſcunque autoris illa ſit, ſi intelligatur de gratia efficaci, ſive adjuvante, ſive excitante, eſt vera & catholica; ſi verò de ſufficienti, & quacunque gratia interiori, ſecundum omnem gratiæ latitudinem, eſt temeraria, & hæreſi proxima.

VIII. P. DOMINICUS CAMPANELLA,

Ordinis Carmelitarum.

Cenſeo iſtam propoſitionem, ſive conſideretur prout jacet, ſive ut explicata ab autore, id eſt Ianſenio, eſſe formaliter hæreticam, tanquam deſtructivam gratiæ ſufficientis, quæ de fide eſt concedenda.

IX. P. MODESTUS à FERRARIA,
Procur. Gen. Ord. Minor. Convent.

Cenſeo hanc propoſitionem non ſolùm in ſenſu Ianſenii, ſed etiam in proprio verborum ſenſu eſſe ſaltem hæreſi proximam.

X. P. RAPHAEL AVERSA,
Ordinis Clericorum Minorum.

Propoſitio hæc ita intellecta, ſeu potiùs correcta: Interiori gratiæ efficaci nunquam reſiſtitur, eſt vera & catholica; ſupplendo tamen in bonâ Theologiâ, non ſolùm (juxta Ianſenium) in ſtatu naturæ lapſæ, ſed nec in ſtatu naturæ integræ, nec in ſtatu viæ Angelorum; at accepta ut ſonat univerſaliter, quod nulli prorſus gratiæ reſiſtatur, ſi procederet ex ſuppoſitione, quòd gratia deſit peccatoribus, eò quòd non eſſet illis neceſſaria, ſaperet hæreſim Pelagianam. Procedente autem ex ſuppoſitione quòd gratia ſit quidem neceſſaria, ſed denegetur à Deo, ut non poſſit homo ſervare mandata, quo pacto propriè & in rigore eſt de mente Ianſenii, ſic coincidit cum primâ propoſitione, ac propterea participat cum illâ eandem cenſuram.

XI. P. VINCENT. DE PRETIS,
Dominicanus Commiſſ. gener. S. Officii.

Hæc propoſitio non eſt qualificabilis; quia gratia interior Auguſtiniana propugnata contra Pelagianos, eſt ſolùm gratia efficax; ac proinde apud Auguſtinum convertuntur gratia interior, & gratia efficax. Dicere hanc propoſitionem eſſe qualificabilem, quia tollit gratiam ſufficientem, omnibus modis eſt qualificare ipſiſſimam doctrinam D. Auguſtini in ſuis operibus ultimis, & omnium Thomiſtarum.

XII. P. PHILIPPUS VICECOMES, *Generalis Auguſtinianorum.*

Die 27. Novembris 1652.

Gratiæ interiori, hoc eſt efficaci, quæ propriè interior dicitur, nunquam reſiſtitur. Propoſitio vera & catholica.

XIII. P. VINCENTIUS CANDIDUS, *Dominicanus, Magiſter ſacri Palatii.*

Cenſeo hanc propoſitionem nullam mereri cenſuram, imò eſſe catholicam & veram. Nomine enim *interioris gratiæ* in hac propoſitione verè & propriè debet intelligi de gratia efficaci. Etenim analoga ſtare pro famoſiori ſignificatu, nedum humanæ Philoſophiæ, verùm etiam ſacrarum litterarum mori & conſuetudini eſt conſentaneum. Ulterius ſi ly *reſiſtere* accipiatur largè & communiter, quamvis homo poſſit reſiſtere ſi velit in ſenſu diviſo, nunquam tamen in ſenſu compoſito diſſentiet. In tali ſenſu eſt catholica & vera. Similiter ſi ly *reſiſtere* intelligatur ſtrictè, nunquam reſiſtet etiam loquendo in ſenſu diviſo.

ANIMADVERSIO GENERALIS in vota Conſultorum ſuper ſecunda Propoſitione.

Secundam propoſitionem de gratiâ efficaci intellectam, ſeptem, ut videre eſt, Conſultores abſolvunt, imo potiùs novem. Nam ſenſus ille in quo illam veram eſſe ajunt Auguſtinus à Nativitate, & Palavicinus, ſenſum eſſe gratiæ efficacis manifeſtum eſt. Cæteri gratiam efficacem ne vellicant quidem. Qui Ianſenium defendere voluerit, non leve ex VVadingi voto argumentum eliciet, ut probet nunquam mandatum eſſe Conſultoribus ut ſenſum Ianſenii excuterent. Incredibile enim eſt Conſultorem de ſenſu Ianſenii interrogatum à ſummo Pontifice, ſic ipſi reſpondere auſum eſſe: Hæc propoſitio cujuſcunque autoris illa ſit.

Quod autem id unum in Ianſenio reprehendunt Conſultores, quod gratiam ſufficientem prorſùs aboleverit, nullamque eſſe voluerit gratiam cui diſſentiatur, hoc vehementer labefactant hodierni

dierni Ianſenii defenſores, cùm ſe gratiam ſufficientem Thomiſtico ſenſu reipſa admittere, eidémque verè reſiſti, verè ab eâ diſſentiri profitentur. Quo ſemel poſito nulla ſuper hac propoſitione lis eſt ipſos inter & Conſultores. Verùm iſtam litem dirimendam Ianſenianis relinquamus: nobis illius partes ſovere nihil neceſſe eſt. Hoc unum dico, ſufficientem illam gratiam, quam plerique Conſultores admittunt, non eſſe Molinianam, ut patet; quia iidem gratiam per ſe efficacem ſimul admittunt, quam Moliniana prorſus abigit.

TERTIA PROPOSITIO.

Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ, non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione.

I. P. JOAN. AUG. à NATIVITATE,
Carmelita Diſcalc.

Die 27. Novembris 1652.

Hæc propoſitio in aliquo caſu particulari non eſt digna aliquâ cenſurâ: pro ut à Janſenio aſſeritur, repugnat Scripturæ, & Concilio Trid. & ſucceſſivè eſt hæretica.

II. P. COELESTINUS BRUNUS,
Ordinis S. Auguſtini.

Cenſeo hanc propoſitionem eſſe temerariam, & formaliter hæreticam.

III. P. SFORSA PALAVICINUS,
Societatis Ieſu.

Hæc propoſitio ſecundum ſe, & intellecta de libertate includente ſufficientem deliberationem, & indifferentiam judicii, ut intelligunt ejus autores, puto non mereri ullam cenſuram: prout verò habetur in Janſenio, quòd ſcilicet omnes, etiam juſti qui peccant mortaliter, in naturâ lapſâ careant libertate indifferentiæ, & neceſſariò taliter

taliter peccent, puto eſſe dignam eâdem cenſurâ quâ affeci primam propoſitionem.

ANIMADVERSIO.

Notatu dignum in hoc voto ſententiam Thomiſticam de indifferentia judicii circa media, quæ non impedit quominus voluntas efficaciter à Deo prædeterminetur, expreſſè ab hoc Molinæ diſcipulo, ſed moderatiſſimo ab omni cenſura eximi. Autores enim illi, à quibus eam aſſeri dicit, non alii ſunt quam Thomiſtæ. Quod autem addit ex Ianſenio; Omnes qui peccant mortaliter, neceſſariò taliter peccare, *id vulgo negant Ianſeniani, qui ſe in peccatoribus indifferentiam contradictionis admittere dictitant, nec quicquam omninò à vulgari Thomiſtarum doctrinâ hac in parte differre.*

IV. P. MARCUS ANTONIUS CARPINETUS,

Procur. gener. Capucin.

Propoſitio hæc, ſi accipiatur meritum & demeritum latè, nullâ digna eſt cenſurâ. Similiter ſi propoſitio intelligatur non ſolùm de poſſibilitate in ordine ad Deum, ſed etiam de facto, ex ſpeciali privilegio quoad meritum, & ex aliquâ cauſâ ſpeciali quoad demeritum, nullâ eſt dignâ cenſurâ. Accipiendo verò propoſitionem ut jacet, & ſecundum ſenſum quem regulariter importat, & in ſenſu ab autore, hoc eſt, Janſenio intento, eſt non ſolùm malè ſonans, ſed etiam abſolutè hæretica.

V. P. THOMAS DELBENE,

Clericus Regularis.

Cenſeo tertiam propoſitionem hanc ſimpliciter, eſſe formaliter hæreticam.

VI. P. AUGUSTINUS MARIA à CREMONA,

Ordinis Servorum.

Hæc propoſitio in proprio & rigoroſo ſenſu, maximè à Janſenio intento, eſt formaliter hæretica.

VII. P. LUCAS WADINGUS,
Ordinis ſtrictioris Obſervantiæ.

Cenſeo propter multitudinem & autoritatem graviſſimorum virorum, qui doctrinam omnem, à quâ pendet propoſitio, defendunt, propoſitionem probabilem & nulla dignam cenſurâ Theologicâ.

VIII. P. DOMINICUS CAMPANELLA,
Ordinis Carmelitarum.

Cenſeo iſtam propoſitionem in ſenſu ab autoribus explicato eſſe formaliſſimè hæreticam, tanquam deſtruentem libertatem, & conſequenter rationem meriti & demeriti in noſtris actionibus.

IX. P. MODESTUS à FERRARIA,
Proc. gen. Ord. Minor. Conventualium.

Cenſeo hanc propoſitionem ſecundum proprium ſenſum verborum, & ſecundum ſe abſolutè conſideratam, eſſe ſaltem erroneam in fide.

X. P. RAPHAEL AVERSA,
Ordinis Clericorum Minorum.

Cenſeo propoſitionem hanc non ſolum eſſe damnatam à ſummis Pontificibus contra Michaëlem Baïum, & contra Janſenium; ſed eſſe formaliter hæreticam, damnatam à Thoma, & ab aliis ſummis Pontificibus & Conciliis, & eſſe formaliter hæreſim Calvini & Lutheri, damnatam in Concilio Trid. Quod ſi coarctaretur ad aliquem caſum particularem, adhuc declinat in partem hæreſis.

XI. P. VINCENT. DE PRETIS,
Dominic. Commiſſ. gener. S. Officii.

Hæc propoſitio intellecta de libertate à coactione, excludente libertatem indifferentiæ deſtruentem efficaciam gratiæ poſitam à D. Auguſtino, eſt catholica, & non eſt qualificabilis; intellecta autem de libertate à coactione excludente indifferentiam compatientem ſecum effi-

efficaciam divinæ gratiæ Auguſtinianæ, eſt qualificabilis, & eſt erronea, & etiam majori cenſurâ digna.

XII. P. PHILIPPUS VICECOMES,
Generalis Auguſtinianorum.

Die 11. Decembris 1652.

Propoſitio quoad meritum eſt vera & catholica; quoad demeritum reſpectu peccatorum quæ ſunt pœna peccati, de quibus dicitur, *De neceſſitatibus meis eripe me Domine*, non eſt qualificabilis.

XIII. VINCENTIUS CANDIDUS,
Dominican. Magiſt. ſacri Palatii.

Hæc propoſitio cùm non ſolùm à pluribus Doctoribus Scholaſticis, ſed etiam à multis ſanctis Patribus & Doctoribus Eccleſiæ; præſertim à D. Auguſtino, & D. Thoma reperiatur aſſerta, neceſſe eſt dicere eam in ſenſu catholico defendi poſſe, ne dicamus ipſos propoſitiones temerarias aut hæreticas ſcripſiſſe. In re enim dubia & probabili interpretatio illa præferenda, unde jus tertii non læditur. Sentio igitur propoſitionem aſſertam nullam mereri cenſuram, imò eſſe veram & catholicam.

ANIMADVERSIO GENERALIS
in vota Conſultorum ſuper tertia Propoſitione.

Valdè hîc nos turbant Conſultores; quia ſenſum Ianſenii ſæpè damnant, nunquam exprimunt. Quod tamen ex illorum votis conjici licet, ſic illum utique acceperunt, quaſi omnem prorſus indifferentiam etiam eam quæ cum gratiâ efficaci cohæret: etiam indifferentiam judicii, & electionis mediorum funditus ſuſtulerit, & meram neceſſitatem invexerit: quo ſenſu qui certè ut ajunt rigoroſus & proprius eſt, illam etiam repudiant omnes tum Thomiſtæ tum Ianſeniſtæ, qui hunc ſenſum Ianſenio falsò tribui pugnant. At quia præter illas indifferentias judicii & electionis quas omnes admittunt, eſt alia quædam notiſſima, nempe Moliniana, illa ſcil. quæ ſemper in utramq; partem ſic expedita eſt, ut nihil ipſi deſit quominus ſe vel in bonum vel in malum convertat,

hanc utique nullomodò adſtruunt Conſultores, ut pote gratiæ efficaci capitaliter averſam. Imò quatuor ex ipſis dignitate longè præcipui, eruditione non poſtremi, propoſitionem ipſam à censurâ liberant, quatenùs excludit hoc Molinianæ ſcholæ figmentum; nec tamen cum cæteris Conſultoribus pugnant, niſi quod illam aliter quàm ipſi interpretantur. Hi propoſitionem rectè damnant; quia in proprio ſenſu deſtruit omnem indifferentiam: illi mitiùs de eâ ſentiunt, quia ſolam Molinianam impugnare videri potuit, quod non modò non vetat fides, ſed etiam jubet. Ergo qui cæteras indifferentias admittit exceptâ Molinianâ, cum omnibus Conſultoribus reipſâ conſentit.

QVARTA PROPOSITIO.

Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei; & in hoc erant hæretici, quòd vellent eam gratiam eſſe talem, cui poſſet humana voluntas reſiſtere vel obtemperare.

I. P. JOANNES AUGUSTINUS à NATIVITATE, *Carmelita Diſcalceatus.*

Die 11. Decembris 1652.

Hæc quarta propoſitio ut jacet eſt hæretica: ut aſſeritur à Janſenio contra quoſdam Doctores catholicos, meretur cenſuram propter acerbitatem: ut eſt antecedens ex quo ipſe infert conſequentiam de gratiâ victrice & medicinali, eſt etiam hæretica.

ANIMADVERSIO.

Nonnihil ille gratiam efficacem videtur impetere, ſed in ſpeciem tantùm: non enim credibile eſt aliquem ex illo ordine, qui ſpeciali decreto prædeterminationem phyſicam docere & defendere tenetur, quæ utique gratia victrix & medicinalis eſt, aliquid

aliquid contra Ordinis ſui doctrinam auſum eſſe. Quid igitur ſenſerit breviter indicabo. Sunt quidam, ſed ii perpauci, qui cùm prædeterminationem phyſicam defendant, tamen illam à victrici delectatione à Ianſenio aſſertâ in eo ſejungunt, quòd prædeterminatio phyſica relinquat adhuc voluntatem indifferentem in ſenſu diviſo & etiam compoſito, componendo ſcilicet potentiam cum actu oppoſito. At verò, inquiunt, delectatio victrix omnimodam neceſſitatem affert ex Ianſenio, nec ullam relinquit indifferentiam. Sic videtur ſenſiſſe iſte Conſultor, itémque Raphaël Averſa in ſuo ſuffragio. At in hoc valde repugnantes habebunt Ianſenii defenſores, qui hanc meram eſſe cavillationem à ſuo & Ianſenii ſenſu alieniſſimam clamitant, nec ullam à ſe neceſſitatem gratiæ tribui, niſi quam Thomiſtæ infallibilitatis vocant; nullam indifferentiam repudiari niſi Molinianam. Ita hîc etiam de ſenſu Ianſenii ab iſtis Conſultoribus diſſident, at in ipſis dogmatis cum Conſultoribus congruunt.

II. P. COELESTINUS BRUNUS,

Ordinis S. Auguſtini.

Die 16. Decembris 1652.

Hanc propoſitionem ſecundum hiſtoriam evidenter patet eſſe falſam: quantùm verò ad id quod aſſerit in ſecunda parte, præter cenſuram tertiæ propoſitionis, quia ex ea infertur neceſſariò omnes catholicos hæreticos eſſe, dico eſſe temerariam, blaſphemam, & ad minus virtualiter hæreticam, & forſan etiam formaliter.

III. P. SFORSA PALAVICINUS,

Societatis Ieſu.

Puto hanc propoſitionem eſſe falſam & temerariam propter acerbitatem cenſuræ quæ notat ſententiam probabilem, & uti talem ab Eccleſia admiſſam. Præſcindendo autem à cenſura hujus ſententiæ probabilis, propoſitio ipſa in ſe, & prout prolata à Janſenio, mihi videtur immunis ab omni cenſura Theologica.

IV. P. MARCUS ANTONIUS CARPINETUS,
Procurator generalis Capucinorum.

Prima pars propoſitionis in quantum continet factum ſive hiſtoriam, non eſt digna Cenſura, neque eſt etiam evidenter falſa. Secunda pars propoſitionis accepta indefinitè prout ſonat & poteſt extendi tam ad gratiam efficacem, quàm ſufficientem, eſt non ſolùm temeraria & erronea, ſed etiam formaliter hæretica. Prout reſtringitur ad gratiam efficacem, in quo ſenſu viſus eſt Janſenius proferre, non eſt digna aliqua cenſura Theologica, niſi in quantum nimis rigoroſè cenſurat ajentes, ejuſmodi gratiæ poſſe reſiſti & obtemperari: quæ cùm ſit doctrina probabilis, non meretur notam hæreſis.

V. P. THOMAS DELBENE,
Clericus Regularis.

Iſta propoſitio, quicquid ſit de prima parte, in qua eſt quæſtio de facto, & mera hiſtoria; tamen quoad ſecundam partem prout intelligitur à Janſenio, eſt formaliter hæretica.

VI. P. AUGUSTINUS MARIA à CREMONA,
Ordinis Servorum.

Circa hanc quartam propoſitionem ſum in voto, quoad primam partem eſſe falſam. Quoad ſecundam, licet in aliquo ſenſu poſſet probabiliter ſuſtineri, in proprio tamen & rigoroſo ſenſu verborum à Janſenio intento, cum annexis & connexis ſub quibus porrigitur ab eodem, cui non poteſt adaptari ſenſus probabilis quem poteſt habere, propoſitionem eſſe formaliter hæreticam.

VII. P. LUCAS VVADINGUS,
Ordinis ſtrictioris Obſervantiæ.

Cenſeo propoſitionem hanc fuiſſe malè conceptam, & autorem (quiſquis ille fuerit) in prima parte circa dogmata Semipelagianorum, & in ſecunda circa mentem Janſenii fuiſſe planè deceptum. Cæterùm in libro Janſenii

cenſeo

cenſeo ſcandaloſum eſſe, & temerarium nimis vehementem illum modum propugnandi ſententiam propriam, & impugnandi alienas, præſertim Patrum Jeſuitarum.

VIII. P. DOMINICUS CAMPANELLA,
Ordinis Carmelit.

Cenſeo hanc quartam propoſitionem quoad primam partem, tanquam punctum pertinens ad hiſtoriam, non cadere ſub cenſurâ Theologicâ. Quoad ſecundam, & falſò imponi Semipelagianis tanquam errorem, & eſſe formaliter hæreticã, in quantùm ſententiam catholicam antiquiſſimam, utpote à multis ſæculis, ipſo Calvino fatente, traditam in Eccleſia Dei, & à cunctis fidelibus ſine ulla contradictione & diſcrepantia creditam, dicit hæreticam.

IX. P. MODESTUS à FERRARIA,
Procur. Gen. Ord. Minor. Convent.

Dico hujus propoſitionis primam partem eſſe falſam, alteram eſſe ſaltem hæreſi proximam.

X. P. RAPHAEL AVERSA,
Ordinis Clericorum Minorum.

Die 23. Decembris 1652.

Propoſitio hæc eſt tota falſa & pernicioſa contra fidem hiſtoriæ: ſed ſpecialiter ſecunda pars redundat in maximam contumeliam Eccleſiæ Catholicæ profitentis dari talem gratiam cui poſſit humana voluntas reſiſtere vel obtemperare, & ipſa in ſe eſt hæretica contra definitionem Concilii Tridentini. Quod ſi quarta propoſitio ita corrigatur: Gratiæ efficaci humanam voluntatem non poſſe reſiſtere, adhuc eo modo quo ponitur à Janſenio, videtur hæretica; ſed explicando gratiam efficacem eo modo quo apud alterutram ſcholam intelligitur, in ſenſu compoſito vel ſub ſimilibus terminis, ſic contineret ſanam doctrinam.

XI. P. VINCENT. DE PRETIS,
Dominicanus, Commiſſ. gener. S. Officii.

Hæc propoſitio quia imponit notam hæreticorum Semipelagianis, ex eo quod affirmarent gratiam ab ipſis poſitam eſſe talem, cui voluntas poſſit obſiſtere vel obtemperare, per taleitatem deſtruentem efficaciam gratiæ D. Auguſtini, & approbantem inefficacitatem gratiæ aſſertam à Semipelagianis, impugnatam à D. Auguſtino, eſt immunis ab omni cenſurâ.

XII. P. PHILIPPUS VICECOMES,
Generalis Auguſtinianorum.

Si propoſitio iſta intelligitur, quod ſolùm admitteret talem gratiam cui poſſet humana voluntas reſiſtere vel obtemperare, cum excluſione omnis gratiæ efficacis, & ſecundũ propoſitum, ſic utiq; erant hæretici Semipelagiani; ſi verò ita intelligitur, ut ita vellent eam gratiam eſſe talem cui poſſet humana voluntas reſiſtere vel obtemperare, ut tamen præter illam admitterent gratiam efficacem & ſecundum propoſitum, ſic non erant hæretici, ſicut non ſunt doctiſſimi viri qui utramque gratiam admittunt.

XIII. P. VINCENTIUS CANDIDUS,
Dominicanus, Magiſter ſacri Palatii.

Quoad primam partem propoſitionis quartæ, cenſeo non mereri aliquam cenſuram; ut ex multis relatis, præſertim ex teſtimonio D. Auguſtini de Prædeſt. cap. I. Quoad ſecundam partem, in hoc erant hæretici, quod ſenſum Pelagianorum proprium, quatenus excludebant gratiam vere efficacem quam ſtatuit D. Auguſtinus in ſuis operibus, falſa eſt: ſi autem ly *reſiſtere* accipiatur in proprio ſignificatu, non videtur cenſuranda ſecunda pars propoſitionis.

ANIM-

ANIMADVERSIO GENERALIS
in vota Conſultorum ſuper quartâ Propoſitione.

Propoſitionem ipſam, ut palam eſt, ſex Conſultores innoxiam pronunciant: cæteri propterea damnant, quia erroris excuſare videtur catholicam doctrinam contra Calvinum definitam, ſcilicet gratiæ reſiſti vel obtemperari poſſe. An igitur ſex ex illo numero hæretici fuerunt, & ſeptem catholici? An fides ab hæreſi non niſi uno Conſultoris calculo diſſidet? Neutiquam. Omnes idem reipſa ſenſerunt: ſed ut in aliis propoſitionibus, ſic etiam in illâ de ſenſu ejus non conveniunt.

Senſum Ianſenii hic expreſſè Ieſuita Palavicinus, Carpinetus, VVadingus à cenſurâ eximunt: imò poſtremus ille autorem illarum propoſitionum in Ianſenii mente planè deceptum coram ſummo Pontifice prædicat, verène an falsò, nihil ad me. Interim obiter noto hanc de Ianſenii ſenſu controverſiam inter ipſos Conſultores viguiſſe, nec demum poſt Conſtitutionem natam eſſe, ut quidam fabulantur, quam utinam ex profeſſo & non obiter tantum agitaſſent: tantas enim fortaſſe lites nobis non reliquiſſent.

Rectiſſimè autem Generalis Auguſtinianorum, itemque Commiſſarius S. Officii in eo collocant Semipelagianorum errorem, quod gratiæ efficacis neceſſitatem ad initium fidei deſtruerent, quod adverſus Moliniſtas idipſum ſentientes ſemper tenuit, & etiam nunc tenet omnis ſchola Thomiſtica, omneſque graves Theologi.

QVINTA PROPOSITIO.

Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum fuiſſe, & ſanguinem fudiſſe.

I. P. JOAN. AUGUSTINUS à NATIVITATE, *Carmelit. Diſcalc.*

Die 30. Decembris 1652.

Hæc propoſitio, ut jacet, non eſt catholica: ſi exponatur quoad auxilia ſufficientia præparata omnibus hominibus ex meritis Chriſti, meretur cenſuram propter acerbitatem: ut eſt connexa cum propoſitione Janſenii, quod Chriſtus ſit mortuus ſolùm pro prædeſtinatis, & illis ſolis præparaverit auxilia ſufficientia ad perſeverandum, meretur eandem cenſuram ac prima propoſitio.

II. P. COELESTINUS BRUNUS, *Ordinis S. Auguſtini.*

Exiſtimo hanc propoſitionem tanquam omnibus horrendam & impiam, & tanquam animam reliquarum propoſitionum, & quia habet etiam affinitatem cum multis propoſitionibus damnatis Baii, prorſus temerariam, & plus reliquis hæreticam.

III. P. SFORSA PALAVICINUS, *Societatis Ieſu.*

Cenſeo iſtam propoſitionem ſecundum ſe eſſe catholicam, & non dignam cenſura, niſi propter cenſuram annexam propoſitionis. Propter ejuſmodi cenſuram qua damnat propoſitionem admiſſam à multis Scholaſticis, & ſimpliciter prolatam in Tridentino, cenſeo eſſe temerariam & male ſonantem; prout profertur à Janſenio, cenſeo mereri eandem cenſuram qua notavi primam propoſitionem.

IV. P. MAR-

IV. P. MARCUS ANTONIUS CARPINETUS,
Procur. gener Capucin.
Die 12. Januarij 1653.

Hæc propoſitio ut jacet, Chriſtus non eſt mortuus pro omnibus omninò hominibus, & pro omnibus omnino hominibus ſanguinem non fudit, ſine alio addito explicante, eſt malè ſonans, pias aures offendens, & ſi non formaliter hæretica, ſaltem hæreſi proxima. Eadem propoſitio reſtricta hoc modo: Chriſtus non eſt mortuus pro præſcitis, adhuc eſt formaliter hæretica, ſic ſimpliciter & ſine alia explicatione propoſita. Eadem propoſitio reſtricta hoc modo: Chriſtus non eſt mortuus pro omnibus omnino hominibus; quia non eſt mortuus pro infidelibus, adhuc eſt hæretica. Eadem propoſitio reſtricta hoc modo: Chriſtus non eſt mortuus pro omnibus omninò hominibus, quia non eſt mortuus pro parvulis, adhuc eſt hæretica, ſimpliciter & ſine aliqua declaratione prolata. Eadem propoſitiò etiam declarata hoc modo: Chriſtus non eſt mortuus pro omnibus, quia non omnibus contulit beneficium ſuæ paſſionis, ſed ſolùm prædeſtinatis, adhuc eſt hæretica. In uno verò ſenſu ſolo erit catholica, ſi dicatur: Chriſtus non eſt mortuus pro omnibus, quia non omnibus contulit beneficium ſalutis ſive beatitudinis æternæ.

V. P. THOMAS D'ELBENE,
Clericus Regularis.

Dico: vel quinta iſta propoſitio facit ſenſum, quod Chriſtus non ſit mortuus pro omnibus efficaciter, & non eſt digna cenſura, ſed catholica: vel facit ſenſum quòd non ſit mortuus pro omnibus æqualiter, ita ut diſcretio ſit ex nobis, non autem ex gratia; & eſt etiam catholica: vel facit ſenſum quòd non ſit mortuus pro quibuſdam, ut pro infantulis qui moriuntur ſine baptiſmo, pro paganis, & quibuſdam chriſtianis induratis; & eſt erronea & temeraria, ſaltem prout vocat opinionem oppoſitam, errorem Semipelagianorum; vel facit ſenſum quod ſit mortuus

pro

pro prædeſtinatis tantùm, & pro nullis aliis etiam juſtificatis, uti per baptiſmum &c. & in hoc ſenſu, qui verè eſt Janſenii, & hæretica.

VI. P. AUGUSTINUS MARIA à CREMONA, *Ordinis Servorum.*

SUm in voto, propoſitionem hanc ratione Cenſuræ eſſe malè ſonantem & temerariam: ſecundum ſe eſſe ſcandaloſam: in ſenſu autoris, nempe Janſenii, quatenùs excludit à beneficio æterno mortis Chriſti infideles & parvulos, eſſe parum probabilem, & nihil piam: quatenus excludit aliquos ex juſtificatis, eſſe erroneam & formaliter hæreticam.

ANIMADVERSIO.

Hæreo fateor quomodò hîc duos iſtos Conſultores excuſem, quòd eam Ianſenio ſententiam tribuant, Chriſtum ita pro ſolis prædeſtinatis mortuum eſſe, ut pro nullis aliis mortuus ſit etiam juſtificatis per baptiſmum. Hoc enim conſtat à ſenſu Ianſenii verbiſque disjunctiſſimum eſſe, cùm pro omnibus juſtificatis, etiam reprobis Chriſtum eſſe mortuum profiteatur. Non video igitur quid dici poſſit, niſi Conſultores iſtos indiligentiùs ſenſum Ianſenii excuſſiſſe; quia ſummus Pontifex propoſitiones expendi juſſerat in abſtracto, & ut præſcindunt ab omni proferente, *ut ait Vincentius de Pretis S. Officii Commiſſarius in ſuo ſuffragio. Quamobrem illi ſummi Pontificis juſſu, propoſitionibus in abſtracto ſpectandis intenti, de Ianſenio audita potius quam viſa retulere, aliter procul dubio locuturi, ſi Ianſenium ſuis oculis inſpexiſſent.*

VII. P. LUCAS VVADINGUS, *Ordinis ſtrictioris Obſervantiæ.*

Die 15. Januarii 1653.

IſTa propoſitio quinta cum illâ nota ſive cenſura Semipelagiani erroris, nullibi legitur apud Janſenium. Explicatio autem quam adhibuit locis ſacræ Scripturæ de morte Chriſti pro ſolis fidelibus, præſertim pro prædeſtinatis, ſana

ſana eſt & catholica, utpote conformis eidem ſacræ Scripturæ, & quæ expreſſè habetur apud Auguſtinum, & alios SS. Patres, & alios graviſſimos Doctores.

VIII. DOMINICUS CAMPANELLA,
Ordinis Carmelit.

Dico propoſitionem iſtam fuiſſe primò evomitam ex Calvino: ſecundò Semipelagianos non erraſſe in hoc puncto, ſed rectè & catholicè ſenſiſſe: tertiò eſſe formaliter hæreticam, tanquam repugnantem apertiſſimis & toties repetitis teſtimoniis Apoſtolicis, necnon ſacris Conciliis, & ſanctis Patribus contradicentem; & propriè omnipotenti Deo, cujus natura bonitas; & copioſiſſimæ Chriſti redemptioni, cujus modica ſanguinis gutta pro totius mundi redemptione ſuffeciſſet, ut teſtatur Clemens VI. in extravagante *Vnigenitus, de pœnitentia*, eſſe valde injurioſam.

IX. P. MODESTUS à FERRARIA,
Procur. gener. Ord. Minor. Convent.

Cum hæc propoſitio, Chriſtus pro omnibus omninò hominibus mortuus eſt, ſit de fide, ex Scripturis, Concilio Trid. & SS. Patribus; hæc quinta propoſitio eſt omninò hæretica.

X. P. RAPHAEL AVERSA,
Ordinis Clericorum Minorum.
Die 10. Januarii 1653.

Hæc propoſitio in modo loquendi propriè & rigoroſè ſumpta eſt blaſphema, contumelioſa, contraria S. Scripturæ, & Concilio Tridentino; in ſenſu verò Janſenii partim ex profeſſo *lib. 3. de Gratia Salvatoris cap. ultimo*, reducitur ad primas tres propoſitiones; quare eandem cum illis cenſuram meretur.

XI. P. VIN-

XI. P. VINCENTIUS DE PRETIS,
Dominicanus Commiſſarius generalis S. *Officii.*

Hæc propoſitio per hoc quod afficitur nota erroris ſubit cenſuram quam meretur, & proinde eſt immunis ab omni cenſura.

ANIMADVERSIO.

Mens Conſultoris eſt, rectè Semipelagiani erroris notâ affici hanc propoſitionem : Chriſtus pro omnibus mortuus eſt, *intellecta Moliniſtico ſenſu, videlicet quod Chriſtus omnibus promeruerit gratiam quandam Molinianam, quam alii accipiunt, alii reſpuunt pro ſolo nutu voluntatis, adeoque immunem judicat à Cenſura quintam propoſitionem, quatenus Molinæ ſententiam damnat.*

XII. P. PHILIPPUS VICECOMES,
Generalis Auguſtinianorum.

Votum eſt. Hæc propoſitio ex D. Proſpero & Hilario in terminis eſt à Semipelagianis aſſerta tanquam contraria ſententiæ S. Patris Auguſtini. An verò ab illis ſimpliciter aſſeratur, vel tanquam illorum error habenda ſit, dico ſecundùm ſenſum intentum à Semipelagianis, iſta propoſitio eſt falſa, quatenus nimirum exiſtimant Chriſtum Dominum æqualiter ac indifferenter quacunque lege ſecluſa omni gratia efficaci, & ſecundum propoſitum de quo loquitur Apoſtolus, & explicat Auguſtinus.

ANIMADVERSIO.

Et hic Conſultor propoſitionem vocat, non totum iſtud complexum, Semipelagianum eſt dicere, &c. *ſed hanc ſolam partem ultimam,* Chriſtus pro omnibus omnino hominibus mortuus eſt: *quam falſam dicit*, ſecundùm ſenſum à Semipelagianis intentum, *quem eundem eſſe manifeſtè vult ac ſenſum Moliniſtarum.*

XIII. P. VINCENTIUS CANDIDUS,
Dominic. Magiſt. ſacri Palatii.

Cenſeo quintam propoſitionē prędictam nullam mereri cenſuram, & ſuſtineri poſſe ut probabilē, & ſine dubio ve-

veram. Semipelagianorum enim error fuit, ut omnibus pro comperto eſt, ita Chriſtum Dominum eſſe omnium Redemptorem, & pro omnibus mortuum exiſtimarunt, ut penes liberum arbitrium omnium hominum eſſet tale Redemptoris beneficium acceptare ſeu repudiare etiam proximâ & immediatâ, &, ut ajunt Theologi, cum actu conjuncta potentia: quo errore manifeſtè humano arbitrio partes primas, gratiæ verò ſecundas tribuebant, contra Magiſtrum gentium Paulum ad *Corinth. cap.* 4. ac ipſius electionis profundiſſima myſteria relegabant, quo conſequenter veram Chriſti Domini redemptionem de medio tollebant, ut talis redemptionis participes eſſe homines ex liberi arbitrii viribus operantes, autumarunt.

ANIMADVERSIO GENERALIS in vota Conſultorum ſuper quinta propoſitione.

In hac quinta propoſitione ſimiliter ſe gerunt Conſultores atque in cæteris. Quidam ex illis de ſenſu Ianſenii; pro libito loquuntur. Contra VVadingus nulli legi apud Janſenium *iſtam propoſitionem aſſerit. Ipſam propoſitionem quidam defendunt, quidam damnant, in ejus intelligentia diſſentientes, in ipſis dogmatis aut nihil, aut parum. Siquidem inter omnes gratiæ efficacis patronos, aut certè non impugnatores, quales illi fuerunt, ſententias ſequentes orthodoxas eſſe convenit.*

1. *Chriſtum ſolis prædeſtinatis ea beneficia morte ſuâ promeruiſſe quibus certiſſime liberantur, quicunque liberantur.*

2. *Nulli reprobo datum eſſe aut promeritum per mortem Chriſti efficax & gratuitum perſeverantiæ donum, ſine quo nemo unquam ſalvus erit.*

3. *Gratias omnes quas juſtificati reprobi recipiunt, ipſis ex meritis Chriſti conferri: & quia juſtificati omnes habent gratias Thomiſtico ſenſu ſufficientes, modò actuales, modò habituales, etiam pro illis promerendis Chriſtum eſſe mortuum.*

4. *Mortem Chriſti eſſe ſufficientem pro totius mundi ſalute.*

5. *Chriſtum humanâ, vel divina etiam, ſed antecedente voluntate omnium hominum ſalutem optaſſe.*

6. *Abſoluta*

6. *Abſoluta voluntate & efficaci ſolis prædeſtinatis æternam beatitudinem optaſſe, petiiſſe, promeruiſſe.*

Hæc ferè inter Thomiſtas conſtant, nec ullum ex iſtis capitibus convellunt Conſultores, multa etiam expreſſè probant. Sunt autem quædam in noſtra ſchola controverſa, v. g. an omnes infideles & obdurati habeant gratias ſufficientes: hæc non attingunt Conſultores.

Si quæras quem ſenſum Ianſenio tribuant qui ipſi videntur adverſi; Reſpondeo hunc eſſe, ut ex ipſo pro ſolis prædeſtinatis Chriſtus mortuus ſit, & nullo modo pro reprobis; ex quo conſequens ajunt eſſe, nulli ne juſto quidem adeſſe ſufficientia media ad ſalutem. Talem non eſſe Ianſenii ſenſum multi contendunt: & quidem jure ut videtur. Sed tota res mei nec inſtituti, nec ſtomachi. Omnino enim quò pertineat de unius hominis ſententia litigare prorſus non intelligo. Erret, an rectè ſentiat Ianſenius, nihil ad me: imò nihil ad fidem, nihil ad Eccleſiam, dummodò de ipſis dogmatis conſtet. De ipſis propoſitionibus inter ſe Conſultores diſſenſerunt; quantò id durius? Integra tamen omnium fides; quia verborum potius iſta, quàm rerum diſſenſio fuit. Poteſt idem in Ianſenii ſenſu accidere, quem variè acceptum probare illi poſſunt, illi improbare, nihil inter ſe in ipſis dogmatis diſcrepantes. An ita ſit, videant quorum id intereſt. Ego vero doctis illis viris, qui defendi Ianſenii invidia laborant, libenter hanc conditionem tulerim, quam ſimili in cauſa Origeniſtis infenſiſſimus illorum hoſtis Hieronymus tulit: aut deſerant Ianſenium, aut doceant illius mentem à proprio ſenſu propoſitionum penitus alienam, & in his 5. capitulis noſtræ ſcholæ penitus conſentientem, in qua certiſſimum ipſis ad vitandam Moliniſtarum ferocientium audaciam perfugium ſemper patebit. Nullum enim ex ipſis nec damnavit unquam nec damnabit ſummus Pontifex quantumcunque annitantur Moliniſtæ.

FINIS.

164
B
21 VAI 1529188

163
α
48